Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

TM 0726

Theodor Mahlmann
20. März 1995

*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

DISPVTATIONES THEOLOGICAE, QVAE ANNIS ALIQVOT PROXIME PRÆTERITIS HABITÆ SVNT IN BASILIENSI ACADEMIA.

PER

D. IOHANNEM IACOBVM GRYNÆVM,
Sacræ Theologiæ in eadem Academia Doctorem.

Earum indicem duæ Epistolam Dedicatoriam proximè sequentes paginæ commonstrabunt.



GENEVÆ,
EXCVDEBAT EVSTATHIVS VIGNON.
M. D. LXXXIIII.

Ad Bibl. Acad. Lund.

DUPL. BIBLIOTH. LANDISH.

UBM abgegeben



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

MAGNIFICIS ET AMPLISSIMIS

VIRIS, SAPIENTIA, VIRTVTE ET AVCTORITATE præstantissimis, Dominis Consulibus & Senatoribus inclytæ BERNENSIS REIPVB. Dominis suis plurimùm obseruandis

S. P. D.

MIRIFICÈ *delector grauissima sententia Iehouæ Domini nostri, quæ exstat apud Zachariam Prophetam, cap. 8. 19.* VERITATEM & PACEM DILIGITE. *Quum enim in multis & magnis ærumnis, quæ veritatis professionem, perinde vt corpus vmbra, comitari solent, non tantùm experientia magistra attestante: sed etiam Spiritu adoptionis disertissimis verbis (quæ in Scripturis diuinitus inspiratis occurrunt) edicente, didicerim id, quod præclarè docuit Augustinus, quando & dulcem & amaram esse veritatem, ostendit: enimverò fateor me sæpenumerò ad leniendos & mitigandos tum meos tum aliorũ dolores, quos Iosephi contritio parere solet, repetere diuinam illam sententiam, quæ ex συζυγίᾳ Veritatis & Pacis, velut è limpidissimo fonte, Consolationis dulcissimæ vberrimum haurit & subministrat argumentum.*

Sic enim mecum ipse & ratiocinari & sermocinari soleo. An non iis qui piè viuere volunt, eóque nomine seu cruentam, seu incruentam, diuturnam tamen illam, persequutionem externam sustinent: circumferunt autem & ignarium, quem cuique magno consilio dedit καρδιογνώστης Deus: ac sibi persimiles videntur Rosæ, inter medias & aculeatas spinas efflorescenti: illud solatio maximo esse debet, quòd certissimam & credendi & agendi regulam, Deus illis ea præscripsit lege, vt etiam eandem obseruãdi vim, per subministrationem Spiritus sancti, eisdem sanctissimè & polliceretur & præstaret?

Lætantur Phœnices in tempestuoso mari nauigantes, quum non errantem Helicem & latissimos Septẽtriones, sed paruulam Cynosuram ducem, oculis lustrare & sequi licet. Lætemur & ipsi, quando in tantis confusionibus generis humani, Ecclesiæ, Reipub. Oeconomiæ, Academiæ nostræ, tan-

quam in decumanarum vndarum vlnis versari & iactari videntur: quòd Dei Filium Dominum nostrum Iesum Christum, nobis Spiritu & virtute sua adesse, reipsa experimur: & quòd nobis certò constat tum quid nobis de eo Agonotheta & Patrono sanctè polliceri, tum etiam quid pro virili nostra parte agere debeamus.

Vult autem Dominus Deus noster, cuius voluntas non solùm rerum est necessitas, sed etiam iustissima & moderatissima agendi regula, vt Veritatem & Pacem, citra earum diuortium, summè diligamus. Vult vt Nudacium & Discordiam, ceu pestes generis humani, ex orco à Satana publici mali caussa productas, odio habeamus, & detestemur & fugiamus.

Sint igitur deiectis & consternatis animis ij omnes, quorum mentes infernales tenebræ mendacij & errorum occupauerunt: nam quũ loquuntur diuersa à sana doctrina, linguas suas Satanæ sese vendidisse, suo, vt sorices, indicio prodũt: & quum Eleusinijs suis sacris, tã opertaneis quàm cæteris defunguntur, eiusdem turpissimos histriones sese esse, ostendunt.

Pudeat etiam suiipsorum in æternum eos, qui dissidiorum & scandalorum auctores sunt, præter sanam doctrinam quam nos didicimus: quum enim isti non Domino nostro Iesu Christo, sed suo ventri seruiant: vnà cum Satana conterentur citò sub pedes Sanctorum Dei seruorum, à Deo pacis principe.

Econtrà, sint præsentibus & ingentibus animis, quicunque Dei dono Veritatis & Pacis amorem & studium verè coniunxerunt, etiamsi illius caussa sese duriter premi aut hostiliter oppugnari, seu per cuniculos & Sinonio artificio, seu aperto Marte, sentiant. Etenim Veritas, vt etiam Bernardus verè dixit, magis elucet impugnata: & lauri imagine repræsentatur, quæ eadem imago est hominum piorum sub Christi crucis signo militantium: de quibus præclarè dicitur:

Pressa sub ingenti ceu pondere palma viresçit:
Sub cruce sic florent dedita corda Deo.

Christi tamen Spirituali & interna pace pios contentos esse decet: satis enim est quòd pacem habent primùm erga Deum, à quo fide ad iusticiam imputata, sunt iustificati: deinde, erga seipsos, quo nomine εὐθυμίᾳ vera fruuntur: postremò, erga consortes suæ fidei. Hoc autem persuasum habeant sibi cum carne hoste domestico: cum Mundo & Satana ea lege πόλεμον ἄσπονδον esse, vt tamen ea res vsibus ipsorum non mediocriter seruiat. Rectè enim Gregorius Nazianzenus pronunciauit in Apolog. Nemo vires suas in pace cognoscit: si enim bella desunt, virtutum experimenta non prosunt. Militent itaque pij bonam militiã: retineant fidem & bonã conscientiam: nec de corona gloriæ, quam promisit omnipotens ille & mentiri nescius Deus, vnquam dubitent.

Enimuerò, si in agone cruenti Martyrij, Veritatis lux & Pacis studiũ, à Spiritu Dei profectum, addit animum, facítque vt fides mundum vincat:

cat: quis, intelligens, ambigat, etiam in incruento idem præstare Veritatis Pacísque donum?

Babylas Episcopus Antiochenus, octogenario superior, cum aliquot frugi filiis, & grandæua sanctáque coniuge, catenis ferreis oneratus, scipione innixus, ducitur ab impiis Idololatris Paganis: petit carnificinæ initium à filiis (quos paternæ necis spectaculo tristi percelli nolebat) fieri: & cùm id impetrasset, recitat Iesaiæ verba: Ecce ego, & pueri quos dedit mihi Iehouah in signa & portenta in Israel à Iehouah. Illis occisis, quum ipse quoque ceruicem feriendam præbere pararet, primùm citra superstitionem postulat, ne mortuo catenæ detraherentur ferreæ, quæ sibi à Iesu Christo olim resuscitando, ornamento futuræ essent: illud significans, non se pudere catenarum quibus Christi caussa vinctus esset, ac se aureis catenis illas longè anteferre: deinde, repetit Dauidis verba, Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus, insigni rerum permutatione vsus, benefecit tibi. Liberasti animam meam à morte: oculos meos à lacrymis: pedes meos à lapsu. Ambulabo in terra viuẽtium. Sene sancto occiso, grãdæua coniunx, neglecta à Paganis, ipsa suis manibus, mariti & filiorum corpora terræ mandat. O commemorabile, fidei virtutis, quæ veritatis basi adamantina nititur, & pacem cum omnibus Sanctis sincerè colit, exemplum: dignum quod semper in numerato sit.

Exclamat ingẽti Spiritus ardore, in agone suo, Annas Burgæus, hieromartyr Christi, ad Spectatores quidẽ Martyrij sui: Non ego hîc sum vt latro aut homicida, sed tantùm pro Euangelij caussa: ad Deũ verò Agonotheten suum: Deus mi, ne me derelinquas, ne ego te derelinquam. Veritatis Spiritus & vnicus pacis auctor, has illi voces dictauit, quibus cælos ipsos penetrauit: & Martyrij coronam, meritis & ductu præeunte Iesu Christo, qui veritas, via, vita & pax nostra est, obtinuit: id expertus, quod piè & scitè dixit Tertullianus, Sanctorum videlicet Christi Seruorum & Martyrum, Agonothetam esse Deum Patrem, Epistaten Iesum Christum: Xystarchẽ Spiritum sanctum. Et illud eiusdem Scriptoris: Si apud Deum deposueris iniuriam ipse vltor est: si damnum, ipse restitutor est, si dolorem, medicus est: si mortem, ipse Resuscitator est.

Discamus igitur ipsi quoque in incruenti nostri martyrij palæstra, alienorum odiorum flammas, calumniatricum linguarum spicula, potentum quorundam præiudicia: exilij, paupertatísque incommoda: labores Deo quidem grata, Ecclesiæ autem salutaria docendi: & alia eleganter, patienter & constanter ferre: & intueamur exempla sanctorum aliquot huius ætatis Senum qui eruditæ doctrinæ, linguarum & artiũ optimarũ, ipsiúsque adeò Veritatis lampada iunioribus præferunt, & pacem suadent omnibus profitentibus Euangelium Christi: & tamen à delicatis quibusdam Conseruis duriter tractantur. Sæpè etiam singuli repetamus patheticos hosce numeros, quibus sæpè me exhilaratum fateor.

EPISTOLA.

Non ego dura pati discrimina mille recuso,
Dum tua constanti tueor mandata labore.
Sed ne deficiam, ne sæuo vincar ab hoste,
Tu mihi præstò veni: tu suffice robora fesso.

Vt autem in tota vitæ Christianæ periodo, Veritatem & Pacem lucere velim: quòd sciam, non defuturas illis, qui duobus illis Dei donis excellunt, diuinitatis Comites Anteuertam & Postuertam, vitæ, consiliorum & morum gubernatrices: sic in placidis & eruditis Theologorum Disputationibus, vtramque summo in honore, & in præcipuo etiam vsu esse, magnoperè cupio. Eo sanè nomine piæ & ingenioſæ Iuuentuti sæpè inculco amabiles hosce Aphorismos, quorum primus est Iohannis Chrysostomi: secundus, Ambrosii: tertius, Augustini. Disputare sine timore Dei, est veritatem subuertere. Inter Christi seruos collatio esse debet, non contentio. In Disputationibus sine Scripturæ auctoritate, nihil temerè asserendum. Placet enim mihi illud Apophthegma Theologicum, quod ex veteribus quidam Petro Apostolo tribuit: οὐδὲν ἄτερ γραφῆς λέγομεν.

Stultas & ineruditas quæstiones reiicio, sciens eas parere pugnas: ac sæpè cohorresco cogitans de rabie quorundam hominum, qui cùm suis Musis, non Charites, sed Furias adiungant, Filio Dei in suis membris horribiliter maledicunt: Ecclesias, pios Martyres & alios præstantes doctores in Christi Iesu sinu & contubernio iam suauiter quiescentes, anathemate prosequuntur, hæreseôn insimulant: & ne falsa dicere comperiantur, lectione librorum piè & eruditè & disertè ab illis scriptorum, suis interdicunt: nequaquam memores honestißimæ & æquissimæ sententiæ, quæ præcipit vt altera quoque pars, non vna solummodò, audiatur. Sed hæc hora est, & hæc tenebrarum potestas.

Quum autem, accessuris aliquando ad Rempub. administrandam, ex Politica prudentia & Iuris fontibus, ea ὧν δεῖται πόλις, fideliter tradenda, & historicis exemplis illustranda persuasum habeam: ijs sanè qui aliquando seu in Templis, seu in Scholis fidei, spei & caritatis doctrinam tradituri sunt, ea solùm ὧν δεῖται ἐκκλησία, perspicuè & demonstratiuè mihi exponẽda statuo. Res ipsa enim loquitur, cum duobus magnis malis, velut cum excetris, negocium illis futurum, quorum alterum est imperitia multorum hominum: alterum verò, contumacia in tuendis erroribus. Illi perspicua institutione, huic autem elencho, mederi conuenit.

Eo sanè consilio annis iam multis, non solùm docendo & Scripturas sanctas explanando, pro modulo doni quod à Christo Domino meo accepi; sed etiam disputando placidè & dialecticè, ac citra vllius mortalium satyricam insectationem, Iuuentuti me nõ omninò defuisse, testantur, arbitror, tum alia quædam mea Scripta exegetica, tum hæc Disputationum Theologicarum συλλογή: quam, profectò, non meo, sed sapientissimorum hominum

xum consilio & auctoritate motus, hoc tempore publici iuris feci. Non enim ignoro ἐντρώματα quædam videri posse, quæ nonnihil lambendo, speciosiora reddi potuissent. Sed qui doctrinæ sinceritate contenti, mea fata, labores & ærumnas Academicas, aliásque nonnullas cognitas habent & perspectas, hauddubiè æquiores erunt Censores, nec admodum mirum illis videbitur, quòd δευτέρας φροντίδας, quæ σοφωτέραι esse solent, probare Lectoribus: & summam huic operi manum & Colophonem, hoc quidem tempore imponere potuisse nego.

Vt autem Laconicus ille Rex Pausanias, satis sibi fore profitetur, si iusta præcipiens, & sancta faciens Spartanis suis placeat: ita quidem tenuiv e na præconia Christi dicere si detur, sat mihi laudis erit. Existimo autem & cæteros Lectores candidos & cordatos, vbi attentè καὶ ὁπερικῶς istas nostras disputationes legerint, & cum pijs suis cogitationibus prudenter contulerint, magnorum sanè virorum, qui mihi editionis maturandæ ἐπιδιωκταὶ fuerunt, iudicium, albis, quod dici consueuit, calculis, esse comprobaturos.

Neque verò, id mihi cordatos vitio daturos reor, quòd interdum etiam aliarum Gentium virorum doctorum Scripta quædam de Religione, in his Thesibus allegantur: quando prophetias non contemnere: spiritum neutiquã exstinguere: sed omnia probare: & quæ bona sunt retinere, iubemur. Postulat etiam id Sanctorum communio, vt ab alijs benè dicta probando, quantum quidem in nobis est aditum ad piam pacem in Ecclesia constituendam faciamus. Vult enim Deus nos hanc inquirere, & summa contentione persequi, & ambabus manibus ac toto pectore complecti.

Visum autem mihi est, Magnifici, Nobilésque Domini, Patriæ (meæ quoque in his terris omnium sanè dulcissimæ & desideratissimæ patriæ) Patres, nominis vestri laudatissimi inscriptione Theologicarum Disputationum istarum quasi quoddam Corpus, exornare: vt testarer me honestissimæ meæ patriæ & Ecclesiæ & Reipub. Dei beneficio admodum florentis, memorem esse & amantem: & me ei à Deo benedictionem spiritualem & terrenam ex corde toto precari.

Quotiescunque enim de inclyta & præpotente Ciuitate BERNA, in qua vitæ huius vsura munere diuino frui cœpi, cogito (sæpissimè autem, ita vt par est, & dulcis patriæ memoriæ suadet, de ea cogito) multa enimverò mihi, summa Dei beneficia & ornamenta in eam collata, longa & amabili quadam serie, in mentem mihi venire solent.

Fuit BERNA seculis iam fere quatuor, Ciuitas & libera & prudens & sibi amica: vt Platonis verbis vtar: & quum valeret caussa, caussámque tuentibus armis: inter medios & potentes hostes, sæpissimè victrix, emersit & Rempub. suam forti dextera asseruit: legibus optimis, præsidiisque constabiliuit, & præcipuo Dei munere eos sortita est

gubernatores, qui & bellica & togata fortitudine plurimùm excellerent.

Soleo interdum non tantùm animi cauſſa, ſed etiam vt opera καὶ μεγαλεῖα, & miranda Iudicia Dei Opt. Max. conſiderem, in amœniſsmos Hiſtoriæ veteris campos exſpatiari, & nõ tantùm virorum belli pacíſque artiũ gloria præſtantium, qui σύγχρονοι ſeu coætanei fuerunt: ſed etiam Ciuitatum, quarum alias commendat vetuſtas: alias laudata ob virtutem Conditorum, Magiſtratuum & Ciuium, nouitas, fata animo & cogitatione luſtrare, & pro earum gubernatione & defenſione miſcere vota ad Deum, qui transfert & ſtabilit ſummas, mediocres & inferiores Politias.

Conſtat Friburgum Nuichtonum, & Ciuitatem veſtram, Friburgũ itẽ Briſgoiæ, συγχρόνους eſſe ciuitates: ſed diſsimilem earum fortunam extitiſſe res ipſa loquitur: etiamſi eundem duæ priores κτίστην, ſeu Conditorem, Berchtoldum 4. eius nominis Zeringiæ ducem, habuiſſe perhibeantur.

Laude autem digna fuit, quorundam eius ætatis Regum & Principum virtus, quòd ditiones ſuas ædificijs ornandas & muniendas, non vaſtandas eſſe cenſuerunt: vt econtrà non immeritò culpanda eorũ cupiditas eſt, qui ſuis regionibus & vrbibus nõ cõtenti, alienas inuaſerũt & occupârũt.

Eodem verò tempore, quo Berna condita eſt, vrbs olim dicta Auguſta Tiberia, quam nunc vocamus Ratisbonam ad Danubium, libertatis amabile decus & priuilegium obtinuit: quum longo tempore fuiſſet ſedes Aulæ Bauaricæ. Contra, vt ſunt miræ vices humanarum rerum, duæ celeberrimæ vrbes Saxoniæ, Hamburgum & Lubeca, à Daniæ Canuto VI. in ſeruitutem redactæ ſunt, quæ etiam durauit annos 25: quum initium ſortita eſſet, Philippo, Friderici 1. Barbaroſſæ filio, imperante, Anno Epochæ Chriſtianæ 1200. Solent enim quidam Reges & Principes ciuitates opibus ordine & præſidijs florentes, velut amaſias ſuas, ſed cum gladijs, accedere, vt Leo Byzantinus Philippo Macedonum Regi, vrbem Byzantium obſidere paranti, mœſtus olim dicebat.

Vt autem annos circiter 49. ante Bernam conditam, Corona Ciuitatum imperialium in Baltico litore, Lubeca ædificata: inclyta verò Ciuitas Noribergenſis (quæ ob fidem Henrico 4 Imperatori in eius rebus aduerſis conſtanter ſeruatam, crudeliter vaſtata fuerat ab eiuſdem filio Henrico 5.) à Conrado Imperatore, & Sueuiæ duce, inſtaurata eſt: ſic anno à condita Berna 32: Æræ autem Chriſtianæ 1223, VValdemarus II, Rex Daniæ condidit celeberrimam Liuoniæ vrbem Reualiam, quæ noſtra ætate Moſchorum immanitatem & truculentiam experta eſt. Sunt enim quidam Reges & Principes (vt de duobus Philippis, verſus oraculi, qui apud Pauſaniam leguntur, monent) ſuis ſubiectis, & vicinis, ἀγαθὰ, ſeu publicorum & maximorum bonorum auctores: quidam verò πήματα, & velut Alaſtores, quorum technas & vim Deus armipotens, aliquando ad ſuos caſtigandos ea lege adhibet, vt tamen illorum conſilia tandem diſsipet, & potentiam ſubuertat: efficiátque vt pleonecticis dynaſtis aliena inun-

cantibus id tandem eueniat, quod est in prouerbio: Camelus cornua desiderans, etiam aures amisit. Hæc nimirum iusta pœna est τῆς πλεονεξίας quã Plutarchus verè appellat σύμφυτον νόσημα dynastarum, non quàm benè, sed quàm multis præsint, spectantium.

Inter Ciuitates autem (si vetustissimis opponantur) paulò recentiores, quæ breui tempore, Deo benedicente, opibus, potentia, rebus præclarè gestis, admodum inclaruerunt, & caput inter cæteras extulerunt, Bernam & Dantiscum in Borussia, conferre soleo. Constat enim vtramque ab initiis paruis, tempore breui incrementa magna habuisse, quorum multæ fuerunt caussæ. Accidit etiam vtrique id quod Demosthenes verè dixit: Vrbes ac regiones in medio potentium sitæ, materiæ sunt bellorum. Sed hactenus vtramque Deus, qui ὁσιότητας τε καὶ κατοικίας humano generi constituit, clementer defendit, & multis magnísque veræ Religionis, artium aliísque ornamentis & præsidijs, benignissimè instruxit.

Experta est Berna singularem beneuolentiã Friderici 2. Imperatoris qui ei ob egregiam fidem & merita, priuilegia non vulgaria, Senatus creandi auctoritatem plenam, monetæ cudendi ius, & alia contulisse dicitur, sublato seruitutis iugo. Proprium enim Ciuitatis est vt sit libera, & non solicita suæ cuiusque rei custodia, vt alicubi Cicero pronunciauit.

Etsi autẽ initia bellorum, quæ ad defensionem patriæ Senatui Populóque Bernensi, cũ varijs hostibus gerenda fuerunt, vt est Mars communis & victoria ἐπεφαλὴς, nonnihil aduersa fuerunt: vt est videre in historijs de conflictibus, cum Godofrido Habsburgẽsi, cum Alberto Austriaco, qui ἀκύρηκτον πόλεμον, vrbi intulit: Tamen, manifesta fuerunt præsentiæ & protectionis diuinæ argumenta, in bello cum ξυμμάχοις quibusdam vicinis, Anno Christianæ Epochæ 1291. in quo Bernates socios fidos habuere Solodorẽses & Comites Kyburgensem & Arbergensem: & in commemorabili pugna Lauppense, quæ incidisse dicitur in Annum Domini 1339. Iun. 21. Prælium Atheniensium & Medorum ad Marathonem, cum Lauppensi pugna, conferre soleo: Vtrobique enim aduersus exteros pro aris & focis pugnatum fuit fortissimè, ac quod in illo Miltiades, id in hoc Rodolphus ab Erlach, patriæ præstitisse videtur. Neque sanè id mirum videri debet, quando donec eadem est hominum natura, similia sæpius fieri, quibusdam tantùm circumstantijs mutatis, consentaneum est: vt rectè Thucydides censuit.

Sed enim, iam de cæteris politicis & polemicis inclytæ vestræ vrbis rebus gestis, nihil dicam: sed ad id donum Dei opt. max. quod meritò summum censeri debet, videlicet ad veræ Religionis decus, me conuertam. Si caussa magna fuit, cur Dauid Rex sanctissimus diceret: Beatus populus cui sic est: beatus populus cuius Deus est Iehouah. Item, Notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum est eius nomen: certè iusta caussa est cur Deo gratias immortales agamus, quòd Anno Domini 1528, Disputatione de

controuersiis Religionis, eruditè, orthodoxè, piéque Bernæ, à doctissimis Theologis habita, in vrbem & prouincias eius amplissimas Euangelium regni sui introduxit: Ecclesiis vestris sic benedixit vt longo iam tempore, & halcyonijs fruerentur, & sinceræ doctrinæ decus inuiolatum retinerẽt, & haberent multos pios pastores & doctores, quorum esset amabilis consensus, & veluti παναρμονία quædam. Existimo autẽ principem concordiæ istius caussam, & veluti basin fuisse primùm quidem veritatem cælestem, quæ quũ Ecclesiæ & Scholæ vestræ luminibus cordi sit fuerítque, illã firmã & stabilem effecit: deinde & gloriæ vanæ contemtum. Scitè enim Bernardus de contentiosis hominibus dixit: Pacem contemnentes, & gloriam appetentes, pacem perdunt & gloriam.

Faxit autem Dominus noster Iesus Christus, vt omni benedictione spirituali, Ecclesia, & apud vos, Magnifici Domini & Patriæ Patres, & in vicinia, aliísque in locis, redundet: & sit dulcis consensus docentium & discentium: nec patiatur Deus seu armis, seu impia doctrina, turbari ocia, quæ ille vnus vobis dedit. Sit pax in antemurali vestro, prosperitas in palatijs vestris. Misericordia & veritas occurrant sibi, iusticia & pax sese mutuò osculentur. Veritas è terra germinet, & iusticia è cælo prospiciat. Iehouah roboret vectes portarum vestrarum & benedicat filijs vestris: ponat terminum vestrum pacem: vt mea vota dulcissimis verbis Dauidis testata faciam.

Vt autem hanc συμφώνησιν, mei erga patriam amoris, testimonium: sic etiam velut indicem doctrinæ, quam in hac Basiliensi Academia, pro meo modulo, profiteor, ei quæ in vestra Ecclesia, Dei beneficio sonat, vt spero, consentientem, ideò quoque esse volui, quia doctissimi Ecclesiæ & Scholæ vestræ Theologicæ pastores & doctores si quos Adolescentes huc ad nos Theologici studij caussa mittunt, plerumque illos mihi accuratè commendant. Quod autem doctrinæ sacræ genus illi apud nos addiscant, hæ Disputationes testantur: in quibus nihil est quod non libenter Ecclesiarum ex præscripto verbi Dei reformatarum iudicio grauissimo libenter subiiciam. Vellem autem me, & priuatim & aliàs quoque vestræ Iuuentuti, quæ apud nos versatur, fideli institutione prodesse. Sed mearum occupationum congeries, & ærumnæ multiplices faciunt, vt non nisi publicè docendo & disserendo, eorum studijs adesse possim. Deum itaque oro, vt is piis eorum studiis vbertim benedicat, vestræq; Ecclesiæ veritatis fideles promos subministret, ne vnquam lux sanæ doctrinæ in patria mea dulcissima extinguatur: sed potius toti tum viciniæ tum posteritati præluceat.

Benè valete Magnifici Domini. Dominus Iesus clementiã, iudiciũ, iusticiã, pacémque vobis dare pergat, ad æternam suã gloriã, & totius patriæ tranquillitatẽ & salutẽ. Basileæ, Calendis Aperilis, Anno Domini 1584.

Magnificentiæ vestræ

Studiosissimus & amantiss.

Ioh. Iacobus Grynæus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

INDEX THEOLOGICARVM DISPV-

tationum, quæ annis aliquot proximè præteritis habitæ sunt in Basilienſi Academia.

EARVM Disputationum loco quarum Exemplaria non exstant, initio huius Operis, duarum sacrarum συζητήσεων Capita præmittimus.

1. *De Euangelio Iesu Christi secundũ Matthæum, Theologici Colloquij, Capita.* pag. 1.

2. *De Iesu Christi Redemtoris nostri, & eius beneficiorum apprehensione per fidem, Theorema & Problema Theologicum, methodicè explicatum.* 36

Disputationum series iuxta annos subsequentes.

1576.

3. *De Scriptura Canonica, Disputationis sacræ Theses.* 49

4. *Methodus definitiua de Iustificatione fidei.* 56

5. *De Restitutionis nostræ causis & dispensatione, Disputatio.* 58

1577.

6. *De vera Sapientia, quæin Dei & Nostri cognitione posita est, Aphorismorum decades quinque, de quibustotidem Disputationes institutæ sunt.* 66

7. *De sacræ Theologiæ Methodis Theses & Tabulæ quædam.* 71

1578.

8. *Character Christianorun, seu de Fidei, Spei & Charitatis doctrina, Theses* CIX: *de quibus multis Disputatonibus actum fuit.* 93

9. *De magno Pietatis myserio, Theses.* 127

1579.

10. *Synopsis historiæ Homnis, seu de prima Hominis origine, eiusdem corruptione, Reconciliatione cum De, & æterna salute & restitutione, Theses ducentæ, de quibus multæ συζητήσεις in Basilienſi Academia sunt habitæ.* 130

11. *Analyticæ Theses de Symbolo Apostolico, de quibus aliquoties disputatũ fuit.* 203

12. *De Verbo Dei & eiussigillis, Theses.* 8. 222

1580.

13. *De Vita æterna, Tiesium decades decem: de quibus totidem Disputationibus actum est.* 222

1581.

14 *De Iustificatione filei, Capita ad disputandũ proposita, ab inclyto & illustri, Domino Hieronymo Schlick Comite de Passaun & Domino in VVeisskirchen.* 233

15. *De Peccato Originis, Theses quatuor, de quibus totidem Disputationibus actum fuit.* 234

16. *De Litera & Spiritu, & de Ministerio Spiritus, ἀξιώματα: de quibus in duabus ordinariis Disputationibus actum fuit.* 235

17 *De Prophetarum & Apostolorum suauissima τῇ παναρμονίᾳ, in tota Theologia, Theses trimestribus Disputationibus expositæ.* 236

Aphorismi, de vnico & æterno Dei Testamento. 239

1582.

19. *Thesium, de historia Fidei Christianæ, Decades sex, continentes Symboli*

Apostolici expositionem: de quibus senis Disputationib. ordinariis συζητήσεις habitæ sunt. 241

20. *De certitudine doctrinæ Christianæ Theses, oppositæ imaginationibus Pyrrhoniis.* 304

21. *De Missa Pontificia Theses, quæ ostendunt eam non esse Cœnam Domini nostri Iesu Christi.* 320

22. *De forma Dei, & de forma Serui, Theologica Disputatio.* 330

23. *De Libro vitæ, Disputatio.* 338

24. *De illaudata doctrinæ Papisticæ vetustate, Theses, quæ ostendunt eam non esse præiudicio doctrinæ veræ, quam amplexæ sunt & profitentur nostræ Ecclesiæ.* 343

25. *Theses Analyticæ de Epistola Pauli Apostoli ad Galatas, Disputationibus quinque explicatæ.* 351

26. *De Ecclesia Dei Theses decem, oppositæ Anabaptistarum erroribus.* 409

1583.

27. *De Deo Redemtore Theses, continente expositionem dicti: Iesus Christus hodiè & heri idem est & in secula. Hebr. 13. 8.* 411

28. *Problema Theologicum, de dicto Pauli Apostoli: Deus vult omnes homines saluos fieri. 1. Tim. 2. 4.* 413

29. *De Libero arbitrio, Theses.* 414

30. *Quæstio Theologica, de particula exclusiua Sola, in propositione de fidei Iustificatione.* 416

31. *De Mediatoris Iesu Christi inuocatione Theses, Iesuitis oppositæ.* 420

32. *Disputatio contra Ebionitas, Iesu Christi Domini nostri deitatem veram & æternam negantes.* 424

33. *Anacephalæosis, de Censura veræ & falsæ Religionis.* 428

34. *Theologica Censura Problematis, de fœlibus mortẽ expauescentibus.* 434

35. *Problematis de dicto Augustini, quo Sacramenta Patrum & Nostra, signis differre, re eadem esse affirmatur, expositio.* 442

36. *Orthodoxa assertio Theorematis Theologici, de æterna deitate Iesu Christi: hæresi Arianæ opposita.* 452

37. *De Consolatione Ethnica & Christiana, censura Theologica.* 456

38. *De Fine Euangelicæ historiæ de Iesu Christo, Capita quædam ad disputandum proposita.* 474

39. *De Iustificatione fidei, Theses.* 480

40. *De Hostibus diligendis, Theologica Disputatio.* 484

41. *Defensio sententiæ, quæ statuit piè facere Magistratus Euangelici nominis, quando idola è templis, ex præscripto legis diuinæ tempestiuè submouent.* 492

42. *Theses de uno Iehouah & tribus Elohim, auctore* IOANNE HARDIO, *Hammonensis in VVestphalia Ecclesiæ Pastore.* 509

1584.

43. *Theorema Theologicum, de sanctorum Patria, è S. Bibliis petitum.* 513

44. *Decas Aphorismorum de vera Religione.* 521

45. *De vera Dei Ecclesia, Capita piæ doctrinæ.* 531

46. *Disputatio Theologica de Iustificationis veris caussis: & de Iesuitarum erroribus, qui illis manifestè aduersantur.* 539

FINIS.

DE EVANGELIO SECVNDVM MATthæum, ſacri Colloquij Capita.

I.

PERT animus, Θεῦ δόντος, oſtendere, primùm, quæ Principia, in Ieſu Chriſti Domini noſtri Euangelij lectione, aſsiduè nobis ſint conſideranda: deinde, quo pacto Anacephalæoſis Euãgelij ſecundum Matthæum, ſit inſtituenda.

Faxit æternus & omnipotens Dei Filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt quod ipſius gratia freti ordimur, id ſic pertexamus & abſoluamus, vt omne ipſius gloriæ & Sanctorum vſibus ſeruiat.

II.

PRINCIPIA externa ſunt Efficientes & Finales Cauſſæ: de quibus ordine agendum erit.

1. Euangelicæ hiſtoriæ Efficiens principalis Cauſſa eſt, Spiritus ſanctus, docens omnia & ſuggerens ea, quæ Chriſtus Ieſus Apoſtolis ſuis dixit. Ioan.14.26.

Enimuerò non aliud eſt αὐτὸν κύριον, Librorum Canonicorum noui Fœderis, quàm veteris Teſtamenti, ſeu Propheticorum Scriptorum.

Conſtat autem non hominis volũtate allatam olim eſſe Prophetiam: ſed actos à Spiritu ſancto loquutos eſſe ſanctos Dei homines. 2.Pet.1.21.

Certum itaque eſt Libros noui Fœderis à Spiritu ſancto profectos eſſe: & per conſequens,

Certum eſt ſacroſanctam καὶ ἀμεταπλήκτον eorum auctoritatem eſſe, id quod in Domino perſuaſum habere fidei noſtræ plurimùm intereſt.

2. Organica cauſſa, huius primi libri, & amanuenſis Spiritus ſancti, eſt Matthæus Euangeliſta, de cuius vocatione alibi dicitur.

Euſebius Eccleſ.Hiſt.lib.3.ca.18. Matthæus, air, quum iam antea Hebræis Verbum Dei prædicaſſet, ſimul ac in animo habuit ad alias Gentes proficiſci, Euangelium ſuum patrio ſermone conſcripſit: & quod illis, à quibus diſceſsit, deeſſe, dum præſens apud eos erat, videbatur, illud ſedulitate & labore ſcribendi omnibus ſuis quaſi numeris expleuit.

Ferunt autem id præſtitiſſe Matthæum, Anno Mundi conditi 4010. Epochæ Chriſtianæ 40. in quem incidit 3. annus C. Caligulæ, quo eodem anno & P. Pilatus ſibiipſi mortem conſciſcens, miſerè periit: & Herodes, interfector Baptiſtæ, vnà cum Herodiade, in exilium, iuſto Dei iudicio, miſſus eſt.

3. Finales cauſſæ & huius libri & cæterorum Euãgeliographorum, hoc Iohannis Euangeliſtæ dicto, indicantur, Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis Ieſum eſſe Chriſtum Filium Dei, & vt credentes, vitam habeatis per nomen eius. Ioan.20.31.

Primus finis Euangelicæ hiſtoriæ eſt, Chriſti Ieſu per fidem agnitio: proximus, agnitio noſtri & ſalutis per Chriſtum participatio. Seu, Euangelicæ hiſtoriæ, finis τέλος, eſt agnitio vera tum Chriſti, tanquam Capitis, tum noſtri,

velut illius Membrorum: sed finis φ, est habere vitam per Christi nomen, & fidei obedientiam auctori salutis præstare.

Ex his colligimus, rectè dici Euangelium gratiæ Dei, Act. 20.24. sermonẽ salutis, Act. 13.26. potentiam Dei ad salutem, cuiuis credenti. Rom. 1.16. Meminerimus autem, nõ nudam contemplationem fidei, sed salutarem actionem, quæ in Christi Iesu apprehensione ad salutem lucet, in Euangelio nobis commendari.

III.

INTERVA autem principia sunt Materia & Forma.

1. Materiam, quę Iesu Christi personam, officium, beneficia & gesta cõplectitur, Lucas Act. 1.1. breuissimè indicauit his verbis: Primum quidem librũ cõfeci, Theophile, de omnibus quę cœpit Iesus FACERE & DOCERE. Ad duo itaque capita, materiam Euangelij reuocare licebit, quorum alterũ factorum Iesu Christi, quibus & perpessiones adnumerare licebit: alterum Doctrinæ proprium est.

Vt autem fidei nostræ fuerit, Christi gestorum & perpessionũ meritis: & eiusdem doctrinæ veritate, niti: sic nostri muneris fuerit, tota quidẽ vita & morte nostra, Capitis nostri exemplo, Deo obedire & eum glorificare: in doctrina verò cælesti, sinceritatis amantes esse, & eiusdem promulgandæ studiosissimos.

2. Forma constat Synthesi historica, quæ tamen Theses permistas habet. Libet autem eius σωματοποίησιν subiicere, duobus illustrissimis dictis constantem, quorum alterum est διηγικὸν, alterum verò fusius & historicum.

1. Tim. 3.16. Et citra controuersiam magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, iustificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam.

Hoc est. Euangelium hoc docet, Deum, qui est inuisibilis, & inaccessam lucem habitat, misso Filio vnigenito, in huius Carne visibilem factum: sic tamen vt Deitatis maiestas abundè comprobaretur: Angelis porrò, Deum in carne patefactum sic visum, vt eum adorarent: prædicatum quinetiã Gentibus esse, non solis Iudæis: ac fidem illi habitam ab omnibus qui prædestinati essent ad æternam vitam: denique eundem exaltatum ad dexteram Patris, nomen accepisse, quod est supra omne nomen.

Sed enim è re nostra fuerit Euangelicæ historiæ summam petere etiam è 10. cap. Actorum: in quo hæc Petri Apostoli verba ad Cornelium & alios, habentur. Deus annunciat pacem per Iesum Christum, qui est omnium Dominus. Vos nostis quod gestum est in tota Iudæa, initio facto à tota Galilæa, post baptisma (sic vocat μετωνυμικῶς etiã doctrinam) quod prædicauit Ioannes. Vt Iesum Nazarenum vnxerit Deus Spiritu sancto & potentia, qui obambulauit beneficiis afficiens & sanans omnes sub Diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo. Quorum omnium quæ & in regione Iudæorum & in Hierusalem fecit, nos etiam testes sumus: quem interemerunt suspensum in ligno. Hunc Deus excitauit tertio die, fecitque vt conspicuus fieret: non toti populo, sed testibus quos ipse prius designauerat, nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus vnà cum eo posteaquam resurrexit à mortuis. Præcepit autem nobis vt prædicaremus populo, ac testificaremur eum esse qui definitus sit à Deo Iudex viuorum ac mortuorum. Huic

etiam

etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis, qui crediderit in eum. v. 36. vsque ad finem versus 43.

III.

POSTVLAT iam instituti nostri ratio, vt Anacephalæosin Euangelicæ Historiæ instituamus. In hac autem, primò Rerum & Temporum seriem: deindè, Capitum Euangelij secundum Matthæum Oeconomiam, ὡς ἐν τύπῳ, oculis spectandam, & religiosis mentibus accuratè considerandam, subiiciemus.

Prius autem quàm de Rerum, de quibus Euangelistæ ex professo loquũtut, serie agamus, aureæ basis instar, substernimus hunc de Symphonia Scriptorum vtriusque fœderis, Syllogismum.

Emmanuel ille, Rex, Sacerdos & Propheta Ecclesiæ catholicæ: Iehoua Dauidis, secundum Deitatem, Filius autem eiusdem, secundum humanitatem: suo tempore nascetur ex virgine: Euangelium è sinu Patris proferet, & Miracula ingentia ac salutaria editurus est: legi, nomine totius Ecclesiæ, satisfaciet: Seipsum offeret victimam piacularem vt tollat peccatum Mundi: Mortem moriendo & resurgendo, vincet: Ascendet in altum, captiuam ducet captiuitatem: donis Spiritus sancti implebit Ecclesiam: suo autem tempore rediturus est ad iudicium. Hæc Maior tradita est in libris veteris Testamenti.

Iesus autem ille Mariæ Filius, est Christus ille ἀνθρωπος, de quo solo illa omnia verè dicuntur: vt magno consensu attestantur Euangelistæ & Apostoli in omnibus noui Fœderis libris.

Quare de eo vno rectè pronunciauit Spiritus sanctus, per os Pauli Apostoli: Iesus Christus hodie & heri idem est, & in secula. Hebr. 13. 8. Nec est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Act. 4. 12.

V.

RERVM seriem instituemus eo ordine, quo Symbolum Apostolicum (quod Methodo historica scriptum esse, nec in Allegorias transformandũ, Pij omnes rectè pronunciant) de Iesu Christo Saluatore Mundi, compositum esse videmus. In Symboli autem Apostolici parte secunda, agitur

1. De exhibitione Messiæ, seu de eius missione in hunc Mundum, de qua Ioan. 1. 14. Sermo ille Caro factus est, & commoratus est inter nos &c. ac ipsemet Christus loquitur, Ioan. 6. 57. Sicut misit me viuens Pater. Ad hanc partem pertinent ea omnia, quæ de Conceptione eius de Spiritu sancto: & de natiuitate eiusdem ex Maria Virgine, dicuntur. Matt. 1. & 2. cap.

2. De eiusdem verò Ministerio, quo fungi cœpit circiter ætatis suę annũ xxx: qui incidit in annum à Mundo condito, 4000. Huc referri debet Euangelij promulgatio: Legis vera expositio: institutio Ministerij noui Testamenti & Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ: Miracula & alia.

3 De Redemptionis nostræ opere, quod complectitur Christi Iesu Perpessiones, quas nostra caussa tam in Corpore quàm in Spiritu tulit: Resurrectionem & victoriam de Peccato, Morte & Satana deuictis.

4. De Ascensione eiusdem in Cælum, seu de Reditu ad Patrem, de quo ipse quoque testatus est hisce verbis: Nam ego ad Patrem proficiscor. Ioan. 14. 12. Item, Nunc autem abeo ad eum qui misit me, & nemo ex vobis inter-

rogat me quò abeam. Sed quia hæc loquutus sum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.Sed ego veritatem dico vobis,expedit vobis vt ego abeam:niſi enim abiero,Conſolator ille non veniet ad vos : ſin autem profectus fuero, mittam eum ad vos.Ioan.16,5.6.7.& verſu 28.Exiui à Patre,& veni in Mundum:iterum relinquo Mundum & proficiſcor ad Patrem. Ideò ſcientes nos aduenas eſſe in corpore,peregrè abſumus à Domino.Per fidem enim incedimus,& non per aſpectum.Confidimus autem,& probamus potius migrare è Corpore,& ad Dominum ire habitatum.2.Cor.5.v.6.7.8.

Hoc Symbolico ordine,quatuor ſanctos Euangeliographos, Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum, miniſterium & reditum ad Patrem deſcripſiſſe, res ipſa loquitur.

Incidit autem Chriſti in Cælum aſcenſio,in annum Ieſu Chriſti in Carne exhibiti xxxiiii. Mundi conditi 4004.

V I.

Accedimvs iam ad Capitum Euangelij ſecundum Matthæum,breuiſſimas συνόψεις : in quibus pias mentes ad hanc propoſitionem (Ieſus iſte, eſt Chriſtus, θεάνθρωπος, Saluator vnicus)velut ad Cynoſuram,ſemper reſpicere oportet.

Quadriuariam autem partiemur librum Matthæi Euãgeliſtæ,ſic vt prima eius pars,de Exhibitione Meſsiæ,ſeu de natiuitate Chriſti : ſecunda,de eius Miniſterio,doctrina,dictis & factis:tertia,de Redemtione noſtra per Chriſti mortem & reſurrectionẽ:poſtrema, de eiuſdem Aſcenſione & reditu ad Patrem,præcipuè agat.

V I I.

Pars prima Euangelii ſecũdum Matthæũ, de Meſsiæ exhibitione.

De Meſsiæ benedicti exhibitione,piis in veteris Teſtamenti Eccleſia lõgè omnium deſideratiſsima,agit Matthæus in duobus primis capitibus.

Capitis 1. hic Syllogiſmus princeps eſt. Meſsias ille Patribus à Deo promiſſus,ſecundum carnem naſcetur ex ſemine Abrahæ & Dauidis,& quidem è virgine:erit Emmanuel,id eſt, medius & conciliator Dei & Hominum:ſic enim erit Homo verus,vt idem ſit naturâ æternus Deus:& ſic erit Deus, vt ſit,reſpectu aſſumtæ naturæ,naturâ Homo:vocabitur etiã Ieſus,propter Iuſtificationis beneficium,quod ille vnus nobis qui in eum credimus,præſtat.

Hæc omnia de Ieſu illo,nato ex Maria virgine,veriſimè affirmantur etiã à ſancto Angelo,Prophetarum oracula allegante.

Certiſsimum itaque eſt hunc ſolum Ieſum,eſſe Meſsiam ſeu Chriſtum.

Theſes Capitis 1.

1. Ieſus ille,qui eſt & dicitur Chriſtus,natus eſt(ſecundum Scripturas & oracula Prophetarum) ex ſemine Abrahæ & Dauidis : ſed iuxta carnem : vt in hac ſacra Genealogia euincunt Teſſaradecades Patrum,Regum & Ducũ.

2. Idem conceptus eſt de Spiritu ſancto,vt eſſet Sanctus ille Domini,& ἀπάτωρ,ſine patre:Teſtibus Angelo Domini,& Ioſepho nutricio.

3. Emmanuelis quidem nomen , tam à perſonæ duabus diſtinctis naturis,diuina inquam & humana:quàm à mediatoris munere, quo Deum inter & Homines ipſe vnus fungitur,1.Tim.2.5.Ieſu autẽ nomen,à conſeruatione populi ſui à peccatis,auctoritate diuina,eidem iurè eſt impoſitum.

4. Manifeſtum itaque eſt,Mariæ τῆς θεοτόκου virginis filium, eſſe Chriſtũ, Patribus promiſſum,& tempore plenitudinis exhibitum.Gal.4.4.

Capitis 2.hic Syllogiſmus princeps eſt.

Meſsiam

Messiam nasci oportet, in ea Bethlehem, quæ est Iudeæ. Mich. 5.2. Sceptro iam à Iuda sublato, Gen. 49.10. in prima ætate ex Ægypto reuocari. Hoseæ. 11.1. Nazarenum quinetiam vocari. Iud. 13.7.

Hæc omnia, Anno Mundi conditi 3971, completa sunt in Iesu Filio virginis Mariæ, qui natus est Bethlehemæ Iudeæ, regnante Herode magno, qui fuit Idumæus, quo etiam in paruulos sæuiente, ille in Ægyptum deportatus est: ac inde, Domino per Angelum quid fieri vellet Iosephum submonente, Nazaretham Galileæ reportatus, vnde Nazareni cognomentum eidem est inditum.

Hic igitur Iesus Nazarenus, est Messias ille olim promissus, nunc verò exhibitus.

Theses Capitis 2.

1. Etsi Christus pauper natus est, vt nos illius paupertate diteſceremus. 2 Cor. 8.9. Deitatis tamen, & regiæ dignitatis, signum in cælo, & testimonium in terra, à Magis studiosè exhibitum, obtinuit.

2. Vt Christi exhibitio, piis gaudio fuit: sic impiis tam Sacerdotibus & Scribis, quàm Magistratibus terrori extitit, quum vtrique opinarentur terrenum Principē fore. At qui eius regnū non est ex hoc mundo. Ioan. 18.36.

3. Christus dux est & pastor verorum Israelitarum.

4. Sustinuit Christus, secundum carnem adhuc infans persecutionem, in seipso exilium, in paruulis cædem: sed cuius momenta diuina prouidentia moderaretur.

5. Vt Deus somniis diuinis Iosephum, per Angelum de rebus agendis & omittendis edocuit: ita nunc quoque seu mediatè, seu immediatè suos cōmonefacit de omnibus, quæ ipsos scire interest. Somniis autem, quādo horum multa naturalia, quædam diabolica, pauca θεόπνευστα sunt, nihil temerè deferendum est.

6. Patria, educatio & profectus Iesu, argumento fuerunt, eum esse Nazaræum, & ἅγιον, sanctum, Luc. 1.35. qui solus nos sanctificat. Heb. 2.11.

VIII.

Pars secunda Euangelicæ Historiæ.

De Ministerio Iesu Christi, cuius nomine vocatur Apostolus & Pontifex nostræ Confessionis, Hebr. 3.1. agitur in sequentibus Euangelij secundum Matthæum capitibus, vsque ad finem 25. Capitis.

Omnia autem quæcunque & fecit & docuit Iesus Nazarenus, argumento sunt, eum solum esse Messiam à Patre exhibitum. Religiosæ autem artis est, omnia quæ Matthæus & cæteri Euangelistæ memoriæ prodiderunt, ad hūc referre finem.

Sit autem piis in conspectu hic Typus Chronologicus, qui seruit distinctioni temporum & periodi Ministerij Domini nostri Iesu Christi.

Anno Mundi 3999, Christi Iesu 29, Tiberij Cæsaris ἰσαμβίου anno 15. Ioannes Baptista prædicare cœpit pœnitentiam & remissionem peccatorum, in nomine Agni Dei, qui tollit peccata mūdi. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioā. 1. & 3.

Sequente anno Dominus Iesus baptizatus & tentatus est, sibique adiunxit συνέργους Apostolos. Matth. 3. & 4. &c.

Anno Mundi 4001. Christi 31, primū Pascha, quod in Domini nostri Iesu Christi ministerium incidit, celebratum fuit, de quo Ioan. 2.

Ad hoc tēpus referri debent, Eiectio vendentium & ementium in Templo: Colloquium de Regeneratione hominis animalis, cum Nicodemo ha-

bitum:Ioannis baptistæ captiuitas,&c.

Anno Mundi 4002.Christi Iesu 32.secundum Pascha celebratum fuit,de quo consulenda sunt hæc Capita,Matth.12.Luc.6.Marc.2. Ac octauo post Pascha die discipuli ob spicas euulsas,reprehensi à Pharisæis , à Christo excusati sunt. Eodem anno iussu Herodis interfectus est Ioannes baptistes. Matt.14.

Anno Mundi 4003,Christi Iesu 33,tertium illud Pascha celebratum fuit, de quo Ioan.6.

Anno Mundi 4004,Christi 34 ,resuscitato à mortuis Lazaro Bethaniense,celebratum est Pascha quartum,cuius tempore , Christus semel oblatus est,vt multorum peccata tolleret,Hebr.9.28. traditus propter offensas nostras,& excitatus propter iustificationem nostri. Rom.4.25. Scio,de initio istius Chronologiæ,paulò aliter nonnullos pronunciasse : si tamen cordati Lectores hanc nostram ritè perpendent , animaduertent & rationes firmas & auctoritatem ei minimè deesse.

IX

CAPITIS 3.hæc Demonstratio est.

Is demum Christus est,cui secundum Isaiæ & Malachiæ vaticinia , Elias secundus,prædicatione pœnitentię viam præparauit:qui solus baptizat Spiritu sancto & igni:cuius est triticũ,hoc est,fideles,ab infidelibus , ceu paleis ,seiungere:qui nostrum baptismum suscipiendo sanctificauit , vt omnem impleret Iusticiam : denique, qui in illustri sacrosanctæ Trinitatis patefactione adIordanem,clarissima hac æterni Patris voce,glorificatus est : Hic est filius ille meus dilectus,in quo acquiesco.

De Iesu Nazareno hæc omnia verè dicuntur.

Is igitur vnus est Messias seu Christus.

Theses Capitis 3.

1. Suo tempore Ioannes baptista,pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicando , Christo viam præparauit:vt suo exemplo doceret Pastores Ecclesiarum,instante iam secundo & glorioso Christi aduentu ad iudicium,Domino viam ipsis quoque summo studio esse præparandam.

2. Etsi Ioannes nulla edidit miracula,vitæ tamen integritate dictis suis non minorẽ fidem cõciliauit,quàm si miraculis editis inclaruisset. Ioan.10. 41.Ornent igitur Ecclesiarum pastores Ioannis baptistæ exemplo , ministerium sacrum,inculpatæ vitæ testimonio:ne alios docentes ipsi reprobi inueniantur.1.Cor.9.27.

3. Dispensatio Verbi & Sacramentorum,seiungi non debent.

4. Conuersio ad Deum complectitur,mortificationem carnis nostræ, cuius testimonium est confessio peccatorum :& viuificationem Spiritus nostri,cuius sacramentum est baptismus.

5. Quum soli fideles consortes sint fœderis gratiæ , quo Deus germanam Abrahæ sobolem sibi iunxit : etiam atque etiam videndum nobis est, anne ipsi quoque ex fide simus,ac proinde benedictionis consortes cum fideli Abraham:Gal.3.9.Nõ enim filij carnis,ij filij Dei:sed qui sunt filij promissionis,censentur in semine. Rom.9.8.cæteri quoniam sunt arbores non ferentes fructum bonum,excindentur,vt tandem constet nunquam eos fuisse in numero verorum Abrahæ filiorum.

6. Quũ Baptismus cõstet,primũ,re terrena & omnibus, qui eo abluũtur, communi,

communi, videlicet Aqua sancta propter vsum & Dei verbum: deinde, Re cæleſti, nimirum Sanguine Chriſti, quo emundãtur Saluandi à peccatorum ſordibus: & Spiritu ſancto & igni: illud accuratè obſeruandum eſt, quid & à quo diſpenſetur. Miniſter externus, aqua baptizat foris: Chriſtus miniſter internus, ſanguine ſuo nos emundat, intus: & per Spiritum ſanctum, accendit ſpirituales motus, Deo placentes in cordibus noſtris. Scitè ſanè Gregorius Romanus, Sacramenta, ait, foris percipimus, vt intus Spiritus ſancti gratia repleamur.

7. Baptiſmum ſuo exemplo commendauit (ſanctificauit) Chriſtus, vt piè dixit Auguſtinus: Chryſoſtomi autem Apophthegma pium eſt: Baptiſmus non corporis eſt lauacrum, ſed animæ.

8. Vt conſtaret toti Eccleſię, Ieſum hunc medium, Regem, Sacerdotem & Prophetã eſſe, in ſolenni θεοφανείᾳ, Patris voce & Spiritus ſancti viſibili ſigno ſeu ἐμφάσει, declaratus fuit Dei filius in quo Pater æternus ſic acquieſcit, vt in eo nos ſibi gratos effecerit. Epheſ. 1. 6. Præclarè autem dixit Ioannes Chryſoſtomus: In baptiſmo Reges, Sacerdotes & Prophetæ efficimur.

X.

In quarto Capite hæc demonſtratio piæ menti obſeruanda eſt.

Meſſias, quum ita ſit homo, vt idem ſit Deus, non ſolum in ſua ipſius perſona vincet Tentationes Sathanæ, ſed etiam in ſuis fidelibus, qui illius membra ſunt, eaſdem ſuperabit: luce Euangelij illuſtrabit mentes eorum, qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant, Iſa. 60. 1. 2. 3: ex piſcatoribus & idiotis facere poterit idoneos noui Teſtamenti Miniſtros. Ezech. 47. 10. 2. Cor. 3. 5. 6. quemuis morbum & languorem in populo ſanabit. Iſa. 35. 5. 6.

Ieſus ille Nazarenus hæc omnia præſtitit.

Is igitur ipſe Meſſias eſt.

Theſes Capitis 4.

1. Quemadmodum Chriſtus Dominus noſter, ſtatim poſt baptiſma, tentationes diffidentiæ, præſumtionis, idololatriæ & alias ſuſtinuit & ſuperauit: ita nobis Seruis, qui in Baptiſmo, in illius verba iurauimus, tentationes eiuſmodi ſunt ſuperandæ, & bona militia militanda, fide prælucente, quæ ſtatuit Satanam ſub pedes noſtros citò conterendum. Rom. 16. 20.

2. Vt Ioanne baptiſta in carcerem coniecto, Chriſtus ipſe, certo loco, docendo Euangelium, lucem magnam ſanę doctrinę mundo cœpit inferre: ita, quum vnus aliquis doctrinæ cœleſtis præco, ab eius hoſtibus opprimitur, præconio aliorũ, Dei autem auſpicijs, veritatis vexillũ altius attollitur.

3. Doctrina Chriſtiana, Reſipiſcentiam flagitat & regni cælorum fiduciam: vtrumque autem donum Deus ipſe dat, cui & quando viſum eſt.

4. Quia rediturus erat ad Patrem Chriſtus Dominus, viſum illi eſt in tempore adſciſcere familiares vitæ, doctrinæ, miraculorum & perpeſſionũ ſuarum teſtes, Apoſtolos: quos etiam donis Spiritus ſancti, quibus illis opus erat, inſtruxit.

5. Ideò corpora malè affecta ſanauit Chriſtus, vt multò magis animarum ægritudinibus eundem mederi poſſe, ſtatueremus: non enim magis illi corpora, quàm noſtræ animæ, curæ ſunt.

X I.

Capitis 5. hæc Demonſtratio eſt.

Rectè olim omnibus perſuaſum fuit id, quod Samaritana mulier (Chri-

sto neutiquã reclamante) dixit: Scio Messiam venturum, qui dicitur Christus: quum venerit ille, nobis annunciabit omnia. Ioann. 4.25.

Iesus autem Nazarenus illa omnia docendo aperuit. Docuit, qua in re positum sit summum nostrum bonum, à quo beati dicimur: qui de summo bono alios docere debeant: quòd ipse legem non abrogare, sed adimplere, cõstitutum habeat: quæ sit legis diuinæ germana sententia.

Iesus igitur Nazarenus, est Messias promissus Patribus, & iam nobis exhibitus.

Theses Capitis 5.

1. Quum summum hominis fidelis bonum in eo sit positum, si sit consors regni colorum, consolationis, possessionis terræ (quatenus ea cælestis patriæ arrhabo nobis est) iusticiæ, misericordiæ, conspectus Dei, adoptionis Dei, patriæ cælestis, gloriæ Prophetarum: non est cur acerbum esse ducat ad illa strenuè contendere, per viam paupertatis spiritualis, luctus, mansuetudinis, misericordiæ, puritatis cordis, studij pacis, persequutionis & infamiæ in hoc mundo.

2. Pastores & doctores Ecclesiarum, (nisi ludibrio & exitio sibi & alijs esse velint) auditoribus suis, & acrimonia reprehensionis peccatorũ, & luce doctrinæ sanæ, & vitæ innocentis exemplo, ad felicitatis participationem, præire: & talentũ, quod à Domino acceperũt, neutiquã humi defodere, opus est & oportet. Sunt enim sal terræ & lux mundi: nec in occulto esse possunt.

3. Tantum abest vt legem fides inanem reddat, vt etiam maximè eandẽ stabiliat, Ro. 3.31. quum Christus venerit, non vt dissolueret, sed vt impleret legem, cui satisfieri omninò, Deus νομοθέτης voluit: & is seriò detestetur eos, qui vel minimum ex illius mandatis, audent dissolvere.

4. Quod autem falsò, de Christo Iesu Scribæ & Pharisæi dictitabant, eum videlicet Legem dissoluere, id verè de istis Sycophantis dici debebat. Etenim, qui sic Legẽ profitentur & obseruant, vt interim, quam illa iusticiã flagitet & probet, planè ignorẽt, ij profectò legẽ dissoluunt: & vt ait Paulus de lege gloriantes, per legis transgressionẽ Deũ cõtumelijs afficiũt. Ro. 2.23.

Atqui Pharisæis & Scribis de Iusticia illa nequaquam constitit. Argumẽto erãt rabbinicæ expositiones Præceptorum, de cæde, de cultu ceremoniario, de adulterio, de repudio, de iuramento, de pœna talionis, de dilectione proximi, ipsiúsque adeò inimici. Etenim externa tantum opera seu præcipi, seu prohiberi putabant, neque per febrim aut somnium de interiore & perfecta cordis obedientia cogitantes.

Ipsi igitur Pharisæi legem dissoluebant &c.

5. Præceptum de homicidio, hoc sibi vult, Sic diligendum nobis esse proximum, vt, nec affectu cordis, nec voce, nec gestu, nec manu eum lædere libeat: ac vt summè curæ nobis sit, tũ Deo cultũ præstare, sine ira & disceptatione aduersus proximum, tum maturè, dum vita comes est, cum eo in quem fuimus iniurij, redire in gratiam.

6. Cauendum nobis est non externum tantùm adulterium, sed etiam internum cordis adulterium, cui oculi sæpè occasionem præbent.

7. In nullius gratiam nobis peccandum est, etiamsi aliquis oculi, propter vitæ consilium: manus, propter beneficentiam: pedis, propter promptum auxilium, vice, nobis esse videatur.

8. Vt qui non iustam ob causam, vxorem repudiat, facit vt illa alteri nubẽs, mœchetur: sic qui ducit temerè repudiatam ab alio, adulterij reus est.

9. Obliquæ & indirectæ iurandi per creaturas formulæ, indignæ sunt

Christianis, quos decet amor veri, odium mendacij.

10 Lex politica, de pœna Talionis, quam Magistratus reis irrogare debet, secundum legem: non patrocinatur priuatæ & illicitæ vindictæ, à qua alienos decet esse Sanctos.

11. Priuatim iniuria ferenda est, non retaliãda: & malitia bonitate vincenda est, ac pensanda. Rom. 12. 21.

12. Etiam inimici nobis diligendi sunt, tum vt Patris cœlestis vestigiis insistamus, tum ne publicanis & peccatoribus nihilò simus meliores.

XII.

SEXTI capitis hic Syllogismus demonstratiuus est.

Messias omnium optimè nouit, quod sit Dei Patris iudicium, de Eleemosyna & omnibus charitatis officiis, de Inuocatione Dei, de ieiunio & mortificatione carnis per corporalia exercitia, de luce naturæ, quam Paulus veritatem vocauit, Rom. 1. 18: de Dei solius cultu: de auaritia & studio rerum corporalium & opum terrenarum.

At quæ de his omnibus Dei Patris sententia sit, Iesus ille Mariæ filius, plenissimè testatus est.

Quare liquet illum esse Messiam, &c.

Theses Capitis 6.

1. Ambitio vt in omnibus caritatis officiis, sic in Eleemosyna est vitanda.

2. A precibus fidelium absit Ethnica ostentatio & loquacitas.

3. Oratio Dominica complectitur Exordium, Petitiones, Epilogum. Exordium monet, nobis cum Patre quidem negocium esse, sed qui sit cœlestis, & à quo nihil indignum ipsius maiestate, sit petendum. Petitiones sex numero, duûm generum sunt: priores enim tres ea, quæ ad Dei gloriam faciunt: posteriores verò tres ea quæ nostris vsibus seruiũt, propriè respiciunt. Epilogus, sic Dei laudes celebrat, vt interim nostram fidem plurimum exhilaret & confirmet. Condonare autem proximis suis offensas oportet, qui Deum sibi ignoscere cupiunt.

4. Corporales exercitationes, ad quas ieiunium refertur, à simulatione & acedia alienas esse oportet.

5. Thesauri cœlestes anteferendi sunt terrenis opibus, ne his cor adhærescat.

6. Cauendum ne veritatem lucis naturæ in iniusticia & mendacio, detineamus.

7. Quum sit impossibile Deo pariter & Mammonæ seruire: hunc missum facere, & illi vni adhærere conuenit, qui summè bonus est.

8. Quum Deus auctor sit Animæ, Corporis & vitę: quum alat volucres, cum homine non conferendas: quum superuacanea sit nostra solicitudo: quum Deus flores vestiat & ornet: non decet nos de victu & amictu anxiè solicitos esse.

9 Prouidentiæ diuinæ meditatio, peruersam curam & cupiditatem rerum terrenarum tollere: & studium quærendi regnum Dei & eius iusticiam, fiduciámque liberalem de Deo, in nobis accendere & fouere debet.

XIII

CAPITIS 7. Demonstratio hæc est.

Messiæ benedicti, velut vnici Ecclesiæ doctoris est, summa cũ auctoritate doctrinam cœlestem promulgare: & ostendere, quid sit statuendum de

reprehensione aliorum, de Euangelij hostibus & cõtemtoribus, de precibus ad Deum, de summa Legis & Prophetarum, de vitæ consilio & exemplo, de Pseudoprophetis, de iis qui diuortium fidei & caritatis introducunt, de fundamento fidei Christianæ, &c.

De his omnibus sapiẽter & grauiter pronũciauit, Dominus noster Iesus.

Est igitur Christus ille Dominus.

Theses Capitis 7.

1. Nec temerè, nec securo animo, nec leuiculam ob caussam alij iudicandi sunt: sed potius cogitandum omnia consultò à nobis fieri debere: nobis quoque subeundum iudicium: & turpissimum esse, si quis maximorum suorum delictorum oblitus, minora aliorum ἁμαρτήματα exagitet & amplificet: quod hypocritarum proprium est.

2. Euangelium iis prædicandum non est, qui conuiciorum latratu illud proscindunt, & in eius præcones sæuiunt.

3. Fidelium preces cùm ad Patrem optimum fiant, fructu non carent.

4. Secunda Decalogi Tabula hoc potissimum flagitat, vt eo erga proximos animo simus, quo illos erga nos esse, optamus.

5. Vitæ rectè instituendæ, & salutis obtinendæ cõsilium, à profana multitudine hominum infidelium minimè petendum: λεωφόρα μὴ βαδίζειν.

6. Vt ne vnquam ingrediamur viam quæ ducit ad interitum, fugiendi sunt pseudoprophetæ, quorum notæ sunt, simulatio sanctimoniæ, lupina rapacitas, falsa doctrina, & flagitiosa vita.

7. Doctrinæ cœlestis professio, miracula & alia dona non prosunt, si desit studium faciendi voluntatem Dei.

8 Vt sapit, qui fidei basin Christum statuit & in eo vno acquiescit: sic desipit, & sibi exitiũ accersit, qui aliud fundamentũ salutis esse sibi confingit.

XIIII.

SYLLOGISMVS ἀποδεικτικὸς huius capitis 8. hic est.

Nemo, nisi qui sic homo est, vt idem sit Deus, potest leprosos mundare, corpore absentes sanare, ἀλεξίκακον sese pęrstare, χαριδιογνώστην agere, quid cuique faciendum sit præscribere, per medias maris tempestates ad portum suos deducere, à seruitute & tyrannide Satanæ liberare: quæ omnia Messiæ θεανθρώπου adiuncta sunt.

Dominus Iesus hæc omnia præstitit.

Ergo est Messias, Deus & Homo: in vna tamen persona.

Theses istius Capitis.

1. Quũ Iesus Christus, non minus animi, quàm corporis lepræ, medeatur: & scãdalũ etiam circa ceremonias & iudicia cauerit: nunquã non nobis, etiamsi desit corporis lepra, adeundus est, & per fidem exorandus, vt animabus nostris medeatur: ac sanctè, quod is iniungit, exequendum est.

2. Christ⁹ Iesus, etsi carne abesset, precib⁹ tamẽ fidelis Cẽturionis delectatus, paralyticũ eius puerũ sanauit: & incircũcisi hoĩs fidei exẽplo, tũ Iudæorũ incredulitatẽ reprehẽdit, tũ p̃ dixit reiectis infidelib⁹ Iudęis, Gẽtes fidei dono instruẽdas & in illorũ locũ substituẽdas. Vt. n. fides ex Gẽtib⁹ nouissimis, primos fecit: sic incredulitas ex ęquiuocè primis Iudęis, postremos reddidit.

3. Christus sustulit & familiariũ suorum & aliorum infirmitates & morbos: vt non solùm omnipotentem Deum se esse ostenderet, sed etiam testaretur, tum nullo se personæ respectu duci, tum se reuera esse σωτῆρα ἀλεξίκακον, id est, Seruatorem qui mala depellit.

4. Christus non delectatur opera eorum Ministrorum, qui, vt ait beatus Hieronymus, in ipsius militia seculi lucra quærunt: ac pietatem, verbíque diuini ministerium, putant esse quæstum.

5. Quum exemplo Christi Domini, nos illius seruulos, in iis quæ Patris nostri cœlestis sunt, esse conueniat, Luc. 2. 49. non est cur prætextu humanitatis erga parentes & propinquos, vtamur: & ea, quæ muneris nostri sunt, vnquam intermittamus.

6. Christus, quum sit Deus, Elementis imperat, & suos periclitãtes mirabiliter seruat, ad suam & æterni Patris gloriam.

7. Idem, Dæmones pro suo arbitrio eijcit, frænum, quum ei est visum, laxat: nimirum ad hoc missus, vt Diaboli opera destruat. 1. Ioan. 3. 8.

8. Qui terrena commoda, redimunt Christi exclusione & bonorũ spiritualium priuatione: non solùm in Christum sunt iniurii, sed etiam seipsos grauissimè mulctant.

XV.

Syllogismus noni Capitis hic est.

Messiæ propria adiũcta sunt, non solùm corporibus, sed etiam animabus per remissionem peccatorum, mederi: corda fidelium & infidelium scrutari & de iis ptonunciare: peccatores vocare ad pœnitentiam & (si interfit) ad muneris Ecclesiastici functionem: ostendere, quo cultu Deus maximè delectetur: quid item de rebus adiaphoris pijs sit statuendum: quid denique cuique conueniat, quid non conueniat: fideles morbis incurabilibus laborãtes, sanare: mortuos, quando placet, ad animalem vitam reuocare: cæcis visum gratis impartiri, ac testari etiam mentibus lucem ab eodem inferri: dæmones eijcere & sensuum vigorem restituere, spretis maledicorum cõuiciis: euangelizando, mentes: morbos depellendo, corpora, curare: summa denique erga palantes dominici gregis ouiculas, affici misericordia.

Hæc autem omnia de Iesu Nazareno verè dicuntur.

Quis igitur ausit ἐπέχειν ánne is Messias sit?

Theses capitis eiusdem.

1. Methodica hæc à malis curatio est, quando Christus Dominus, animas primùm à peccatis, corpora deinde à morbis liberat: sed eam fide petere, & grata mente celebrare oportet, neglectis Sycophantis, qui omnia Dei opera exagitantes, sub quouis lapide scorpium quærunt.

2. Christus, quum sit cordium scrutator, & auctoritatem habeat remittendi peccata, Deus verus est. Isa. 44. 22.

3. Piis semper hoc faciendum, quod Christus imperat, & mundi præiudicia contemnenda sunt: ne sint remoræ in libertatis Christianæ exercitio.

4. Christus non solùm resipiscentiæ donum, sed etiã sacri muneris functionem, quando & quibus vult, cõfert. Felices autem sunt, qui illi promtè obediunt & officio gnauiter defunguntur.

5. Quum misericordia erga errãtes magis, quàm vllæ ceremoniæ, Deo probetur: non est cur existimemus abstinendum à contubernio eorũ peccatorum, de quorum resipiscẽtia, spes est: & quibus prodesse possumus pia exhortatione & vitæ religiosæ exemplo.

6. Quum in rebus indifferẽtibus, pietatis summa nequaquam posita sit, temporum & personarum ratio, quum de earum obseruatione agitur, nobis est habenda: & nemo temerè damnandus. Rom. 14. & 15.

7. Quo quisque animo sit in dispensatione doctrinę Euangelij diligẽter cõsiderari debet: neq; enim animali homini (donec ille, nõ regeneratus est)

Euangelium arridere potest.

8. Fides impetrat à Christo, medicam vim manúmque etiã in deploratis morbis. Videndum itaque ne diffidentia eximijs bonis nos spoliet.

9. Christus vitæ dono mortem pellit: Epicureis ridentibus, pijs autem Deum celebrantibus: vt in nobis beatæ resurrectionis spem obsignet.

10. Lucem mentis & corporis non nisi Christi beneficio obtinemus. Danda autem nobis opera est, vt ne magis corporis, quàm animę cæcitatem auersemur.

11. Quum malus Dæmon, aliorum sensus & corpora palàm excrucietialiorum autem mentes & linguas maledicas, subdolè occupet, & iis abutatur: hi in maiore periculo sunt, quàm illi. Etenim quum hi malum, quo laborant, non agnoscant, si quando Christus illis opem fert, & laudem meretur summam, hi eundem scelerate proscindendo, merentur ne è laqueis diaboli vnquam liberentur.

12. Quum Euangelij appendices temporariæ, miracula fuerint, propter incredulos: meminerimus vitæ innocentia illud nobis studiosissimè ornandum, propter eos, qui sunt consortes nostræ fidei.

13. Consolationi nostræ magnopere seruit, quòd Ecclesiæ & singulorũ fidelium Christum Iesum misereri, & eundem fideles operarios in suã messem extrudere, per fidem intelligimus.

XVI.

Demonstratio Capitis 10. hæc est.

Solius Christi proprium munus est, creare Apostolos, & eosdẽ miracula edendi facultate instruere: præscribere, tum quinam docendi sint: qui non: tum quid sit docendum præcipuè: edicere, vt gratis omnia beneficia conferantur, vt curæ faceſſant, quæ in sacri muneris functione obeunda, impedimento esse possunt: pronunciare, de pace qua fruuntur, qui piè docentes suscipiunt, & de maledictione eorum, qui illos aspernantur: docere, quid persequutionem Euangelii causſa sustinentibus sit agendum, credendum, metuendum & sperandum: flagitare cõfessionem publicam, & ei remunerationem polliceri: prænunciare dissidia ob Euangelium exoritura: postulare, vt & propinquos & nos ipsos, officio ipsi debito postponamus: polliceri denique amplissimam à Deo remunerationem officiorũ, ministris illius præstitorum.

Sed hæc omnia Iesus ille Nazarenus præstitit.

Ergo is vnus Messias seu Christus est.

Theses Capitis 10.

1. Primarios noui Testamenti Ministros, videlicet Apostolos instituere: sanãdi ægrotos & dæmoniacos à potestate Satanæ liberandi, vim illis conferre: de iis, qui docendi sunt, & de doctrina, certa dare mandata: inhibere curas de victu, de defensione, & de aliis sacri ministerii remoris: solius Christi Iesu, propria sunt adiuncta.

2. Quemadmodum Ministros verbi Dei, pacem precari suis auditoribus: sic cõtemtoribus verbi, ansam suspicionis de πλεονεξίᾳ, seu auaritia, præscindere, conuenit. Nihil autem dubium est beatam esse eorum sortem, quibus Euangelium pacis est odor vitæ: vt è contra maledicti sunt, qui illud maximo suo malo aspernantur.

3. Quum autem pijs doctoribus non nisi sub cruce sit militandum, quæ sint

sint ipsorum præsidia, etiam atque etiam perpendendum est. Primum autem est, prudentia serpentina, quæ hoc cauet ne fidei caput lædatur, coniuncta cum simplicitate columbina, quæ nemini molesta est suspicionibus, calumniis &c. Secundum est προμήθεια quæ cùm prospiciat pericula, quæ à malè conciliatis hominibus imminent, ea vt prævisa tela excipit, nec miratur si coram Magistratu profano, veritatis testes exagitentur. Tertium est, præsentia Spiritus sancti, Martyres erudientis & corda ac linguas eorum regentis, sic vt quæ Deo placent, proferant. Quartum est, Patientia, quæ ad finẽ vsque sustinet, non propinquorum solum, sed etiam multorum aliorum, iniurias & vim. Quintum, Facultas de loco infesto in alium minus infestum, ἀναχωρήσεως commigrandi. Sextum, iudicii rectitudo, quæ monet, non æquum esse, vt sit melior seruorum, quàm ipsius Domini nostri Iesu Christi, in his terris conditio. Septimũ, Animus infractus, minimè metuens, ne non veritas & innocentia, quæ iam nonnihil operta sunt, diuinitus aliquando retegantur & emergãt. Octauum, Timor Dei, optimi Patris non hominum infestorũ, qui corpus tantùm lædere possunt: animam intactam relinquere coguntur. Nonum meditatio & fiducia diuinæ prouidentiæ, quam nec passerculi, nec pili capitum fugiunt: nedum piorum sors aspera.

4. Quum Christus Iesus vnicus sit salutis nostræ auctor, testimonium præclarum illi, vel coram toto mundo perhibẽdum est. Ita autem fiet, vt nec nostri eundem coram cælesti Patre pudeat.

5. Etsi Euangelium per se, pacis caussa est toti Ecclesiæ: per accidens tamen, incredulorum vitio, gladius est: quum nunquam non sint, qui Christo contradicant, sed suo, nisi maturè resipiscant, exitio.

6. Nec amor cognatis & agnatis debitus, nec crucis põdus & dolor, nec vitę periculum, amori præcipuo erga Christum, præponi debent.

7. Vt in Christum Iesum & Deum Patrem officiosi simus, & gratuitam iusti mercedem percipiamus, benè mereri de Seruis Dei studeamus.

XVII.

CAPITIS vndecimi principalis Syllogismus est.

Messias, & doctrinæ cælestis ἐπιδοκίμης erit, & beneficentiæ suæ miracula seruire volet: ac beati erunt, qui illius modestia, non offendentur. Eiusdem erit pronunciare, de discrimine ministerij Prophetarum, Eliæ secundi & aliorum noui fœderis ministrorum: de sancta fidelium in noui Testamenti Ecclesiam irrumpentium, violentia: de vanitate hostium Euangelii, quibus nemo neque benignus neque grauis Dei minister, satisfaciat: de iis, qui Dei Sapientiam ab aliis spretam, suo bono, Dei autem dono, iustificãt & probant: de ijs, qui virtutum Dei spectatores ocioſi sunt, nec tempus suæ visitationis agnoscunt, eóque nomine iusto Dei iudicio deiecti, deteriore conditione erunt, quàm Sodomitæ. Erit etiam Messiæ, Patri æterno pro reuelato Euangelio, gratias agere: & εὐθυμίαν seu animi trãquillitatem, ad se se per fidem confugientibus, polliceri & præstare.

Hæc omnia de Domino Iesu in hoc capite dicuntur.

Is igitur Christus est.

Theses istius Capitis.

1. Si Christus etiam postquam allegisset Apostolos, tamen docendi Euangelium munus; non defũgit: non est cur quisquam legitimè vocatus, do-

cendi in Ecclesia partes defugiat.

2. Quemadmodum autem Christus ipsis factis testatus est, se Messiam esse, de quo oraculum extat, Isa.35.5. sic nos nō verbis solum, sed etiam factis testari Christianos nos esse, æquum sanè fuerit.

3. Si beati sunt, qui ob id, quòd serui formam filius Dei assumsit, & nobis ministrauit, summas ei gratias deberi intelligunt: quis dubitet, eos maledictos esse, qui eo offenduntur, quod salutare est toti Ecclesiæ, Christi nimirum obedientia & humiliatione vsque ad mortem crucis. Phil.2.8.

4. Ecclesiæ Ministros decet, exemplo Ioannis Baptistæ, alienos esse ab inconstantia, à fastu aulico & delitijs: & summo studio, prædicando pœnitētiam & remissionem peccatorum, viam Domino propediem ad iudicium venturo, præparare.

5. Inter Prophetarum, Ioannis Baptistæ & noui Fœderis Ministrorum, munus Ecclesiasticum hoc interest: quòd Prophetæ multò antè Christum exhibendum, prædixerunt: multiplicibus ceremonijs & Sacramentis præfigurauerunt: ac illorum doctrina minus habuit lucis: Ioannes recens exhibitum Messiam, digito monstrauit, & suos Auditores ad eum exemplo suo & doctrina, adduxit: prius tamen martyr factus, quàm ille pro peccatis mundi in crucis ara satisfaceret: Apostoli & alii noui Testamenti ministri, Christum crucifixum & resuscitatum, summa cum doctrinæ luce & perspicuitate, annunciauerunt. Cæterum in hac collatione, non personas, sed vnius eiusdemque doctrinæ, non planè eandem promulgationem, piæ mentes considerare debent.

6. Sacra & Deo grata est, fidelium, in Dei regnum irrumpentium, violentia: quę tum maximè conspici cœpit, quando sublata legis pædagogia, Euangelii libertas obtinere cœpit. Sed huic locum dederūt ij, quibus aures ad illud audiendum dedit Dominus.

7. Sapientes huius seculi, rident quidem puerulorum nænias & νεανιεύματα: sed interim, dum nec seueros, nec blandos veritatis promos & condos admittunt, impiè desipiunt, & exitium stulticia sua sibi accersunt.

8. Interea habet Dei sapientia suos filios, à quibus comprobatur.

9. Qui nec doctrinæ, nec virtutum seu operum Dei, vllam habēt rationem: non modò spoliant sese maximis bonis, sed etiam olim deteriore erūt conditione, quàm Ethnici & Sodomitæ.

10. Quum à solius Dei Δόξῃ, reuelatio Euangelii pendeat, gratiæ Deo agendę sunt, quòd illud paruulis retegit: nec, quòd idem à sapientibus abscōdit, curiosè in arcana illius iudicia inquirendum est.

11. Christi redēptoris noticia vera, cum ęterni Patris agnitione est coniuncta: neque enim nisi in Christo, serenam Patris faciem, cōtemplari licet.

12. Vera animi tranquillitas & tolerantia, ad Christum Iesum (cuius iugum leue est) per fidem confugientibus, gratis conceditur.

XVIII.

DVODECIMI Capitis hæc demonstratio est.

Messias, Templi, Sabbatíque Dominus, de vera huius tum obseruatione, tum abrogatione, déque verò Dei cultu, pronunciabit: dictis factísque testabitur, operibus caritatis, ceremonias impedimento non esse debere: furori hostium, quando res postulabit, cedet: sed ita vt officium, sanando ægrotos, & iudicium placidè annunciando, eos, quorum corda contrita sunt, restituat:

tuat:& ſpem fidelium ex Gentibus foueat. Iſa.42.1. Satanæ tyrannide oppreſſos,liberabit:& ſenſuum vires reſtituet, pijs quidem ipſum celebrantibus,impijs verò blaſphemãtibus: demonſtrabit ſe veniſſe vt diſſoluat opera & regnum diaboli:quid inter blaſphemiam in ſe,& eam quæ eſt in Spiritum ſanctum interſit,docebit:quo pacto hypocritæ cordium ſuorum prauitatem prodant:& quod iudicium ſubituri ſint,edocebit:flagitatores non neceſſariorum ſignorum,ad temporum ſigna, quæ ipſorum incredulitatem redarguunt,ritè conſideranda relegabit:à quibus olim Iudæi increduli meritò redarguendi ſint, prædicet: quid de recidiua ſpirituali, eorum, qui ad ſuum redeuntes vomitum, iterum dant locum Satanæ,ſtatuendum ſit, aperiet:vt autem omnia poſt ponet ſuo muneri:ſic nullos ſibi coniunctiores agnoſcet,quàm eos,qui per fidem faciunt voluntatem Patris cœleſtis.

Præſtitit hæc omnia D.Ieſus.

Eſt igitur Chriſtus ille,de quo Eſaias & alii prophetârunt.

Theſes Capitis 12.

1. Quum hominis cauſſa Sabbatum ſit inſtitutum,nõ eſt cur illud profanar putemus,quando naturæ noſtræ laboranti ſuccurrimus,neceſſarijs officijs ei præſtitis.

2. Caritas erga proximos potior eſt ceremoniali cultu.

3. Chriſtus imperium obtinet αὐτοκύριον, in Templum, Sabbatum & corporalem exercitationem: eius itaque eſt de his omnibus ſententiã ferre.

4. Sabbati ocium,non excludit benè merendi de proximo,ſtudium.

5. Sic cedendum eſt hoſtium fidei furori, vt non deſimus officio, nec quæramus vanam gloriam.

6. Chriſtus ad iudicium in mundum venit,Ioan.9. 39.& illud declarat, dum contritos corde ſanat,& ſpem,quæ non pudefacit,accendit in nobis & fouet.

7. Bonitatis & virtutis diuinæ ſpecimina, bonis Chriſtum celebrandi occaſionem ſubminiſtrant:ſed inde maledicendi anſam Sycophantæ increduli,arripiunt.

8. Chriſti regnum Satanæ tyrannidem ſubuertit: tantum abeſt vt mutuas operas tradant, & inter ſeſe colludant.

9. Preſentiæ regni Dei documentum eſt,quando Dei digito, Satan inuitus eiicitur.

10. Qui non ſunt & colligunt cũ Chriſto,cum Satana ſunt & diſpergũt.

11. Aliud eſt Filium Dei,per imprudentiam blaſphemare:id quod Paulus,nondum couuerſus fecit.1. Tim.1.13.aliud contra conſcientiam vſque ad extremum vitæ ſpiritum,Spiritui ſancto,veritatẽ docẽti,contradicere. Illud enim remiſſibile peccatum eſt,hoc verò irremiſſibile.

12. Quale cuiuſque cor eſt,talia ſunt & dicta & facta: ſed de his omnibus rationem reddent homines coram Chriſti tribunali.

13. Quum ſermones ſint cordis ſeu fidelis ſeu infidelis,certiſſimi teſtes, quis miretur ſecundum eos,ſententiam olim eſſe ferendam?

14. Fruſtrà captant extraordinaria opera, qui propter ſuam incredulitatem,ordinaria Dei opera,& temporum mirabilia ſigna,nequaquam perpẽdunt & æſtimant.

15. Eorũ,qui à ſeruis Dei admoniti reſipuerunt,exẽplũ, olim præiudicio erit iis omnib⁹,qui à Filio Dei ad pœnitẽtiã vocati,donũ Dei repudiauerũt.

16. Eorum,qui postquam inquinamenta mundi, per agnitionem Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi effugerunt, his rursus implicati superantur,facta est vltima conditio deterior priore.2.Pet.2.20.

17. Sobrios nos esse & vigilare conuenit, quando aduersarius noster Diabolus,etiam quum semel eiectus est, tanquam leo rugiens obambulet, quærens quem deuoret,&c.1. Pet.5.8.

18. Non solùm singulos,sed etiam totas nationes,Dæmon exulans,rursum sibi subiicere conatur.

19. Christi exemplo, maior nobis habenda ratio est gloriæ Dei, quàm familiarium & propinquorum.

20. Domesticorum fidei character est,studium id exequendi,quod vult Pater ille cœlestis.Ei ergo piè obediendum est,vt ei nos coniunctos esse res ipsa loquatur.

XIX.

CAPITIS 13. Syllogismus demonstratiuus hic est.

De quatuor Auditorum Verbi Dei generibus : de caussis tam illuminationis fidelium, quàm excæcationis infidelium : de prærogatiua Ecclesiæ Noui Testamenti: de zizaniis in Domini agro, nunc quidem nobis placidè ferendis,olim autem seiungendis: de auspiciis & incrementis regni Dei:sapienter pronunciare, Messiæ sapientissimi summíque doctoris proprium munus est,cuius etiam iudicio piis omnibus standum est. Eius etiam est,aperire per parabolas os suum, & promulgare occulta à iactis mundi fundamentis.Psal.78.2.Idem docebit,quanti nobis sint opes spirituales faciendæ:qui sint in Ecclesia, sed non ex Ecclesia : & qui in Ecclesia sint & ex ea, 1.Ioan.2.19.& quomodo vtrique suo tempore separandi sint à se inuicem. Admonebit officij omnes eos, quibus docendi partes in Ecclesia sunt delegatæ,vt vetera & noua è bono Scripturæ thesauro,proferre studeant.iniusta de se præiudicia,denegatis salutaribus miraculis,iurè vlciscetur.

Hæc omnia verè dicuntur de Domino Iesu.

Est ergo Messias.

Theses Capitis.

1. Docendi Euangelium occasiones, piis Pastoribus Christi exemplo sunt arripiendæ.

2. Auditorum Euangelij non idem genus est. Alij enim citra attentionem illud audiunt:alij audiunt & profitentur illud, sed breui tempore, donec videlicet,eius professio,nec odiosa est,nec etiam periculosa: alij curis & voluptatibus huius seculi semen verbi suffocant : alij demum fide purificatis cordibus semen diuini verbi excipiunt, & fructum ferunt pro mensura donationis Christi. Viderit autem vnusquisque, quo animo Verbum Dei audiat.

3. Quum aliis detur nosse mysteria regni Dei,aliis autem non detur:non mirum videri debet,quòd illi incrementa cognitionis Christi sortiuntur,hi verò magis magísque ignari fiunt rerum diuinarum, vt qui veritatem iniustè detineant.

4. Aliâs Parabolico genere docendi vsus est Christus, propter infideles:aliâs apertè de Patre loquutus est,in gratiam fidelium.Ioan.16.25.

5. Lucet iustum Dei iudicium, in excæcatione & induratione hostium verbi Dei,qui nec intelligunt ea quæ audiunt,nec conuertuntur ad Deum.

6. Po-

6. Potior est nostra quàm Patrum cõditio, quia Christo exhibito, maior est perspicuitas cœlestis doctrinæ: & maior libertas spiritualis.

7. Quum Deus in Ecclesia toleret scandala, tam in doctrina, quàm etiam in moribus, vsque ad consummationẽ seculi: eius iudicio nobis est acquiescendum, ne dum malis purgare Ecclesiam studemus, bonis obsimus.

8. Certum est in iudicio extremo, bonos & malos planè separandos, vt illi æterna, in cœlesti patria, gloria fruãtur: hi autem in tormentorum loco, Luc. 16.28, seu in inferno sempiternas infidelitatis pœnas dent.

9. Etsi regni Dei, quum illud innotescit, exigua sunt initia, tamen Deo benedicente, admiranda habet incrementa. Contrarium in mundi huius regnis & eorum τῇ μεγάλῃ φαντασίᾳ, videre licet.

10. Christus mysteria à seculis abscondita retexit: sicut de eodem olim prædictũ fuerat.

11. Ii demum quorum aures à Deo perforatæ sunt, audiunt & intelligunt, quid de vita & de morte æterna, sit statuendum.

12. Thesauri spirituales Christi, præponẽdi sunt omnib⁹ bonis terrenis.

13. Nulla est proportio inter Euangelii margaritam, & diuitias terrenas.

14. Ecclesia nunc in externo cõtubernio putrida membra, viuis permista, (vt labes & maculas) fert: sed interim expectat id tempus, quo viua mẽbra & Christus, qui eorum caput est, ad se in cœlestem patriam, traducet & suscipiet, deturbatis in ima tartara reprobis.

15. Videãt ordinarii in Ecclesia cœlestis doctrinæ promi, vt è bono thesauro non nisi bona proferant, & vt ea captui vsibúsque auditorum accommodent: vt sint πολύχρηστοι.

16. Ii, quibus, nec pietas nec veritas cordi est, quando doctrinam vitiligando exagitare nequeunt, docentium personas humiles exagitant.

17. Prophetæ nusquam magis inhonorati sunt, quàm in patria quisque sua, & inter domesticos: sed illos gloria, quæ à Deo est, cõtẽtos esse oportet.

18. Incredulitas facit, vt hominibus incredulis multis eximijs Dei donis sit carendum: fides è contrà, omnia ea impetrat, quæ ad nostram instaurationem & Dei gloriam faciunt.

XX.

SYLLOGISMVS demonstratiuus capitis 14.

Etsi de Messia & eius præcursore, varia erunt iudicia summorũ & aliorum hominum, qui sunt alieni à vera fide: ipse tamen suis sectatoribus, de necessarijs vitæ præsidiis prospicere, non dedignabitur: quid sit agendum, suis præscribet: preces pro eis concipiet: suis periclitantibus nusquam deerit: fidei eorum periculum sic faciet, vt reipsa edocti, sint eum tanquam Dei filium celebraturi: denique vt ostendat eorum, qui opis impetrandæ caussa, non solùm ipsi ad eum confugiunt, sed etiam alios adducũt, studium sibi probari, à morbis corpora infestãtibus eos liberabit, vt eundem animarum esse medicum, sibi persuadeant.

Hæc omnia ipsis factis comprobauit Dominus Iesus.

Quare manifestum est, illum vnum, Messiam esse.

Theses istius Capitis.

1. Filiorum huius seculi mira & admodum pugnantia sunt de Christo, & de eius Seruis præiudicia: maximè verò ridiculi sũt, qui μετεμψυχώσεως cõmẽto Pythagorico fascinati, ex Seruo & præcursore Dominum faciunt.

2 Aulæ à pietate alienæ, Christi seruos simulato interdum fauore quorundam, aliorum verò virulento odio, prosequuntur, & exagitant: de eorum capitibus comitia securè celebrant: ideò earum thure euanido cordatos homines, delectari non decet.

3. Christi Seruos, nõ quo loco sint apud filios huius seculi, sed quo sint apud Deum, spectare conuenit, & Deum in vinculis & morte glorificare: quum, & illius causa conditi sint, suóque fungantur ministerio, & alia post hanc, vita restet, verè beata & omnium malorum expers.

4. Timentibus Deũ & Christo se adiungentibus, non deerit panis quotidianus. Habet enim pietas præsentis & futuræ vitæ promissiones.

5. Non decet nos, Dei opulentiam & erga nos curam, intelligentię carnis modulo metiri.

6. Dei donis, etiam corporalibus, cum gratiarum actione vtendum est: & ea diligenter asseruanda, quæ supersunt.

7. Christi est, pręcipere quid sit agendum, nostrum autem prõtè parêre.

8. Christi exemplo precibus ad Deum, nobis est inuigilandum.

9. Etsi pij, dum Christo Domino obediunt, multa aduersa subeunt: tamen eo nomine felices sunt, quòd ille adiutor est in tempore, nec vnquam suos destituit.

10. Etsi fides vincit mundum, 1. Ioan. 5. 4. tamen huius tempestates nonnũquã sic eã afficiũt, vt pii nõnihil mergãtur in tẽtationũ voraginẽ. Verũ statim atque Christi opẽ implorant, ab eodẽ subleuãtur, & educũtur è profundo aquarũ &c. Psal. 18. 69. Orãdus itaq; Deus est, vt fidẽ in nobis augeat &c.

11. Consideratio beneficiorum Christi facere debet, vt ipsi quoque eum adorantes, dicamus: Verè Dei filius es.

12. Tentationes, quantumuis graues suas tamẽ habent periodos: vt nauտę, Deo iuuãte, tãdẽ in portu nauigãt. Ideò ne, quũ tẽtamur, frãgamur animis.

13. Quum non minor esse debeat nostra cura de Animabus, quàm de Corporibus: nostrum fuerit nos totos, sanandos, Christo commẽdare & sistere. Iuxta dictum: Iehouah fulciet eum super lectum dolorum, omne cubile eius vertisti in infirmitate eius. Ego dixi, Iehouah miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Psal. 41. 4. 5.

14. Vis viuifica Christi propria est, etiamsi eius quædam symbola externa accedant. Nec his affingendum est, quod illius solius propriũ est in quarto modo.

XXI.

Capitis 15. Demonstratio.

Messiæ erit pronunciare, de humanis Traditionibus & de Dei mandatis & vtrorumque obseruatione: de cultu Dei externo & interno: de rebus mediis: de vitandis seductoribus, de iis quæ hominem impurum reddunt: fidem inuocantium se ob Sataną iniurias, tum explorare, tum hoste pulso, exhilarare: bene facere indigis suæ opis: auditores pascere &c.

Hæc omnia præstitit Dominus Iesus

Ergo est Christus ille promissus Patribus, & iam mundo exhibitus.

Theses quædam Capitis 15.

1. Nusquam desunt qui Christum tentent, & eiusdem Seruos: verúm ideò non est deserenda vocatio, aut dissimulanda veritas.

2. Bis peccant qui ipsi diuinas audacter transgrediuntur leges, humanas autem traditiones, superstitiosè & præcisè volunt obseruari: quasi [illegible]

θεῦ non sint παρεσυτέρα ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

3. Qui sophistico fuco excusant, diuinorum de caritate erga parẽtes & proximos præceptorum violationem, non tam Deo imponunt, quàm sibi ipsis. Non enim irridetur Deus. Gal. 6. 7.

4. Hypocritæ omnium deterrimi sunt, qui quum sese nomophylacas Ecclesiæ haberi velint, Dei mandata per humanas traditiones irrita facere non verentur.

5. Hoc interest inter hypocriticũ & inter verũ Dei cultũ, quòd ille quidẽ ore & litera tãtũm, constat: hic verò corde & Spiritu potissimùm excellit, ac oris professionem cum opus est flagitat. Ille fructu caret, hic nunquã nõ salutaris est: ille Deo displicet, hic eidem probatur.

6. Veritas promulgãda est, etiamsi Pharisæi irascãtur, qui tales sortiũtur Discipulos, quales ipsi sunt, cęci cęcos: veritatis cõtẽtores mẽdacii assertores.

7. Hominẽ impurũ reddũt, non quæ in eum ingrediũtur, sed quæ ex impuro eius corde promanãt. Eorum autẽ recẽsio hoc loco extat. Nisi enim cor fide purgetur, Act. 15. 9. nequaquam ciborũ delectus, aut manuũ superstitiosa & crebra ablutio, ad eos sanctificandos, quicquam conferent.

8. Ærumnosi, per fidem & petant à Christo liberationem à malo, & tãtò magis instent, quũ eorũ fiducia diuersis modis à Christo Iesu exploratur.

9. Christus sanat sub potestatem Diaboli redactos &c. Act. 10. 38.

10. Ad Christũ calamitosi confugiunt, tanquã ad Seruatorem: ebrii autem voluptatibus eundem negligunt & aspernantur.

11. Opera & beneficia Christi, gloriæ Dei Israelis seruire debent.

12. Christus, ea lege de quotidiano pane seruis suis benignè prospicit, vt interim eos gratitudinem erga Deum ἐυεργέτην probare, & Dei dona, quæ in vsu eorum reliqua sunt, asseruari velit.

13. Christus nunc hęc nunc illa loca adiens, vbique suorũ, ἀποστοματολήπτως sese rationem habere, ostendit.

XXII.

Demonstratio hæc obseruanda est in Capite 16.

Diuinæ sapiẽtiæ Messiæ benedicti, non poterit fucũ facere, conspiratio & syncretismus hostiũ, signa nõ necessaria poscentiũ: tẽporũ autẽ signa, ipsiusque Messiæ resurgentis triumphum non animaduertentiũ: idẽ Messias obliuionem beneficiorũ acceptorũ, in suis perstringet, vt qui, quũ sit καρδιογνώστης, animaduertat à fidei imbecillitate eam proficisci: ac hortabitur eosdẽ vt sibi à fermẽto Pharisaicæ doctrinæ caueant: de illo autem, vt de filio Dei viuentis, ii solũ rectè pronũciabũt, qnibus hoc retexit Pater cælestis: Messię quinetiam erit, fulcrũ fidei saluãdorũ pręstare: sancire Ministeriũ noui Fœderis: quo quidque tẽpore docẽdũ sit, præscribere: aduersus scãdalũ crucis suorum pręmunire animos: intẽpestiuã crucis fugã, improbare: quãti ipse nobis sit faciẽdus, indicare: secundũ suũ aduẽtũ: itẽ, abitum ad Patrem, pręnunciare &c.

Fecit autem hæc omnia Dominus Iesus.

Firmum itaque est quod ratiocinamur, videlicet, illum esse Christum: nec alium Messiam nobis, Iudæorum præpostero exemplo, esse expectandum.

Theses Capitis 16.

1. Christum, qui Deus est & ęterni Patris Sapientia, frustrà hostes mortales stolidique tentare aggrediuntur.

2. Manifesta est impudẽtia, signa nõ necessaria è cœlo exigere, & interim

signa temporum non discernere: nec quid Deus agat obseruare.

3. Fidei nostræ infirmitas facit, vt non semper simus memores antegressorum Dei beneficiorum, quæ spem de futuris, fouere poterant.

4. Etsi cæcis ducibus cæci comites & applausores non desunt: nos tamen ab eorum doctrinæ fermento, cauere nobis debemus. Modicum enim fermenti totam corrumpit massam. Gal. 5. 9.

5. Non possunt non varia esse præiudicia de Christo, eorum, inquam, qui carnis intelligentiam magistram, sectantur: cóque nomine non assequuntur ea, quæ sunt Dei. 1. Cor. 2. 14.

6. Christum esse viuentis Dei filium, ii solùm & intelligunt & confitentur, quibus id Pater cœlestis aperuit: ac fides nō naturæ, sed gratiæ regeneranti, accepta ferri debet: beati autem sunt, quorum corda fidei radiis illustrata sunt.

7. Cœlestis est sacri Ministerii auctoritas, non solùm quum ἀμεταν όητοι, seu ii, qui non resipiscunt, ligandi sunt per denunciationem iræ Dei & pœnarum, sed etiam, quando resipiscentes sunt soluendi, hoc est, quum illis lætum nuncium de gratuita peccatorum remissione, est promulgandum.

8 Nihil prius est palàm annunciandum in Ecclesia, quàm Christus velit & præcipiat.

9. Christus, quia omniscius est, non modò mortem suam & resurrectionem, ac vtriusque circunstantias quasdam, Discipulis suis multò ante prænunciauit: sed etiam eodem illo nuncio, tum se ἐκουσίως ac sponte, nostra caussa mori & resurgere, tum non esse cur discipuli ea de caussa perturbentur, significare voluit.

10. Absurdum erat Christum, à morte pro nobis sustinenda dehortari, quum ex ea æternæ vitæ donum ad nos redundet.

11. Non quid homini animali, sed quid Deo probetur spectare conuenit: nam illi Satan facilè imponit, & crucis fugam persuadet.

12 Qui Christum fide, spe & caritate prosequuntur, seipsos abnegare, & crucem non detrectare, necesse habent.

13. Perdere animam Christi caussa, est eam inuenire: seruare autem sua caussa animam, Christo neglecto, est eandem perdere.

14 Quum nulla sit proportio inter totum mundum & hominis animam: summa dementia fuerit, huius iactura, redimere caducas facultatulas.

15 Certum est Christum in gloria rediturum ad iudicium.

16. Priùs tamen redemtionis opere peracto, ascendet Christus in cœlum & sedebit ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

XXIII.

SYLLOGISMVS in 17. Capite obseruandus.

Messias, à Deo Patre gloriam & honorem accipiet, ornatus amplissimo summi doctoris & Sacerdotis Ecclesiæ elogio: ac quo tempore id suis apud alios testificandum sit ostendet: præcursorem habebit Eliam secundum: dæmones eiiciet, vt etiam ob fidei imbecillitatem tanto beneficio alioquin indignis, orantibus tamen, benefaciat: quo pacto quidam dæmones eiici possint, indicabit: aduersus scandalum mortis suæ, animos suorum præmuniet: politica onera suis fidelibus, prætextu libertatis spiritualis, neutiquam esse defugienda, suo exemplo, satis ostendet.

Omnia ista conueniunt Domino nostro Iesu Nazareno.

Is ipsus igitur Messias est.

Theſes capitis 17.

1. Chriſtus, eoſdem & gloriæ diuinæ,& conſternationis humanæ, quæ ſuo tempore ſequuta eſt, teſtes oculatos eſſe voluit.

2 Chriſtus accepit à Patre gloriam & honorem.2.Pet.1.17.

3. Eius ſpecimen exhibitum eſt ſummis vtriuſque Teſtamenti antiſtitibus,quorum aliqui ante aliquot ſecula obdormierant.

4. Apparet autem hos ſe inuicem,Deo dante agnouiſſe.

5. Cæleſtis vitæ & gloriæ guſtus, inæſtimabilem habet gratiam: de qua tamen Petrus, è veſtigio adeundam nondum ſuperatis certaminibus ratus non planè ſecundum Spiritus intelligentiam,tum pronunciabat.

6. Ieſum hunc eſſe Chriſtum,Dei viuentis filium, liberatorem & Magiſtrum noſtrum,Pater æternus cœlitus teſtatus eſt.

7. Vocis & præſentiæ Dei ſenſus,homini nondum plenè regenito, & adhuc mortali, non poteſt non terrori eſſe: ſed hunc in piis mitigat Dei benignitas,qua proſtrati ſubleuantur,per Chriſtum θεάνθρωπον.

8. Suo tempore & ordine myſteria regni Dei,in apertũ ſunt proferenda:ſed has circunſtantias præſcribere, Chriſti ſolius proprium munus eſt.

9. Suo tempore miſſis apparitoribus ſuis, præſtat Deus, quæcunque ſe facturum multò antè prænunciauit:ſed mundus illos plerunque inhumaniter tractat,nec agnoſcit viſitationis ſuæ tempus.

10. Chriſtus,etiã incredulis,modò ad ſe ſup lices cõfugerẽt,fuit ἀλεξίκακος, ſeu malorũ depulſor: ſic vt ipſius bonitas vinceret incredulorũ indignitatẽ.

11. Parentes quidem liberos ſuos laborantes, Chriſto commendare debent,ſed tamen & horum eſt parentum malè habentium nomine, eundem, per fidem ardenter interpellare.

12. Vt facultas miraculorum effectrix, à Dei nutu, non autem à mero Seruorum illius arbitrio,pependit:ſic etiam horum incredulitate, velut remora,ſiſti & præpediri potuit.

13. Vt credẽti omnia(quæ fieri glorię Dei,& ædificationis piorũ intereſt) fũt poſſibilia:ſic incredulitate laborãti,Satã maiore conatu reſiſtere poteſt.

14. Precatione & ieiunio,id eſt,pœnitentia & eius exercitiis(inter quæ eſt & temperantiæ ſtudium)fides magis magíſque accenditur: qua victrice dæmones cedere coguntur.

15. Chriſtus de ſua morte ſæpè præmonuit Apoſtolos, ne ea viſa ſcandalizarentur:& nos mortem ſeriò meditari conuenit,quam intelligimus ſine mora adproperare.

16. Si Regũ Rex Chriſtus,Cæſaris cõſtitutionibus ciuilibus ſeſe ſubiecit, & δραχμα exoluit:nõ eſt cur nos,qui illius Serui ſum⁹,prætextu Chriſtianæ libertatis,detrectemus onera Ciuilia,quæ non ſunt cũ impietate coniuncta.

Apparet autem ex verſu 25.& 26.Tributum hoc à peregrinis,non à Ciuibus,qui vocantur filii,fuiſſe exactum.

17. Priuilegia,potiſſimum Spiritualia,non debent occaſionem ſcandalo,præbere.Rom.14.& 15.

18. Chriſti deitas omnipotens & omniſcia in eo quoque lucet,quod de ſtatere,piſcis ore eximendo,hæc hiſtoria narrat.

XXIIII.

Demonstratio Capitis 18.

Meſſiæ erit,Miniſtros ſuos à vana de primatu cogitatione,ad veram ſum-

missionem reuocare:& puerorum innocentum curã eis cõmendare: hortari vt à scandalo & eius irritamentis sedulò & solicitè abstineant:vt, vel Angelorum exemplo, paruulorũ habeant summam rationem:erit eiusdẽ præstare vt quod perierat, seruetur:quũ Pater parulos suos perire nolit:denique monere,quomodo cũ fratre in nos iniurio nobis,salua cõsciẽtia,agere liceat.

Hæc autem omnia Dominus Iesus tradidit summa fide.

Quare is vnus Messias est.

Theses Capitis 18.

1. Indecorum est,si Ministri de primatu in Ecclesia contendant, quum omnes pios humilitati,quę sola magnos pręstat,paruulorũ exemplo, studere oporteat:his autem ταπεινοφροσύνης exemplo,Ministros prælucere deceat.

2. Pueruli,in nomine Christi,religiosè excipiendi & tractandi sunt.

3. Miserabili morte interire præstat, quàm vel minimum inter Christi fideles,consultò scandalizare.

4. Cùm inter media scandala,nobis versandum sit in his terris, quoad eius à nobis fieri potest,eorum ansæ præcidendæ sunt, & ne quidem in eorum,qui nobis coniunctissimi sunt,gratiam,peccandum est.

5. Nemo eorum nobis contemnendus est,quibus Angeli seruiũt, Christus seruandis venit,& quos Pater non vult perire.

6. Christianus,si iniuria afficiatur,concordiæ pro virili studere, iniuriã sæpe repetitam sæpius cõdonare,denique persuasum habere debet minimas esse hominum offensas,quibus ceu debitis nobis obligantur:si cum peccatis, quibus Deum offendimus,conferantur.

7. Qui Ecclesiam non audiunt,ethnicorũ instar nobis habendi sunt.

8. Maximum debitũ Deus nemini,minimũ proximo suo cõdonare recusanti,remissurus est.Decem millia talentorũ(si talentum sexcentis coronatis æstimes)faciunt sexaginta tonnas auri. Centum autẽ denarij efficiũt 40 Rhenenses florenos,vt quidam docti supputant.

XXV.

Capitis 19. hæc primaria Demonstratio est.

Messias,quum sit sacri Coniugii primus auctor,pronunciabit,quando liceat repudiare coniugem, & qua lege: quibus etiam à Coniugio abstinere conueniat,quibus non.Idem,Paruulis,quorum est regnum cœlorum,manus imponet ac iis benedicet:vt ne baptismum eisdẽ à nobis denegari posse, testetur.Demonstrabit,ex operibus Legis iustificari neminem, quum nemo Legi satisfaciat:& qui eam sese impleuisse somniant,neque seipsos verè norint,neque Legis sententiam assequantur.De spinosis opibus,de desertione rerum carissimarum,quæ fit Christi caussa,pronunciabit &c.

Summa autem fide & dexteritate, de his omnibus pronunciauit Dominus noster Iesus.

Est igitur Messias ille benedictus,qui docturus erat omnia quæ nos scire salutis nostræ intererat.

Eiusdem Capitis Theses.

1. Quũ appropinquaret tẽpus, quo Agnus Dei pro peccatis Mũdi erat offerẽdus sciẽs & prudẽs è Galilæa soluit,&in Iudæam ei rei destinatã,profectus est Christus,comitantibus eum selectis Discipulis,qui omnium illius gestorum & perpessionum testes erant futuri.

2. Vt autẽ ipse,vsque ad vitæ suæ & ministerii finem,non desiit docẽdo & sanando ægrotos,benè mereri: sic nos quoque per omnem vitam,& præ-

fertim quando mortalitatis noſtræ prænuncii, de migratione in cœlum nos admonẽt, cõſtãter, elegãter & patienter decet, ἐνεργεῖν φιλαλληλίαν ἐν προποφορεῖν: illius videlicet exemplo, cuius omnis actio, eſt noſtra inſtitutio.

3. Diſputationis de Repudio hæc Methodus eſt.

Quæſtio. Licétne homini dimittere vxorem ſuam quauis ex cauſſa? a

Reſponſio. De Coniugio & eius tum recto vſu tum corruptelis, petendũ eſt ex eiuſdẽ inſtitutione iudiciũ. Hæc verò monet, & parẽtes Cõiugis cauſſa deſerẽdos, & cõiuges eſſe carnẽ vnam, & denique Dei cõſilio Cõiuges fieri. β

Demonſtratio tripartita ἀναασκευαστικὴ ducta à conſequente, à forma & ab efficiente principe cauſſa: Quorũ eiuſmodi fœdus eſt, vt eius cauſſa liberi à parentibus ſecedant: vt vna ſint caro: vtque à Deo iuncti perhibeãtur, eos quauis de cauſſa diſtrahi fas non eſt. γ

Tale eſt fœdus coniugum.

Quare manifeſtum eſt illud nequaquam ob quãuis rem eſſe diſſoluẽdum.

Ἐπιφωνήματα ἢ πορίσματα.

1. Etſi liberis habenda eſt parentum cura: tamen, poſt contractum matrimonium, eorum cauſſa, coniunx negligi aut deſeri non debet.

2. Quum diſertè dicatur: Qui Duo fuerant, erunt caro vna: manifeſtum eſt Polygamiam, pugnare cum coniugii forma.

3. Coniugia Sanctorũ non ſunt fortuita: ſed Dei conſilio contrahuntur.

Obiectio. Qui præcipit dare libellũ diſceſsionis & vxorẽ dimittere, is copiam facit dimittẽdi eam ob quãuis cauſſam. Moſes hoc præcipit. Deu. 24. 1.2.3. Ergo, &c.

Solutio. Eſt Paralogiſmus in Maiore quidẽ petitionis principij, in Minore autem ſecundũ non cauſſam, vt cauſſam. Legẽ enim illam Moſes tulit, nõ vt Iudæis copiam faceret, pro ſua libidine abiiciendi & dimittẽdi coniuges: ſed, primùm vt ne repudiata duplici iniuria afficeretur, libellum repudij ei dari voluit, vt ea ad ſecunda vota tranſire, opportunitate oblata, & ſe ὕπανδρον eſſe deſijſſe, teſtari, poſſet: deinde, ne quis à ſe repudiatam, quæ alteri poſteà nupſiſſet, poſteriore marito mortuo, aut eandem quoque repudiante, reducere ſeſe poſſe, opinaretur. Peccauit in hanc legem Cato, qui Hortenſio petenti Martiam Coniugem ceſſit, & eo mortuo (homo prudens & ſanctus) Martiam ſuam reduxit: amici videlicet honeſta ratione habita. ζ

Aliud eſt præcipere, vt repudiatæ detur libellus repudii: aliud eſt licentiam repudiandi pro ſuo libitu, facere. Deinde, aliud quoque, eſt permittere aliquid, propter gentis alicuius inuincibilem σκληροκαρδίαν: aliud probare. Priora Moſi tribui poſſunt, poſteriora autem non item. η

Demonſtratio alia. Non eſt tranſgrediẽdum præceptũ: Non mœchaberis.

At qui dimittit vxorem, quæ ſcortata non eſt, aliámque ducit, mœchatur. Item, qui pridem à ſe reiectam, quæ alteri poſtea nupſit, reducit mœchatur.

Quare tranſgreſſor eſt legis illius.

Πορίσματα. 1. Si cuius vxor ſcortata ſit, bona conſcientia repudiari poteſt. θ 2. Eadẽ tamẽ ſi in gratiã recipiatur, retineri poteſt. 3. Si autem repudiata alteri nubat, hoc mortuo, nequaquam priori marito iungi poteſt.

Obiectio Diſcipulorum. Quod facit, vt non expediat contrahere Matrimonium, illud videtur non eſſe ſtatuendum. At qui ait, non niſi ob ſcortationem, ius faſque eſſe dimittere vxorem, is conditionem præſcribit, quæ facit vt expediat abſtinere à Coniugio. Ergo &c. ι

Solutio. In Minore principij petitio est. Ac homini pio nõ tã illud spectãdũ est, quid carnis intelligentiæ videri possit è re esse hominis libertate gaudentis: quàm quid vnicuique diuinitus datum & concessum sit. Non omnibus continentiæ donum datum est: itaque Coniugii remedio vtantur, quibus eo opus est. Alii dono Dei, alii natura, alii vi illata, Eunuchi sunt: horum alia est conditio, quàm cæterorum, in quibus natura vel priuilegio diuino continentiæ, gaudet, vel non est læsa.

4. Paruuli nostri quum sint consortes fœderis gratiæ, nemini potius quàm Christo offerendi sunt, vt videlicet eos per manuum impositionem sanctificet de mundo, eisque bene precetur. Offeruntur autem ei, quando baptizantur, vt in eis fœdus obsignetur.

5. Disputationis, de iustificatione ex legis operibus, quæ est ἀναστευαστικὴ, hæc Methodus est.

Thesis negans. Ex operibus legis nemo iustificatur. Gal. 2. 16.

α. γ. Demonstratio. Nemo Lege iustificatur, nisi qui seruat mandata. Tu verò non seruas mandata. Lege igitur non iustificaris.

Minorem probo. Qui non satisfacit secundæ Tabulæ Decalogi, multò minus primæ satisfacit. Tu transgressor illius es. Ergo & huius transgressor es.

Minor probatur. Qui non perinde proximum suum diligit, vt semetipsum, is certè secundæ Tabulæ Decalogi non satisfacit. Tu verò quum tua vendere, pauperibúsque dare, ac me sequi paratus non sis, non ita proximũ, vt teipsum atque adeò vt tuas opes, diligis. Quare transgressor Legis es.

γ. πείρατα. 1. Etsi vera est hæc propositio de idea, Bonum facientes, habituri sunt vitam æternam: tamen, Christo excepto, nemo inter omnes homines est, qui ita bonum faciat: ideò omnibus fide ad Christum confugiendum est. Gal. 2. 16. 2. Idem iudicium est & de hac Thesi, Seruantes mandata Dei, vitam æternam ingredientur. 3. Qui proximis debita caritatis officia non præstant, multò certè minus, Deum plus quàm seipsos diligunt. 4. Qui Legem se plenè seruasse putant, nec seipsos satis agnoscunt nec Legem intelligunt. 5. Perfectus est, qui legi perfectè satisfacit &c.

6. Diuitiæ, salutis remoræ sunt & impedimenta: nisi Deus diuitibus succurrat, & eis largiatur ne apponant corda, Psal. 62. 11. ne efferantur animo, neque spem ponant in diuitiis incertis, sed in Deo viuo &c. 1. Tim. 6. 17. 18.

7. Qui Christum omnibus anteponunt & promtè sequuntur, centuplicia accepturi, & vitam æternam hæreditatis iure possessuri sunt. Est autem Christus πάντων ἀντάξιος ἄλλων.

XXVI.

Capitis 20. Syllogismus Demonstratiuus.

Messias, quum sit arcanorum Dei conscius, testabitur ex primis multis, vltimos: & ex vltimis, primos fieri: quum alii vocationis suæ & auctoritatis Dei eam, quam oportet, rationem habeant, alii non item: quum tempus postulabit, volens sese sistet crucifigendum: suis autor erit, ne prius gloriæ coronam flagitent, quàm legitimè certauerint: exemplo & sententia sua ostendet, Seruis suis de ministerio officioso, non de dominio glorioso esse cogitandum: ac sese λύτρα pro peccatis nostris persoluere: denique cæcis visum

largietur,

largietur, vt se etiam mentium caligini, luce gratiæ immissa, mederi reipsa testetur.

Summa autem fide hæc omnia & præstitit & docuit Iesus.

Quare is vnus Messias est, in quem omnes credere oportet.

Obseruent autem pii has Theses, in hoc capite 20.

1. In Parabola de Vinitoribus hæc obseruentur.

Thesis. Multi autem primi, erunt vltimi: & vltimi primi. a.

Demonstratio, Si Vocatorum omnium, nec idem tempus est, nec idem animus erga Deum vocantem, nec eadem vocationis forma: Tum certum est, multos primos, fieri posse vltimos, & econtra. Possunt enim diuerso respectu iidem & primi esse & vltimi. c.

Verum est quod antecedit: vt ex Parabola de vinitoribus liquet. Horum enim aliqui primi sunt tempore vocationis, animo adprobante communem Dei gratiam erga omnes saluandos, & denique efficaci vocatione, cum qua perseuerantiæ donum iungitur. In horum censu fuerunt, Adam, Enoch, Noah, Abraham & huius germani filii. Alii primi sunt tempore vocationis, sed non animi sinceritate erga Deum, nec efficacis vocationis respectu. In horum catalogo sunt omnes Pseudoisraelitæ, Pharisæi, Sadducæi, quorum vocatio vniuersalis fuit. Alii posteriores sunt vocationis tempore, sed quum efficaciter vocati sint, & Dei gratuitam remunerationem sibi & aliis gratulentur, primi iurè habentur. In horum albo sunt omnes veri Christiani.

Verum itaque est & quod ex eo sequitur. γ.

Ποείσματα. 1. Nemo nisi Deus, de primis & vltimis in Ecclesia, quid sit nobis statuendũ, pronunciare potest. 2. Alii citius alii serius vocantur: omnium tamen est in vinea Domini sedulò & ad finem vsque vitæ laborare. 3. Deus liberè & vocat & labores remuneratur gratis pro suo beneplacito. 4. Impudentia summa est labores suos ei obiicere, qui & vocationis gratuitæ & virium vnicus auctor est, & cui debita officia nunquam satis exolui possunt. 5. Dei iudiciis non est obloquendum, quum ille iustissimè & moderatissimè omnia peragat. 6. Qui de alienæ vocationis circunstantiis, vitilitigationem cum Deo instituere audent, suæ vocationis sese non iustam habere rationem, satis declarant. 7. Gratuitum est quicquid à Domini beneficentia in nos redundat. 8. Vniuersaliter multi vocantur, qui ab æterno electi non sunt: sed efficaciter nemo vocatur, seu trahitur à Patre, venítque ad Christum, Ioan. 6. 44. nisi qui est electus. Pendet enim ab electione eiusdem vocatio. Rom. 8. 30.

2. In prædictione Mortis suæ Christus hæc obseruari voluit. 1. Non esse cur discipulis scandalo esset crucis mors, de qua toties essent admoniti, spe interim resurrectionis post triduum facta. 2. Nullos capitaliores esse Christi hostes, quàm quos illi oportuit addictissimos esse. 3. Ignorantiam quidem Ethnicorum, qui Christum innocentem crucifixerunt, excusandam non esse: sed tamen, illorum qui tradiderunt Christum, maius esse peccatum. Ioan. 19. 11.

3. In Colloquio Christi, & Filiorũ Zebedæi, ista notentur. 1. Regnũ Christi Spirituale, nõ polliceri cuiquã honores huius mũdi. 2. Dei seruis de officio faciẽdo solicitè cogitãdũ, nõ de primatu & auctoritate in alios sibi vẽdicanda. 3. Cauendũ ne per imprudentiã, petamus à Deo ea, quæ petẽda non

erant,aut etiã maiora noſtris viribus polliceamur. 4.Seruis Dei ea, quæ decreuit Deus eueniunt,non quæ ipſi,á carne deluſi,ſibi imaginãtur. 5.Si Chriſtus,Parrẽ ſe maiorẽ agnoſcens,ea ſibi nõ ſumſit,quæ illius eſt præſtare: noſtri muneris multò magis fuerit,Deo nos ſubiicere,&eidẽ reuerẽter parêre.

4. In Chriſti ſermone ad Apoſtolos,de animi ſumiſsiõe,hęc obſeruẽtur. 1. Sæpe in aliis ea nos culpare,quorum reos nos eſſe reipſa prodimus. 2. Intereſſe inter gubernationem ciuilem & Eccleſiæ miniſterium,cũ illi magnifica & benefica auctoritas,concedatur:huic modeſtia & humilitas ſtudiúmque aliis ſeruiendi,præſcribatur. 3. In Chriſti Ieſu, qui nobis miniſtrauit & λύτρα pro nobis perſoluit exemplũ,ſemper nobis reſpiciendum eſt,vt & modeſtiæ & reſipiſcentiæ perpetuò memores & amantes ſimus.

5. Hiſtoria de duobus Cæcis viſu donatis,teſtatur,& fide à Dei filio corporũ & animorũ lumen petendũ,& firmiter ſtatuendum illud ab ipſius miſericordia in nos redundare.

XXVII.

IN hoc Capite Mathæus vltimũ Chriſti aduentũ,ad Paſcha 4.Hieroſolymis celebrãdum,in quo ipſe oblatus fuit in crucis ara,deſcribit. Obſeruetur autem hic Syllogiſmus Capitis 21.

Etſi Meſsias omniſcius & omnipotẽs vniuerſorũ Dominus erit:tamẽ, ita vt Regem manſuetum & iuſtũ decet,vrbem Hieroſolymorũ, aditurus mortẽ,intrabit:ſuis quibuſdam honore & euphemiſmis eundem proſequẽtibus: Zelo domus Dei cõmotus,vendentes & ementes ex ea eiicier,vt reipſa oſtẽdat orationis domũ,non latronũ ſpeluncam eſſe:ſanabítque in ea ægrotos: grauiter refutabit gloriæ ſuæ æmulos:omiſſis incredulis,piorũ contubernio ſeſe adiunget:quo loco,non ferentes pœnitentia dignos fructus, habeat, etiam ſymbolicè oſtendet:ſua auctoritate etiam erga ἄλογα declarata: fidei & precum efficaciam & vſum,demonſtrabit:quum diuina ipſius legatio ſit,nõ morabitur hypocritarum, qui ſuã ἐπιορκδιδασκαλίαν ordinariæ vocationis prætextu exornant,iniuſta præiudicia:euincet peccatoribus manifeſtis deteriores eſſe hypocritas, quibus, ceu Momis,neque ſerui neque eorum Dominus ſatisfaciat:quid,non ſolùm de populi Iſraelitici vinea:ſed etiã de ijs,qui quũ primi Eccleſiæ Antiſtites haberi velint, Vatiniano tamen odio & Chriſtũ & ſeruos eius proſequũtur,ac hoſtiliter tractant,ſtatuẽdũ ſit,Parabolicè exponet: Lapis erit reprobatus quidẽ ab ædificantibus, qui tamẽ euadet in caput anguli,erítque ſuis ſaluti,hoſtibus,κατὰ σκάνδαλον, exitio, Pſ.118.22.denique vt maximè acres & infenſos hoſtes habeat,tamẽ hi vel ſectatorum illius metu deterriti,non audebunt quicquam aduerſus eum tentare.

Hæc omnia Dominus Ieſus præſtitit.

Ille igitur eſt Meſſias:nec fas eſt honorem hunc vlli alteri deferre.

Theſes eiuſdem Capitis.

1. In hiſtoria de pompa triumphali Chriſti Domini,ingredientis Hieroſolyma, inter alia hæc obſeruanda ſunt. 1. Hunc Ieſum eſſe Dominum ſeu Iehouam, qui ius plenum in omnia obtinet, & omnia cognita & perſpecta habet. 2. Regem eundem eſſe Eccleſiæ ſuæ, manſuetum, humilem, iuſtum:cuius exemplum vtinam Reges & Principes terreni imitentur. 3. Habet autem Chriſtus ſuos quoſdam ſectatores, dum alcedonia vigent, quorum multi, rebus aduerſis ingruentibus, mutant ſententiam. 4.

Ipſe

Ipse tamen est benedictus ille Dauidis filius, qui venit in nomine Domini, vt populum suum saluum faciat. 5. Aduentante Iesu, qui veritatis auctor & ἀρχοδιώκτης est, multi commouentur, & variè de eo pronunciant: ipse tamen est manétque Christus ille Domini.

2. In repurgatione sacræ ædis, hæc sunt spectanda. 1. Eius solius esse repurgare Templum, qui eius est Dominus. 2. Hunc iusto zelo incensum eieciſſe vendentes & ementes. 3. Eius exemplo, nobis quoque illos esse auersandos, qui religionẽ & pietatem, quæstum esse putant. 4. Precibus Templa ornari: quæstu & idololatria, in latronum speluncas conuerti. 5. In templis præcipuè beneficentiæ studendum, sic tamen vt idem studium τῆς ἀγαθοποιΐας nusquam alibi intermittatur.

3. Inuidia Sacerdotum & Scribarũ, nec mirãdis Christi benefactis, nec puerorum laudem Dei perficientium exemplo, sedari potuit: nec alos æquè vrit Christi seruorum vera gloria, quàm eos, qui candidè eandem agnoscere & celebrare debebant. Sed hoc sua æmulatione consequuntur, vt illis omissis, Christus suis sese iungat.

4. Historia de ficu arefacta monet. 1. Dandam nobis operã, vt bona opera tueamur, ne simus infrugiferi. Tit. 3. 14. 2. Incredibilẽ esse fidei vim. 3. Preces à fide profectas fructu non carere.

5. 1. Ii, quos Deus extra ordinẽ vocat, ad repurgandã Ecclesiam & verbi Dei præconium: curare nõ debent hypocritarũ, qui falsa dogmata profitentur, vanam de ordinaria sua vocatione & successione iactantiam. 2. Doctrina cœlestis-ne sit, an verò humana, diligẽter quærendum est: & non nisi diuinæ seu cœlesti, fides adhibenda est. 3. Affectata hypocritarum ignorantia, quũ eosdẽ inexcusabiles reddat, auctoribus pernitiosa est, & intelligẽtiæ ianuã claudit. Perit enim intelligẽtiæ lumen in iis, qui cõtra conscientiam agunt, & tenebras esse lucem, lucem tenebras, fingunt.

6. Parabola de Patre & duobus eiusdem filijs docet. 1. Resipiscentiam erroribus mederi. 2. Mendaces pollicitationes, euentu redargui. 3. Peccatores manifestos citius conuerti, quàm opinione iusticię inflatos hypocritas. 4. Etiam fidelissimos Dei seruos, istis hypocritis & Momis neutiquam satisfacere posse, vt maximè studiosissimè suas partes obeant.

7. Parabola de Vinitoribus hoc sibi vult. 1. Ecclesiam populi Israelitici à Domino plantatam & ornatam esse maximis beneficijs. 2. Pseudo-Israelitas tamẽ, & seruos Prophetas, & filium Dei Dominum Iesum, fructus debitos repoſcentes, crudelissimè excepisse & tractasse. 3. Ideò & illos homicidas iustis pœnis afficiendos: & regnum Dei trãsferẽdũ ad eos populos, qui fructus copiosos essent laturi. 4. Idem iudiciũ esse & de Pseudochristianis, qui Deum profitentur se scire, factis autem negant, quum sint abominandi, & rebelles & ad omne opus bonum reprobi. Tit. 1. 16.

8. Parabola de lapide angulari, petita è Psal. 118. docet. 1. Sępe ædificãtes in Ecclesia haberi, qui eam destruũt: in horum autem censu sunt omnes, qui Christum aspernantur. 2. Quid de Christo Iesu filio suo, Pater cœlestis agat & statuat, non quid impii quidam Aristarchi de eodẽ cõfingant & blaterent, piis attendendum est. 3. Christus est fundamẽtum Prophetarum & Apostolorum. Eph. 2. 20. 4. Regno Dei à Iudæis incredulis ablato, datum est fidelibus ex Gentibus, sed ea lege vt fructum copiosum ferant. 5. Qui in Christum impingendo θεομαχεῖν audent, sibi ipsis accersunt exitiũ.

9. Hiſtoria de Sacerdotibus & Phariſæis, quæ in fine Capitis extat, hoc ſibi vult, Hypocritis libera impietatis ſuæ reprehenſione offenſis, nocendi animum non deeſſe: ſed hunc retundi variis modis, ac interdum metu eorum, quos illi alioquin præ ſe contemnunt.

XXVIII.

CAPITIS 22. Syllogiſmus principalis eſt.

Meſſiæ omnium optimè conſtabit, quare multi ſint vocati, pauci autem electi: fruſtra etiam eundē hypocritæ tentabunt, quum Euangelium ſanciat politias, non autē ζυγομαχίαν aduerſus Magiſtratū, probet: Carnis reſurrectionem comprobabit: Legis ſummam & ſentētiam veram declarabit: ac ſeſe θεάνθρωπον eſſe euincet.

Præſtitit autem hæc omnia, Dominus noſter Ieſus

Is igitur eſt Chriſtus, Caput Eccleſiæ, filius & Dominus Dauidis.

Theſes primariæ Capitis 22.

1. Parabola de Nuptiis filii Regis huc tendit, Multos, in externa ſocietate Eccleſiæ, vocatos eſſe, paucos autem electos. Vocatorum enim (vniuerſali illa vocatione, quæ non in omnibus, nec ſemper eſt efficax) ad Eccleſiæ communionem, alios conditionem prorſus abiicere: alios diu multúmque vocatos, res mundi anteferre: alios etiam ſæuire in ſeruos vocantes, eúſque crudelitatis pœnas dare: alios comparere quidem ſed citra nuptialem veſtem, quando Chriſtum ad ſanctificationem non induerunt: eóque nomine vinctos abiici in exteriores tenebras: paucos veſte nuptiali indutos accedere & hos demum electos eſſe hoſpites & conciues Sanctorum: ac viua Eccleſiæ membra, pulcerrima ſimilitudine adhibita D. Ieſus oſtendit. Viderit ergo vnuſquiſque noſtrûm, quo animo & fructu in Eccleſia verſetur: ſtat enim pro foribus iudex καρδιογνώστης, cui ratio omnium reddenda erit.

2. Ex Colloquio de Cenſu Cæſari dando hæc colligimus. 1. Summam eorum tum impudentiam tum ſtultitiam eſſe, qui Chriſtum Dei ſapientiam tentare non verentur. 2. Libertatem ſpiritualem, quam Euangelium annunciat, non pugnare cum ſeruitute ciuili. 3. Deo, ea quæ Dei ſunt: Magiſtratui, ea quæ eidem debentur, fideliter danda eſſe.

4. Hypocritis tentantibus nos, laruam detrahendam, vt confundantur.

3. In Colloquio Chriſti & Sadducæorum hæc notanda ſunt.

α. Quæſtio. Sítne carnis reſurrectio expectanda, nécne?

β. Sadducæorū paralogiſmus, quo negantē opinionē adſtruere conati ſunt. Non eſt id ſtatuendum, quo poſito, ſequitur quiddam extremè abſurdum. At ſi ſtatuas reſurrectionem carnis fore, ſequitur fututum, vt vna fœmina ſeptem maritos habeat: quod eſt planè inconueniens & abſurdum. Potius igitur neganda eſt reſuſcitatio mortuorum.

Hunc Paralogiſmum refutat Chriſtus, primò reprehenſione erroris Sadducæorum, cuius fons erat Scripturæ & poteſtatis Dei ignorantia: deinde ad Minorem, in qua eſt vitium, per declarationem eius ſtatus hominum, in quo Spiritualis vita vigebit: nec locus erit nuptiis aut procreationi ſobolis: quando hac in parte Angelis ſimiles erunt homines beati.

γ. Argumentum καταφατικὸν, quo Chriſtus probat carnis reſurrectionem, illud innuens, ſpectandum quo loco apud Deum reuera ſint, tum viui tum mortui homines: non quo hi carni eſſe videantur. Sic autem ratiocinatur: Deus eſt Deus viuorum. Sed eſt Deus Abraham, Iſaac & Iacob & aliorum. Ergo hi Deo viuunt: cui tam facilè eſt corpora eorum ſuſcitare,

quàm illi perfacile est Animas conseruare immortales.

4. Disputatio de magno mandato in Lege hoc sibi vult, Deum summè, proximos autem tanquam nos ipsos, esse diligendos: nec aliud maiore studio Legem & Prophetas flagitare.

5. Quæstio de Messia, hoc sibi vult. Si Messias & Iehouah ac Dominus Dauidis est, & eiusdem filius, tum necesse est in eo duas esse naturas, Diuinam & Humanam.

Verum est quod antecedit: teste Psal. 110. 1.

Verum igitur est etiam id quod ex eo colligitur.

Discimus itaque Messiam, si personam spectes, esse θεάνθρωπον, id est, Deum & Hominem, in vna tamẽ persona, si officium & dignitatem, eum sedere à dexteris Dei, & regnare in medio inimicorum: de quibus omnibus maximæ Iudæorum parti atque ipsis etiam eorum doctoribus, tum non constabat.

XXIX.

In Capite 23. principiò hic Syllogismus obseruetur.

Messias, quum sit omnium conscius, & omne iudicium ei datum sit, docebit, quomodo instituenda sit Censura doctrinæ, & morum eorum, qui docendi partes sibi sumunt. Reipsa ostendet, se vnum esse doctorem, cæteros ipsius ministros humilitati studere debere. Hypocritarum autem notas tam externas quàm internas, suis depinget coloribus, ne cui pio fucum possint facere: ac denunciabit illis iudicium & pœnas.

Ista verò omnia Dominus Iesus exposuit & denunciauit. Quare is vnus Messias est.

Deinde in eodem Capite isthæc diligenter notanda sunt.

Hypocritas ὑποδιδασκάλους, vocationis ordinariæ & successionis prætextu turgidos, his notis esse conspicuos.

1. Ius Cathedræ Mosis, id est, docendi auctoritatem, & (quam nunc quidam vocant) Scripturas sanctas interpretandi potestatem, sibi sumunt: dono autem ἐπιλύσεως τῆς γραφῆς, id est, explicationis Scripturæ diuinitus instructos, auersantur: si quidem ab ipsis non sint vocati & vncti.

2. Vera nonnunquam falsis miscent: ideò nobis omnia quæ illi tradũt, examinanda sunt, & nõ nisi bona & vera amplectenda & retinẽda. 1. Thes. 5.

3. Opera eorum, doctrinæ, quatenus in ea aliquid ὑγιὲς sanum reliquum est, nequaquam respondent. Itaque quod dextera manu, ex præscripto Mosis docentes, ædificant: sinistra dissolutè viuentes destruunt.

4. Onera δυσβάστακτα aliis imponunt, eorum obseruationem ab aliis exigentes, quæ ipsi extremo digito non attingunt.

5. Ambitiosos autẽ sese esse modis omnibus testantur, operibus, habitu, incessu, πρωτοκλισίας καὶ πρωτοκαθεδρίας iure sibi vẽdicato, titulis Rabinorum &c.

6. Non autem in fratrum & ministrorũ ordinẽ se homines isti ἀσύντακτοι patiũtur redigi, sed Patrum & Religionis doctorum magnificis nominibus gaudent: cùm tamen illud soli Deo, hoc eius vnigenito Filio, Domino nostro Iesu Christo conueniat.

7. Ea, quæ ipsi discere recusant, ab aliis cognosci nolũt: quum tamẽ aditũ ad cognitionem rerum diuinarum, aliis aperire, muneris eorum sit. Delectantur autem crassæ ignorantiæ velamento, implicita sua fide: & acerbè oderunt eos, qui scrutantur diuinas Scripturas & suscitant Dei donum, vt in diuinæ sapientiæ adita, δεῦρο εἰσέλθωμεν, ingrediantur.

8. Precum pro aliis à se habendarum prætextu, eorum bona inuncare

solent:ne quidem viduis parcentes.

9. Deteriores alios faciũt,nõ meliores,quos in nassã suã ϰ δοξομανίαν illiciũt.

10. Delectãtur eo Iurisiurãdi abusu,qui illorũ quæstui seruit:quãdo persuasum habẽt pietatẽ esse quæstum.Cæci autẽ & stulti sunt, quãdo iuramẽta per Creaturas facta,ad Creatoris cõtumeliã facere non intelligũt:immò nec sacra nec profana rectè internoscũt, dum his plura quàm illis attribuunt.

11. Grauiora legis negligunt,leuiora autem superstitiosè obseruant.

12. Externam corporum mundiciẽ solicitè obseruant,nulla cordis mũdiciei ratione habita.

13. Instar dealbatorum sepulcrorum sunt,foris in vitę habitu,& σχήματι iusti:intus autem reuera pleni hypocrisi & iniquitate.

14. Vt autem sese eorum,qui Prophetas interfecerunt, filios esse fatentur:sic mensuram suam adimplentes, progeniem sese viperarum esse, & Iudicium nequaquam effugere,ipsis factis testantur.

15. Crudelitatem suam erga Dei seruos declarant, proscriptionibus & omni suppliciorum genere.

16. Itaq; venit super eos omnis sanguis iustus,effusus à persequutoribus inde vsque ab initio: traditíque in reprobã mentẽ, inexcusabiles fiunt, quãdo vocatio vniuersalis illis cedit in iudicium:relinquitur illorũ domus deserta:ac olim visuri sunt iudicem Christũ,quem nunc oderunt & persequũtur.

Hac grauissima commonefactione D.Iesus,ad Patrem iam iam abiturus, vsus est,vt & Apostoli,& tota Ecclesiæ posteritas, à quibus seductoribus cauendum esset, & quibus notis illi dignosci possent, certò scire possent. Dominus Iesus det,vt ab eorum fermento cauere possimus.

XXX.

Capitis 24. Demonstratio hæc est.

Quum Messias Iehouah sit,sedens & regnans ad Dei Patris dexteram, eũ nihil latebit.Itaq; quantũ suorũ intererit,præmonebit eos, de excidio vrbis sanctę & Tẽpli:de Ecclesię militia:de secũdo suo aduẽtu ad iudiciũ:de signis quę eũ antecessura sunt:de officio hominũ fideliũ:de hypocritarũ pœnis &c.

Domino nostro Iesu isthæc omnia Iudicis adiuncta cõueniunt:illi etiam visum est futura illa multò antè prænunciare.

Quare is vnus est Messias.

Theses obseruandæ in hoc 24.capite.

1. Translata à tẽplo Ieroselymorum Dei gloria:& regno Dei ab infideli Iudæorum populo sublato,illud funditus deleri,hunc abijci,oportuit.

2. Cauẽdũ est summè ab ijs,qui Pseudochristos prædicãt, vel de Persona,vel de meritis Christi,vel de vtroque diuersã à vera doctrinã obtrudẽtes.

3. Dei Seruos ἀπαθεῖς excellere decet,sic vt licet audiãt & videant bella & genus omne malorum, grassari:non tamen nimium commoueantur, nec statim finem adesse putent.

4. Vt tamen principium,sic quoque,Deo moderante, finis malorũ erit.

5. Persequutiones ob Christũ cõmotas, comitabũtur scandala & defectiones,proditiones & odia eorum,quorum non nisi temporaria fides est.

6. Pseudoprophetis,non deerunt sectatores, qui quum veritatem non diligant,traditi in mentem iudicii expertem,mendacio assentiuntur,magno suo cum dedecore & certo exitio.

7. Inualescente iniquitate,refrigescet multorum,non tamen omniũ caritas.Seruabit enim Deus semen sanctum,inter media scandala.

8. Perdurandum nobis est vsque ad finem, vt seruemur.

9. Finis mundi non prius veniet, quàm Euangelium passim promulgetur: Etsi erit testimonio omnibus Gẽtibus, quando maxima pars hominum illud aspernatur.

10. Certum est sic delendam esse Ierosolymorum vrbem, & Iudæam hostiliter vastandã, iusto Dei iudicio: vt pios omnes ex ea actutũ discedere, & oporteat & optabile etiam sit: ne videlicet sint ἀντύπαὶ horribilium iræ Dei aduersus Iudæos speciminum.

11. Propter Electos tamẽ decurtabuntur dies illi, vt tẽporis breuitas illis quoque solatio sit. Idem autem iudicium est & de extremis mundi temporibus, quæ piorum caussa abbreuiabuntur.

12. Cùm Christus suo tẽpore palàm venturus sit ad iudiciũ, non est, cur impostoribus illis fidẽ habeamus, qui nũc isti, nũc illi loco eundẽ peculiariter alligãt, & stupẽdis quibusdam operibus καὶ τερατώμασιν, fucũ credulis faciũt.

13. Electi seduci non possunt, sic vt extra Dei viam errantes, tandem pereant. Etenim si quando extra orbitam vagari cœperunt, à Christo Iesu, in viam maturè reuocantur.

14. In secundo Christi aduentu, sic perficietur nostra cum Christo ἐπισυναγωγὴ & coniunctio, vt nemo qui vitium ipsius membrum fuerit, separari ab eo possit, sicut nemo infidelis ei iungi poterit.

15. Quẽadmodũ signũ aduẽtus Iesu Christi ad iudiciũ, præcedẽt mirãda portẽta in cœlo & terra: sic illud statim comitabitur ingẽs plãctus infideliũ, & fidelium plausus & exultatio: electorum congregatio, & æterna felicitas.

16. Quemadmodum autem ficum germinãtem aspicientem, ordo naturæ edocet, æstatẽ iam instare: sic nos aspicientes portenta quæ fiũt, & generis humani confusiones, instare secũdũ Christi aduẽtũ, nobis persuadeamus.

17. Etsi dies aduentus Christi, bono Dei consilio nos latet: tamẽ de eius aduentu & iudicio plenè persuasi, ne eorum similes simus, qui Noë temporibus vixerunt, surdísque auribus prætereuntes omnes diluuij impẽdẽtes denunciationes, mundo dediti, miserè perierunt.

18. Ii, quos vna eadémque in Christum fides non coniunxit, olim separabuntur, nulla sanguinis, coniugij aut amicitiæ ratione habita.

19 Exemplo patrisfamilias & frugi serui, vigilandum nobis est, & officium sedulò & constanter faciendũ, vt Domino placeamus.

20. Serui nequam à Domino in ipso scelere deprehensi, separabuntur à contubernio piorũ, & partẽ cũ hypocritis sortientur, in inferno in quo est fletus & stridor dentium.

XXXI.

SYLLOGISMVS Capitis 25. hic est.

Messias suos hortabitur ad vigilãtiam, & vt Dei donũ suscitẽt, ne videlicet intelligentiæ salutari lumine destituantur, aut etiã neglecti sui doni & officij, pœnas dent iusto Iudici, qui vt nõ fert inutiles Seruos, sic vtilibus vbertim benedicet. Idem Messias, quid in vniuersum de extremo Iudicio, de vita æterna & morte secunda, nobis sit statuendum, edocebit.

Sed Dominus noster Iesus, de his omnibus Apostolos suos ac totam Ecclesiam, grauissimè fidelissiméque commonefecit.

Est igitur Messias, cuius solius erat ista patefacere.

Præcipua Thesis eiusdem Capitis.

Parabola de decem Virginibus, hoc sibi vult. Vigilandũ nobis esse & exspectandum Iudicem è cœlo ἀπροσδοκήτως, venturũ: Prælucente fide, per huius

vitæ tenebras, inoffenso pede incedendum, in occursum Christo Sponso, vt nuptiis Agni interesse possimus. Cauendum, ne lampades vacuas gestemus, hoc est, ne verbis profiteamur nos Deũ scire: factis autem abnegemus eum: nam eiusmodi homines ad nuptias Agni nequaquam intromittentur.

Secunda Parabola de Domino & Seruis, monet. Quum donis suis Deus nos ad gloriam suam, & nostram totiúsque Ecclesiæ vtilitatẽ, vti velit: summo studio hoc nobis agendum esse, vt fructum copiosum feramus, nec vnquam talentum nostrum defodiamus. Varia esse Dei dona: sed alios iis benè vti, alios omnino non vti: & hos quidem iusto supplicio afficiendos, illos autem & laude & remuneratione olim esse prosequendos.

In Iudicij extremi hypotyposi, hæc notanda sunt, Iesum Christum iudicem esse vniuersorum, qui Angelorum, tanquam apparitorum ministerio, ad tribunal suum, omnes homines congregaturus sit. Hominũ alios electos & iustos esse, ac hæredes æternæ vitæ, quorum fides per Charitatem agit: alios autem maledictos, & consortes Satanæ, in æternis suppliciis. Redditurũ esse Dominũ vnicuique secũdũ opera sua: sine omni respectu personarũ. Rõ. 2. 6.

XXXII.

Pars 3. Euangelii secũdum Matthæũ, de passione Christi.

SYLLOGISMVS principalis Capitis 26.

Messias, vt suis auctor sit benedictionis, definito tẽpore, mortẽ crucis adibit, multis modis tum dei atẽ tum humanitatem demõstrabit, Paschate celebrato, aliud Sacramentũ in sui memoriã instituet: Discipulos officij admonebit & consolabitur: Proditorẽ redarguet: dolores inferni in sua anima, nostra caussa sentiet: se cõprehẽdẽdũ sistet: experietur omniũ infestissimos eos, quos oportuit eidem addictissimos esse: nõ dissimulabit se Messiam esse &c.

Hæc omnia, vt erãt partim expressis Prophetarũ oraculis prænunciata, partim typis & tẽporũ signis adũbrata, perfecit, tulit & adimpleuit Dominus Iesus.

Is igitur est Christus, & Agnus ille Dei, qui tollit peccatũ Mũdi. Ioã. 1. 29.

Theses nonnullæ eiusdem Capitis.

1. Christus mortis suæ circumstantias Discipulis prænũciauit, tum vt se sponte sua peccatum mundi expiare testaretur: tum vt discipulorum animos contra scandalum crucis præmuniret.

2. Hostes Christi primarij erãt, Sacerdotes & Scribæ: qui etiã dolo eum circumueniendum & occidendum censuerunt. Itaque ne mirum videatur, si nunc quoque, pia Christi membra, illorum posthumi eodem modo persequantur. Qui autem excusso Dei timore, Christum persequuntur, homines metuant, necesse habent.

3. Vnctio Christi, vt tum fuit mortis & sepulturæ illius symbolum: ita erat cõmonefactio, de perpetua erga illius mẽbra, beneficentia. Ideò, nequaquam eo nomine exagitãda fuit, quòd extraordinaria videretur: nedũ quòd beneficentiæ erga pauperes declarandæ, occasionẽ præcidisse, videri posset.

4. Quum turpis lucri cupiditate illectus Iudas, non dubitarit de Christo prodendo pacisci, cum illius hostibus: quis miretur nunc quoque multos ventris & quæstus caussa, prodere veritatem doctrinæ cælestis, & seruire scenæ?

5. Christus in hostiũ Metropoli hospitiũ nactus, quid fideles sibi polliceri debeãt, docuit: & cognitos habẽs tã hostes, quàm amicos, eorúmq; euẽtus decretis Dei respõdẽres: vt legi satisfaceret, Pascha typicum celebrãdo abrogauit: quòd ipse esset Pascha verum iam tum immolandum. 1. Cor. 5. 7.

6. Idem

6. Idem in sui memoriam, instituit sacram Eucharistiam, de qua Paulus ait: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: nam omnes vnius panis simus participes. 1. Cor. 10. 16. 17. Est enim cœlestis nostræ alimoniæ, incorporationis seu consociationis cum Christo, efficax Sacramentum.

8. Vt autem ostenderet quantopere sibi curæ essent ij, quos ipsius fidei Pater crediderat, prænonuit illos de scandalo, de resurrectione sua & profectione in Galilæam, de lapsu Petri: & carnalem illorum fiduciam de admirabili vsque ad mortem constantia, inanem esse, testatus est.

9. Christus cæteris parcens, eos pauoris ac tentationis suæ testes adhibuit, quos gloriæ suæ spectatores in monte sancto, anteà habuerat.

10. Christus horrores inferni & sensum maledictionis diuinæ sensit & superauit: vt ab vtroque malo nos liberaret.

11. Sic mortem naturaliter auersatus est Christus, vt tamen Dei Patris voluntatem fieri vellet: suóque exemplo nos doceret, anteferre nostræ voluntati, Dei beneplacitum.

12. Tanta est securitas nostra, vt tum dormiamus supini, quando maximè vigilandum & ardenter orandum erat: sed hunc veternum tempestate aduersitatum discutit tandem Dominus.

13. Filius Dei traditus est in manus peccatorum, discipulo eum prodente: vt à potestate tenebrarum liberati, libertate filiorum Dei gaudeamus: & donec hîc versamur, discamus etiam domesticorum iniurias æquis ferre animis.

14. Dominus Iesus, quod Scripturas de Messia adimpleri vellet, intempestiuum Petri factum, alienum & à vocatione ipsius, & ab eo quod tum, Dei consilio, gerebatur, reprehendit: addita commemoranda voce de gladij vsu & abusu.

15. Dominus Iesus falsa testimonia de destructione Templi, tacendo diluit: vt nobis quoque sacro silentio tum vtendum ostenderet, quum manifestę sunt calumniæ aduersariorum.

16. Idem interrogatus, Anne esset Christus Filius Dei, eum se esse, disertè confirmauit: & iudicium extremum (in quo hostes etiam ipsius tribunal subituri essent) eisdem denunciauit: vt se præsente animo esse, virtutémque in fide nobis declarandam, demonstraret.

17. Christus impietatis falsò insimulatus, & morti adiudicatus est, vt ipsius merito, ab impietate absoluti, vitæ æternæ dono fruamur.

18. Idem insons ab hominibus crudeliter tractatus fuit: vt nos à reatu liberati, tormenta gehennæ effugeremus.

19. Petrus Apostolus, territus exemplo crudelitatis erga Christum, negando se eius esse discipulum, grauiter lapsus, Christo ipsum aspiciente, & pro eo Patrem exorante, pœnitentiam agendo, surrexit: nobis præbens exemplum tam humanæ imbecillitatis, quàm salutaris resipiscentiæ.

XXXIII

De Messiæ morte prædixit Isaias cap. 53. 5. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras &c. Luctabitur cum tentatione de desertione Psalm. 22. 1. De torrente in via bibet, Psal. 110. 7. Et Daniel, cap. 9. 26. Post hebdomadas

verò sexaginta duas excidetur Christus,sed nihil ad illum. Implebit etiam signum Ionæ,qui per trinoctium fuit in ventre ceti.Ion.2.1

Dominus Iesus crucifixus,& sepultus est,eo nomine.

Is igitur Messias est.

Theses Capitis.

1. Hostes Christi non de iure aut iniuria,sed de Christo occidendo, & de veritate opprimenda & exstirpanda,laborant.

2. Qui Christum emunt, vt eum perdant, nihilò vendentibus meliores sunt,neutri autem Dei iudicium horrendum effugient.

3 Ager figuli sanguinis pretio emtus, exemplum est publicę impietatis tesseræ,quæ emtores coarguit.

4. Calumniam de affectato regio honore & de seditione, tacendo refutauit Christus:tum vt nostram erga Deum inobedientiam expiaret, tum vt doceret nos tacendo quoque innocentiam nostram testari.

5. Ab eo iudice Christus postea cõdemnatus est in hominum gratiam, qui innocentiæ illius consideratione motus,eundem initiò absoluere conatus est:etiam coniuge maritum de innocentia D. Iesu, submonente. Ideò Paulus dicit,Christum,pro impijs esse mortuum.Rom.5.6.

6. Christus nostra caussa ab iniusto iudice, condemnatus est, vt eius nomine nos à iusto Deo, gratis iustificaremur &c.

7. Ludibria, quæ Christus nostra caussa sustinuit, ipsi quidem regium decus non derogauerunt,nobis autem æternam perpererunt gloriam.

8. Christus extra vrbem Ieroſolymorum ductus, pro consolatione diras contumelias perpessus est,ac vt sanctificaret populum per proprium sanguinem,extra portam passus est. Exeundum igitur nobis ad eum extra castra,& opprobrium eius portandum &c.Heb.13.12.13.

9. Mortẽ crucis nostra causa sustinuit,vt nobis benedictionis esset auctor Gal.3.13.14.detractæ fuerũt illi vestes,vt in baptismo Christũ induere,nobis integrũ esset. Gal.3.27.Rex Iudæorũ etiã ab Ethnico iudice nũcupatus fuit, ad redarguendã Iudæorũ infidelitatẽ: inter iniquos reputatus est, vt nobis per diuinã reputationẽ locus esset inter iustos Dei filios:conuitijs proscissus est,vt cœlestis honoris benedictio ad nos rediret:fiducia erga Patrẽ ei vitio data est,vt nobis laudi ducatur:luctatus est cum tentatione desertionis ne vnquã nos deserat Dominus : Spiritum Patri tradidit, vt idem ipsi faceremus:virtutem suam,secundum carnem mortuus, declarauit,vt finem ceremonialium legum adesse,ac se moriendo vitæ donum nobis promeruisse:& doctrinæ Euangelicæ præconio orbem terrarum commouendum esse, testaretur.

10. Vt autem de morte eius dubium non esset cuiquã, & vt nostra sanctificaret monumenta,honorificè sepultus fuit: & sepulchri custodia hostibus est concredita, vt illi vel inuiti, eum resurrexisse paulo post intelligerent.

Pars quarta Euangelicę historiæ, de Resurrectione & Ascensione Iesu Christi.

XXXIIII.

Syllogismvs principalis vltimi Capitis.

De resurrectione Messiæ dicitur:Propterea lætatum est cor meum, & exultat gloria mea,etiam Caro mea quiescit securè. Quoniam nõ derelinques animam meam in sepulcro:nec permittes vt tibi acceptus videat corruptionem. Notam mihi facies semitam vitæ &c.Psal.16.9.10.11.Item,At Iehouah dele-

delectatus conterere ipsum, morbo affecit (dicens) quandoquidem exponit se ipse sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies: & delectatio Iehouæ per eum prosperabitur. Exemtum molestia seipsum videns satiabitur: cognitione sui iustificabit Seruus meus iustus multos. Isa. 53. 10. 11. Sanciet etiam auctoritate sua Messias benedictus, Ministerium Verbi & Sacramentorum & pollicebitur se adfuturum Ecclesiæ noui Testamenti, vsque ad seculi consummationem.

Hæc omnia conueniunt Domino nostro Iesu, qui in mortem traditus est propter offensas nostras, & excitatus est propter Iustificationem nostri. Rom. 4. 25.

Rectè ergo pronunciauit diuinus ille noster Apostolus: Christum mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas: Et sepultum fuisse, & excitatum tertio die, secundum Scripturas. 1. Cor. 15. 3. 4.

Theses vltimi Capitis.

1. Christus excitatus ex mortuis, non amplius moritur.
2. Resurrectione autem sua promeritus nobis est Christus, tam spiritualem resurrectionem, quæ facit vt iam Deo viuamus. Rom. 6. 11. quàm corporum resuscitationem. 1. Cor. 15.
3. Resurrectionis Christi testes fuerunt, Angelus Dei, Matronæ fideles, ipsi etiam Custodes, Christus ipse apparens in via Mulieribus & certa mãdata Apostolis exponenda, eis dans.
4. Qui contra conscientiam agunt, quo magis innotescit veritas, tantò magis mendaciorum atra caligine, eam obscurare conantur: nec desunt qui illis assentiantur.
5. Quum autem ad Patrem rediturus esset Christus, instituit Ministerium Euangelicum, quum sit ipse totius Ecclesiæ caput: ac Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ liturgiam nequaquam à Verbi promulgatione, seiungi voluit. Contentos autem esse iussit docentes in Ecclesia, eo genere, doctrinæ, quod ipse tradidit: ac gratiæ suæ præsentiam Ecclesiæ pollicitus est, ne se orphanam esse vnquam existimare posset.

Dominus igitur Iesus Christus postquam loquutus fuisset Apostolis & alijs pijs, qui aderant, sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei, Marc. 16. 19. Inde autem venturus est ad iudicandum viuos & mortuos: vt habet Apostolorum Symbolum.

XXXV.

Ex his omnibus colligimus, Matthæum Euangelistam, ex tota historia doctrinæ & vitæ Domini Iesu, ad Prophetarum de Messia oracula sapienter & perspicuè collata, ἀντιῤῥήσεως demonstrasse, Hunc Iesum esse Christum, in quem verè credentes habeant æternam vitam: id quod, pro gratia nobis à Domino data, in sacro hoc Colloquio, declarare, animus ferebat.

DE IESV CHRISTI REDEMTORIS nostri, & eius beneficiorum apprehensione per fidem, Theologicum Theorema & Problema, veritatis illustrandæ gratia propositum.

I.

QVVM tota Catholica Ecclesia ex Deo sit, in Christo Iesu, qui illi factus est sapientia à Deo, Iustitia, sanctificatio & redemtio. 1. Cor. 1. 30: quum etiam nos omnes oporteat, Pauli Apostoli exemplo monitúque excitatos, ad metam summo studio contendere, Christum Iesum apprehendere, cuius etiam rei caussa apprehensi sumus à Christo Iesu, Phil. 3. 12: fert animus, in hac sacra συζητήσει, ad Dei gloriam & nostrã institutionẽ, ostẽdere, Quænã sit, toti veræ & catholicæ Ecclesiæ veteris & noui Testamenti, cõmunis organica Caussa apprehensionis & applicationis Iesu Christi & omniũ illius meritorũ & beneficiorum. Vt autem ingeniosæ & veritatis amanti Iuuentuti, de Methodo constare possit, profitemur nos primò quidem Theorema theologicum, postea verò Problema practicum & verè sacrum, demonstratiuè tractaturos esse. Dominus Iesus, suo Spiritu in omnem veritatem nos ducat. non enim solum ἐν ἀγορᾷ ἀψευδεῖν oportet, vt habuit lex Attica: sed etiã in Scholis Theologorum veritas summo studio inuestiganda, explicanda & illustranda est.

II. πρόταϭις Theorematis

Si Iesus Christus toti Ecclesiæ electorum offertur apprehendendus & applicandus ad salutem, tum certum est eum ab eadem non nisi fide apprehendi & applicari. Ideò Petrus Apostolus, eodem modo, omnes tam veteris quàm noui Fœderis fideles saluandos ostendẽs, inquit: Imò per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos seruatum iri: quemadmodum & Patres. Act. 15. 11.

III. Ἔκθεϭις τῦ διδομένου.

Theorematis nostri ὑποκείμενον ϰύριος seu subiectum hoc est: Iesus Christus toti Ecclesiæ catholicæ offertur, ad salutem apprehendendus & applicandus. Intelligatur autem id de tota periodo militantis Ecclesiæ, initio ab exordio Mundi & collectionis Ecclesiæ facto, & deducto eius ἐυδιαλειχθησομένῳ vsque ad hanc veluti Catastrophen Militiæ, in quam ipsi incidimus. Nihil verò aliud sibi vult τὸ διδομένον, quàm id quod Apostolus noster docuit, illustri sententia: Iesus Christus heri & hodiè idem est, & in secula. Hebr. 13. 8. Hoc est, Solus Iesus Christus auctor salutis fuit Patribus, est etiam nobis, superstitibus, & erit iis qui deinceps seruandi erunt. Nemo Christi, per omnem vitam animalem, planè ignarus & expers, vnquam seruatus est, aut etiam imposterum seruabitur. Etenim fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. 1. Cor. 3. 11. nec est in alio quoquam salus. nec enim aliud nomen est sub cælo quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Act. 4. 12.

Etsi autem Theorematis διδομένου adeò est tum manifestum & perspicuum, tum ἀναντίῤῥητον ϰὴ αὐτόπιϭον, vt alia probatione non egeat: tamen quia

Iuuentuti

Inuentuti religiosæ euidentia eius indicanda & exponenda est, addimus has demonstrationes.

1. Si Iesus Christus Ecclesiæ caussa, hodie & heri idem est & in secula, videlicet Mediator & Rex & Propheta: quis sanus dubitet, eundem Ecclesiæ ad salutem apprehendendum & fruendum semper oblatum fuisse & offerri.

Verum est quod antecedit: vt ex Testimoniis suprà adductis liquet.

Verum igitur est & quod ex eo consequitur: quum ex vero nil nisi verum colligi possit.

2. Addamus & reductionem ad absurdum & impossibile.

Si Christus Iesus nec Patribus oblatus est, nec nobis offertur, ad salutem apprehendendus & applicandus: Tũ sequitur, vel nullã fuisse & esse Ecclesiã saluandorum: vel si qua detur, eam esse ἀκέφαλον, sine capite, sine Iustitia, sine vita, quum sit Dei expers in Mundo, Eph. 2. 12.

At hæc absurda & impia sunt.

Ergo & illud ex quo hæc sequuntur, impium & absurdum haberi debet.

IIII. Διορισμὸς τῆ ζητουμένης.

Sola fide Christum apprehendi & applicari, πάθος & quæsitum illud est, quod solidissimè ideò nobis demonstrandũ erit: vt homines veritatis amantes, & in παναρμονίῳ doctrinæ Christianæ, velut Cynosuram fidei respicientes, quid bona Consequentia inde colligi possit, prudenter animaduertant.

Sententia autem hæc est, vt συλλήβδην agamus. Siue Christus offeratur apprehendendus vt sapientia: siue vt Iustitia, sanctificatio & redemtio: siue vt lauacrum παλιγγενεσίας: siue vt panis vitæ: siue vt Caput Corporis sui, quod est Ecclesia: siue alio modo: nunquam tamen ad salutem alio instrumẽto, quàm fide, verè à Saluandis percipitur. Nam omnes illi modi amicè conspirant, & hoc vnum sibi volunt, Christum omnia in omnibus esse. Col. 3. 11. ac nobis credendum Iesum esse Christum: & credentes habere vitam per nomẽ eius. Ioan. 20. 31. denique per fidem habitare Christum in cordibus nostris. Eph. 3 17.

Quanquam autem illustrissima phrasis de Christi per fidem apprehẽsione, superius testimonio Apostolico, quod exceptione omni maius est comprobata fuit: Tamen vt Candidatis Theologiæ tantò magis innotescat & dulcescat, adducimus & alia de adiunctis ἢ ἀποτελέσμασι fidei, oracula σύμφωνα. In fide sumus, & Christus Iesus in nobis est. 2. Cor. 13. 5. Viuit in nobis Christus: & vitam quam nũc viuimus in carne, viuimus per fidem Filij Dei. Fide nostra viuimus. Gal. 2. 20. Rom. 1. 17. Fide stamus, 2. Cor. 1. 24. Rom. 11. 20. Per fidem incedimus, & non per aspectum, 2. Cor. 5. 7. Ex fide sumus & benedicimur cum fideli Abraham. Gal. 3. 9. Fide placemus Deo Hebr. 11. 6. quia per fidem habitat Christus in cordibus nostris. Eph. 3. 17.

Quis igitur homo sanus dubitet fidem esse instrumentum illud diuinum, quo Christus apprehenditur & fruendus applicatur, cuius adminiculo in Christo sumus, viuimus, stamus, ambulamus, benedictione Christi fruimur, Deo placemus, Templa Christi sumus? Hæc enim omnia de viua & efficace fide dicuntur.

V. Κατασκευή.

Dabunt autem nobis veniam, cordati Lectores, si in hac parte Methodi nostræ, animaduerterint, studio erudiẽdæ Iuuentutis, à nobis non tantùm ea adducta, quæ ad extruendas, sed etiam quæ ad illustrandas Demonstrationes nostras, plurimum conducunt.

Quũ demonstrationes & definitiones, θέσει tantùm differant, eóque nomine ex finitionibus optimæ Demõstrationes extruãtur, initiò præmittemus Ορους, seu definitiones: deindè subiungemus ἀξιώματα, quæ propter diuinam reuelationem sunt ἀξιόπιστα: & Hominis renati ac Spiritualis κοιναὶ ἔννοιαι: vt vnde petitæ sint Demonstrationes, manifestum fiat.

Definitiones.

1. Fides est illud quod facit vt exstent quæ sperantur: & quod demonstrat quæ non videntur. Hebr. 11.1.

2. Iesus ille Christus est, θεάνθρωπος, Deus æternus, immensus, omnipotens τῇ φύσει, vt qui sit Iehouah: & filius Abrahę & Dauidis secundum Carnẽ, in vna persona, in qua tanquam Capite, Deo Patri placuit ἀνακεφαλαιώσασθαι, recolligere omnia. Ioan. 20.28.

3. Christum per fidem apprehendere & sibi applicare, est Christo Iesu (à quo verbo Dei edoctus, Sacramentis foris, Spiritus autem Sancti arrhabone intus obsignatus & confirmatus, te apprehensum sentias, & lęteris) frui vt sapientia, iusticia, sanctificatione, alimonia: cum eo vnum esse corpus, & eodem Spiritu duci, superna curare, & ad æternam vitam contendere. Phil. 3.12. 1. Cor. 1.30. Ioan. 6.35. 17.21. Eph. 3.6. & 5.30. Col. 3.1.2. Matth. 7.13.14. Petrus Apostolus συνεκδοχικῶς loquens, summam nostræ sententiæ his verbis est complexus: Huic Iesu Christo omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis qui credit in eum. Act. 10.43.

Ἀξιώματα.

1. Salus nostra pendet à coniunctione cum Deo vero.

2. Nemo Deo Patri iungi potest, nisi per Mediatorem, auctorem τῆς κοινωνίας.

3. Mediator nemo esse potest, nisi qui θεάνθρωπος, & à Patre vnctus & missus est.

4. Mediatori huic nemo nisi per fidem incorporatur & inseritur. Inter infideles enim & Christum est ἀκοινωνησία.

5. Vna est fides omnium Saluandorum. Eph. 4.5.

6. Sine hac fide nemo potest Deo placere. Hebr. 11.6.

7. Vt Ecclesia militans, per fidem quæ Christum apprehendit, nunc in terris incedit, Deóque tum placet tum iungitur: sic eadem olim triumphãs, incedet per aspectum in cœlis, ac Deo, qui erit omnia in omnibus, summè placebit. 2. Cor. 5.7. 1. Cor. 15.28.

8. Christus Iesus, fide fruendus nobis offertur: in Verbo quidem vt Sapientia nostra: in Baptismo autem, vt lauacrum regenerationis & emundationis à peccato, per aspersionem Sanguinis ipsius: & vt vestis nuptialis: in sacra Cœna denique, vt spiritualis noui Hominis alimonia.

9. Non minus autem in sacrosancto Verbo Dei, quàm in Sacramentis:

nec

nec minus in Baptismo, quàm in S. Cœna, Christus Iesus nobis offertur & exhibetur.

10. Vtimur Verbo Dei & Sacramentis, ἔξωθεν: sed Christo per fidem ἔσωθεν fruimur.

11. Vis viuificandi à communione Christi non seiungitur.

12. Nostra cum Christo, tanquam membrorum cum Capite, per eundē Spiritum vnitio: mysteriū magnum est: quare non imaginanda nobis est carnalis aliqua nostri & Iesu Christi συμπάθωσις & cohærentia.

13. Christus vt Mediator θεάνθρωπος, Rex & Propheta, semper adest Ecclesiæ. Matt. 28. 20.

14. Eius autem præsentiæ gratiæ documentum est, quòd is donis suis Ecclesiam implet & instruit. Psal. 68. 19. Eph. 4. 10.

VI. Ἀποδείξεις.

Quia autem affirmantia, quum sint εἰσδοποίητα, negantibus iure præferuntur: & πρῶτον χῆμα Syllogismorum est ὀστησμονικώτατον, Demonstrationes κατασκευαστικὰς, iuxta eius præscriptum, instituemus.

1. Sit hæc prima Synthetica Demonstratio, τὴ δι' ὃ, πότι, à finitione ducta.

Da. Solum illud donum Spiritus sancti, rectè dicitur Caussa ὀργανικὴ, seu instrumentalis apprehensionis & applicationis Christi & omnium eius beneficiorum: quod facit vt exstent ea quæ sperantur: & demonstrat ea quæ non videntur. Neque enim, ad eiusmodi res Spirituales, vel cognoscendas vel percipiendas, vlli sensus tam externi quàm interni, aut vllæ vires Hominis animalis, ea quæ Spiritus Dei sunt non assequentis, quicquam præstare possunt: quum τὰ πνευματικὰ, quibus salus nostra perficitur, in sensus non incurrant, &c.

ri. Atqui fides eiusmodi donū Spiritus sancti est. Ideò rectè Græcus Scholiastes, fidei definitionem explicans, ait: πίστις ὄξιν ἀυτὴ ἡ ὑπόστασις ἢ ἐστία τῶν ἐλπιζομένων πραγμάτων. ἐπειδὴ γὰ τὰ ἐν ἐλπίσιν, ἀνυπόστατά ὄξιν, ὡς τέως μὴ παρόντα, ἡ πίστις ἐστία τὶς ἀυτῶν ἢ ἡ ὑπόστασις γίνεται, ἐξ ἧ ἀυτὰ ἢ παρεῖναι τρόπον τινὰ κατασκευάζεται, διὰ τ πιστεύειν ἐξ ἧ. ὄξι ὃ ἡ πίστις ἔλεγχος ἢ ἀπόδειξις τῶν ἀ βλεπομένων. ἀποδείκνυσι ὃ ὁρατὰ τὰ ἀόρατα ἡ πίστις. πῶς; τῷ Νῶι ἢ ταῖς ἐλπίσιν ὁρῶσα τὰ μὴ φαινόμενα.

j. Fatendum itaque est tantum fide Christum Iesum apprehendi ab iis, qui cum Paulo Apostolo statuunt, Christum Iesum (etsi is etiam in gloria verus homo manet) vt Principem nostræ salutis, non iam carnaliter nobis esse considerandum, sed spiritualiter. 2. Cor. 5. 16.

2. Secunda Demonstratio, à Caussis ἢ σύνδεσιν ducta, hæc est.

Da. Tantùm illa res est caussa organica apprehensionis & applicationis Christi, qua eum verè agnoscimus, eidem firmiter assentimur, & in eodem, tanquam Seruatore & cælestis benedictionis in nos redundantis auctore vnico, suauiter acquiescimus & gloriamur. Quid enim aliud est Iesum Christum apprehendere sibíque applicare, quàm Christo rectè agnito seriò assentiri: & inde nata fiducia exhilarari & conscientiæ pace frui? Ro. 5. 1.

ri. In fide hæc tria conspiciuntur. Lux agnitionis Iesu Christi, in Mente à sancto Spiritu accensa: Assensus, quo statuitur, non esse in alio quoquā salutē. nec enim est aliud nomen sub cœlo, quod datū sit inter Homines, per quod oporteat nos seruari. Act. 4. 12. Ex his nascitur fiducia ἢ παῤῥησία, adeundi & inuocandi Deum Patrem iam reconciliatum, & gloriandi sub

ſpe gloriæ Dei.Rom.5.2.

j. Fide ergo apprehenditur & applicatur Chriſtus Ieſus, à credentibus: qui quum ſint Abrahæ filij,per fidem incarnatum vident, quem ille præuidit incarnandum.Ioan.8.56.

3. Demonſtratio tertia à Correlatiuis ducta.

Da. Omne,quod diuinitùs per ſacroſanctum Verbum nobis offertur, id non niſi fide apprehenditur.Sunt enim correlatiua Verbum & Fides : ac vt ex auditu fides eſt:auditus autem per Verbum Dei.Rom.10.17. ita econtrariò, vbi incredulitas eſt, ibi quoque eſt στέρησις ſeu priuatio auditus Verbi Dei,& inopia bonorum ſpiritualium.Iuxta illud:At non profuit illis auditus ſermo,vt qui fidei non mixtus fuerit ipſis qui audierant.Heb.4.2.

ri. Atqui Chriſtus Ieſus nobis per Euangelium annunciatur & offertur:vt ex hoc dicto,quod multorum inſtar eſt,liquet:Euangelium Dei de Filio eius,facto ex ſemine Dauid,ſecundum carnem:declarato filio Dei potenter &c. Rom.1.1.3.4.Item, Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.1.Cor.1.23.

j. Quare & fide apprehenditur & applicatur.Eius rei exemplum habetur,Act.8.37.Quum Eunuchus ille, Candaces reginæ Æthiopum dynaſtes, ſanctum baptiſmum expeteret, de fide Chriſtum apprehendente interrogatus eſt à Philippo.Si credis ex toto corde licebit tibi baptizari.Reſpondit ille:Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.

4. Demonſtratio quarta ducta à Verbi & Sacramentorum collatione. Si Chriſtus non niſi fide percipitur in Verbo,tum etiam eadem fide tantum percipitur in Sacramentis: quæ vt ſcitè veréque dixit Auguſtinus, Viſibilia Dei Verba ſunt.

Verum eſt quod antecedit:vt ex præcedenti demonſtratione liquet.

Quare etiam conſequens verum eſt. Præclarè ergò Cyrillus pronunciauit,percipi Chriſtum ſola, ſimplice & inexquiſita fide. Orthodoxè etiam Auguſtana Confeſſio,Articulo.13.pronunciat. Itaque vtendum eſt Sacramentis ita,vt accedat fides,quæ credat promiſſionibus,quæ per Sacramenta exhibentur & oſtenduntur. Hac fide accipimus promiſſam gratiam, quam Sacramenta ſignificant,& Spiritum ſanctum.

VII. Ἀπορία.

Sed enim hoc loco occurrit Scrupulus, qui multis pijs hominibus negocium facit, eo quòd opinantur à nobis omninò tolli, Verbi Dei & Sacramentorum diſcrimen: & quia ipſi longè plus tribuunt vni ſacræ Cœnæ, quàm vel Baptiſmo,vel Verbo Dei:quia perſuaſum habent,in ſola nos Euchariſtia Chriſti Ieſu verè participes fieri.

Si,aiunt,non minus quum prædicatur Euangelium, quàm in Sacramentorum liturgia,Ieſus Chriſtus nobis offertur,& à nobis per fidem apprehẽditur: Tum verò, & nihil intereſt inter Verbum & Sacramenta: & Verbo contentos Sacramenta negligere licebit: & ſi quis in Baptiſmo Chriſtum induit,non eſt cur ſacram deſideret Cœnam, vt videlicet Chriſti fiat particeps,cum quo plantatus eſt vt inſititius : denique nullus erit vſus nulla dignitas Euchariſtiæ.

VIII. Λύσις.

Etſi

Etsi quid ad hæc sit respondendum, minimè pijs & eruditis obscurum est:(non enim idem planè sunt, quæ in aliquo tertio conueniunt: nec illud vulgare discrimen est, quando dicimus verbo accendi, Sacramentis obsignari fidem, quæ Christum apprehendit; nec quicquam eorum, quæ nostra caussa, vt in vsu sint vsque ad secundum Christi aduentum necesse est, adiaphorũ haberi debet:nec denique Sacramentum vnum alteri quicquam derogat) tamen quia Iuuentuti ingenioſæ Specialis breuisque διέξοδος de verbo & eius Sigillis prodesse poterit, non grauabimur, veritatis potissimùm illustrandæ gratia,de iis κεφαλαιωδῶς agere.

Christum Iesum,quando is per Euangelium annunciatur, à fidelibus apprehendi,extra controuersiam est.Hoc autem quæritur,Quo tandem organo apprehendatur? Seruiunt quidem aures auscultationi externæ: sed quis inde colligat auribus (propriè loquendo) apprehendi Christum? Hoc igitur,cum beato Apostolo, constitutum habeamus: Habitare Christum per fidem in cordibus nostris.Eph.3.17.

Eundem Christum Iesum à nobis etiam in Baptismo apprehendi, vel illud euincit,quòd Christum induisse dicimur, quotquot baptizati sumus in Christo.Gal.3.27.Quæritur,quo instrumento Christum apprehenderimus? Num corpore & eius organis? Atqui corpus tantùm aqua perfusum est. Fateamur ergo id quod res est fide (cuius semen initiò per sancti Spiritus gratiam in nobis fuit: quod eodem benedicente suo tempore ἐνεργεῖν & vires suas exerere cœpit) seu per fidem, Christum, tanquam vestem nuptialem, nos induere.Ita autem rem habere,testantur exempla eorum,qui quum adulti essent,baptizati sunt, & fidem suam in Christum testati. Relatu autem digni sunt hi duo Aphorismi: Sacramenti aqua,inquit Augustinus, corpus: at Spiritus animam abluit.Baptismus,vt ait Chrysostomus,non est Corporis,sed Animæ lauacrum.

In Baptismo dicimur cum Christo plantati coalescere, conformatione mortis & resurrectionis eius.Rom.6.5.Ergo in eo simus Christi consortes, & velut insititiæ plantæ κατὰ πίστιν, & stamus fide, quia fide Christo iuncti eiusdem Spiritu viuificamur & regimur. Eph.3.6.Rom.11.17.20.Gal.5.6.

Idem iudicium est & de sacrosancta Cœna, in qua non tantùm Sacramẽta foris percipiuntur, sed etiam Res Sacramenti, videlicet corpus Christi pro nobis traditum:& sanguis Christi pro nobis effusus,intus percepta,nos ad immortalitatẽ alunt.Piæ mentes hoc vno nomine cum spirituali gaudio vtuntur sacra Cœna,qui Christum præsentem,participatione sui eas viuificare,persuasum habent.

IX. Ἀπόδειξις ἀναστευαστική.

Iam & Demonstratione reducente ad impossibile & absurdum euincemus,non nisi fidei instrumento,tam in Verbo quàm in Sacramentis, Christum cum omnibus suis beneficiis apprehendi & applicari.

Si enim alio quàm fidei solius,cuius excellens est πληροφορία, instrumento, Christus in Verbo & Sacramentis oblatus, apprehenditur & applicatur: Tum verò(vt est mendacium fœcundum) sequuntur hæc absurda & impia.

1. Christum communem esse posse tam infidelibus, quàm fidelibus.
2. Christo concordiam esse cum Belial hoste fidei.2.Cor.6.15.
3. Christũ nobis nõ Spiritualiter,sed carnaliter cõsiderandũ.2.Cor.5.16.

4. Neque per fidem nos ambulare, neque per aſpectum. 2. Cor. 5. 7.
5. Hominem etiam citra fidem Deo placere poſſe. Hebr. 11. 6.
6. Literam viuificare & laudem apud Deum mereri.
7. Satis eſſe ſi quis ore Deo appropinquet, & labiis eum honoret, ac interim corde longiſsimè ab eodem recedat.
8. Contra rerum ordinem, Spiritualia carnaliter; carnalia ſpiritualiter, in Verbo & Sacramentis percipi &c.

Sed hæc & alia, quæ omitto, abſurda ſunt.

Eſt igitur & id, quo poſito illa ſequuntur, abſurdum.

Cum ergo nobis ſpiritualia cum iis quæ ſpiritualia ſunt, cõiungenda ſint, 1. Cor. 2. 13. retineamus diſtinctionem Actus primi ſeu phyſicæ conſiderationis Corporis Chriſti, cuius reſpectu Chriſti humanitas in Cœlo eſt: & Actus ſecundi, cuius ratione viuifica Chriſti caro nunquam & nuſquam nobis deeſt: & ſolicitè caueamus, ne pro Chriſti in Eccleſia præſentia & apprehenſione, quæ eſt ſpiritualis & ſaluifica, carnalem præſentiam, & monſtroſam, per contactum, Chriſti, velut Capitis, & noſtri, tanquam Membrorum, coniunctionem fingentes, carnalibus cogitationibus nobis ipſis illudamus.

X. Συμπέρασμα.

Quum ergo iam conſtet, Ieſum Chriſtum, cum ſuis beneficijs, ſpiritualiter, Verbo & Sacramentis repræſentari & offerri, eundem non niſi fide apprehendi & applicari, colligimus: id quod demonſtrare oportuit.

Certiſſimum enim eſt Chriſtum ad ſalutem apprehendi, aut carnaliter, inſtrumentis corporis: aut Spiritualiter, organo noui Hominis quod eſt fides. Atqui carnaliter non percipitur, quando nec offertur carnaliter. Spiritualiter igitur quum offeratur, Spiritualiter & percipitur, fidei nimirum inſtrumento, quod dignitate & vſu, omnia corporis inſtrumenta longiſſimè vincit.

Non iam loquor de litera, & externis ceremoniis & Symbolis: ſed de Spiritu, ſeu de internis Dei donis, in quibus inſtaurationis noſtræ prora & puppis poſita eſt.

XI. Πορίσματα.

Operæpretium autem fuerit ἀποτάγματα, καὶ τὰ τῆς προσθήκης μέρη, quæ bona conſequentia ex ſuperioribus rectè colliguntur, & ad illa explicanda plurimum conducunt, hoc loco commemorare: vt pia hæc doctrina pijs ingenijs tantò magis innoteſcat & dulceſcat.

Poſita ergo hac vera Theſi, Sola fide apprehenditur Chriſtus ad ſalutem oblatus per Verbum & Sacramenta, ſequuntur hæc πορίσματα.

1. Nec verbum Dei eſſe κοινόμυον: nec Sacramenta eſſe inania ſymbola, rerum omnibus modis abſentium: quum vtriſque verè adſit, & eis nos tum erudiat tum obſignet Chriſtus.
2. In vtriſque tamen conſiderandam nobis eſſe literam & Spiritum.
3. Literam ἀιδακτῶς, à Verbi Dei Miniſtris: Spiritum verò νοητῶς, ab ipſomet Chriſto, ſubminiſtrari.
4. Verbum externum à Miniſtro promulgatum aures: Verbum autem internum

internum,quod Spiritus Christi annunciat,cor fidele,percipere.

5. Sacramenta corporaliter percipi, Rem autem Sacramentorum spiritualiter per fidem.

6. Hominum ministerio & Sacramentis nos vti: Spiritus sancti autem magisterio,& ipsomet Christo,eiúsque beneficijs, ad salutem nostram frui.

I. πρόβλημα.

Fideles in Ecclesia noui fœderis, non alio instrumento Christũ apprehendere,quàm eo quo & Abrahamus eundem apprehendit, nimirum fide viua,demonstrare nobis est,σὺν θεῷ,propositum. Addemus autem locis opportunis,& confirmandæ & illustrandæ huius doctrinæ gratia,Confutationes errorum cum orthodoxa hac doctrina pugnantium: vt habeant pij ἀντιφάρμακα aduersus periculosas carnis cogitationes, de Præsentia & communione Iesu Christi Domini nostri.

II. Ἔκθεσις τοῦ διδομένου.

Subiectum,seu διδόμενον in hoc Problemate est, Fideles Christum Iesum per Verbum & Sacramenta oblatum, verè ad salutem percipere & eo frui: vt ex Theorematis præcedentis διεξόδῳ & tractatione liquet. Meminerint autem pij hæc dici de ijs, qui vniuocè dicuntur fideles, & quos Paulus quidem vestigijs fidei Abrahæ insistere,Rom.4.12. Christus Iesus autem Abrahæ opera facere,Ioan.8.39. testantur.Hi omnia,quæ ad salutem pertinent,à Christo abluti,cum eodem communia habẽt.Ioan.13.8.sunt vnum in Christo,Ioan.17.21.

III. Διορισμὸς τοῦ ζητουμένου.

Problematis quæsitum seu prædicatum est, Sed ita vt Abraham eum apprehendit, sibíque applicauit: non alio modo, nec etiam alio instrumento adhibito. Rectè itaque faciunt,qui quum de participatione Christi & de communione capitis & Membrorum eius, seriò cogitant:Abrahæ exemplum intuentur,& incedunt eius vestigijs.

IIII. Κατασκευή.

Quum ad Problemata rectè tractanda plurimum faciant ἀιτήματα, Postulata,nonnulla,tũ confirmandæ tũ illustrandæ sententiæ caussa,recitabimus.

1. Quicquid ordinariè & mediatè egit & agit Deus in Ecclesia, id præstat foris quidem per Verbum & Sacramenta, quorum λειτουργοὶ sunt Ministri legitimè vocati: intus autem, per Verbum internum, & Rem Virtutémque Sacramentorum,quæ omnia Spiritus sanctus dispensat.

2. Vetus & Nouum Testamentum,non substantia: sed dispensatione, differunt.

3. Vt communis est toti Ecclesiæ vtriusque fœderis, legis & Euangelij sapientia:Sic sacramenta patrum & nostra, signis diuersa fuerunt, rebus eadem sunt.

4. Inter Ministerium internum & externum, inter Verbum internum & externum: quemadmodum & inter Rem Sacramenti & Sacramentum, est κίσις, seu mutuus respectus,qui & vnitio Sacramentalis(quæ relatiua est,quum sit signi & signati) nuncupari consueuit.

5. Externum Verbũ,& Sacramenta,externo homini, à Miniſtro externo,offeruntur:ſed internum Verbum & Res Sacramenti, interno ſeu nouo homini,à Miniſtro interno exhibentur: ea tamen lege vt hominis totius inſtaurationi conſulatur.

6. Chriſtus offertur nobis tam per Verbum,quàm per Sacramenta. Idèò non minus æquum eſt nos probare nosmetipſos, quando audiendum eſt ſacroſanctum Dei Verbum,quàm quum vtendum eſt Sacramentis:quorum non eſt maior dignitas & vſus quàm Verbi Dei.

7. In Verbo annunciatur & offertur nobis Chriſtus,vt Sapientia & Redemtio:in Sacramentis obſignantur eius beneficia, vt ea nobis ſingulis deſtinata intelligamus:ſed in vtriſque fide percipitur.

8 Verbum externum, auribus: Verbum internum, corde fideli, percipitur. Aqua Baptiſmi foris corpus abluit: Sanguis Chriſti conſcientias noſtras intus emundat. Sacramenta corporis & Sanguinis Chriſti, foris, ore percipiuntur:Res autem Sacramenti,intus,fide apprehenduntur &c.

9. Quod corpori ſunt Senſus interiores & exteriores, id nouo Homini eſt fides:quæ Aurium inſtar eſt,& audit Chriſtum: Oculorum inſtar eſt, & videt Chriſtum:Narium inſtar eſt, & fragrantiam Chriſti percipit: Oris inſtar eſt,quod viuificã eius carnem edit: Manuum inſtar eſt, quibus Chriſtus cum omnibus ſuis donis apprehenditur & retinetur &c.

10. Vt fides Chriſtum oblatum cupidè apprehendit, & eo fruitur: ſic incredulitas eundem oblatum,contumeliosè reiicit,& aſpernatur.

11. Apprehenſio Chriſti in diuinis Scripturis,aliàs propriè enunciatur: aliàs autem tranſlatè. Propriè dicitur fides viua in Chriſtum redemtorem,à qua fideles, πιστοὶ, vocantur ij,qui efficaci Dei vocatione ſanctificati ſunt de Mundo.

12. Tranſlatè autem multiuariam enunciatur. Aliàs,inſeri Chriſto, Rõ. 6.5.aliàs,induere Chriſtum vt nuptialem veſtem.Gal.3.27.aliàs, cum Chriſto ſepeliri & reſurgere. Rom.6.4.aliàs, Chriſto capiti congruenter coagmentari,& in eodem adoleſcere. Eph.4.15.16. aliàs ceu palmitem in Chriſto,tanquam vite manere,Ioan.15.5.aliàs,panem qui de cælo deſcendit manducare,Ioan.6.51.aliàs,carnem Chriſti edere,& ſanguinem eiuſdem bibere, Ioann. 6. 53. (Scitè autem dixit Auguſtinus: Chriſtus eſt Vitis, Agnus, Panis: non proprietate naturæ, ſed ſimilitudine) aliàs,illuſtrari per Chriſtum,Epheſ.5.14.aliàs, per vnum Spiritum in vnum Corpus baptizari:vna potione vti in vnum Spiritum.1.Cor.12.13.

13. In horum diſpenſatione τὰ νοερὰ,νοερῶς: καὶ τὰ αἰσθητὰ,αἰσθητῶς, & offeruntur & percipiuntur.

14. Proprijſſima fidei ἐνέργεια eſt, Chriſtum per Verbum & per Sacramenta oblatum,religioſo,cum deſiderio recipere.

15. Fides & dignitate & vſu præcellit,omnia animalis hominis αἰσθητήρια & inſtrumenta:& in ijs lucet, qui propter habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali.Hebr.5.14.

16. Eadem eſt electionis,vocationis, iuſtificationis & ſanctificationis Patrum & Noſtri ratio,eædem cauſſæ.

17. Pædagogia tantum Leuitica, & Chriſtiana libertas: & reuelationis menſura,Patres & nos diſcriminant.

18. Κοινωφελὴς Chriſtus ratione τῆς κοινωνίας ſuis adeſt & prodeſt: quatenus autem

autem is infidelibus ἀκοινώνητος est, abesse & proinde eis nõ prodesse dicitur.

V. Ἀπόδειξις κατασκευαστική.

Si pater ille fidelium Abraham, non nisi fide viua, Christum Iesum ad salutem per Verbum & Sacramentum oblatum, apprehendit, Tum irrefragabiliter sequitur, & nos illius secundum fidem communem Filios, eundem Iesum Christum per Verbum & Sacramenta oblatum, nullo alio quàm fidei instrumento apprehensum, nobis applicare. Ratio disertè tradita est à Paulo. Gal. 3. 7. Nostis eos qui ex fide sunt, Abrahæ filios esse. Item, v. 9. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham.

Sed Abraham, non nisi per fidem Christi Iesu particeps factus est. Argumento sunt illa omnia quæ memoriæ prodita sunt, de obedientia fidei illius erga Deum se vocantem, Hebr. 11. 8. Gen. 12. 4. de illius per fidem iustificatione, Rom. 4. 3. de eiusdem circumcisione, qua obsignata fuit iusticia fidei quæ in eodem erat per imputationem, eodem cap. vers. 11. Sciant autem Pij, neminẽ nisi in Christo vnquam electum, vocatum, iustificatum & benedictionis cœlestis participem esse factum. Ab eo igitur apprehensi, vicissim per fidem illum ipsum apprehendunt.

Ergo & nos fideles Christum per Verbum & Sacramẽta oblatum & obsignatum, sola, simplicéque fide apprehendimus: & eo nomine sola fide iustificari dicimur. Rom. 4. 24.

Sit autem hæc altera Demonstratio, sed ἀναγκαστικὴ, per reductionem ad impossibile & absurdum.

Si alio instrumento modóque, Abraham Christum apprehendit, quàm quo nos eum apprehendimus ad salutem, Tum sequuntur hæc impia & absurda & ἄδυνατα.

1. Abrahamum non esse patrem nostrum secundum communem fidem Electorum: quo posito sequetur, aut ipsum fuisse fidelem, nos verò infideles ἢ ἀθέους: aut nos quidem fideles esse, ipsum autem fuisse infidelem, & proinde Dei hostem, damnationi æternæ & exitio obnoxium.

2. Non eadem esse salutis & Iustificationis Saluandorum principia: nec eandem rationem: quo posito, subuertũtur Pauli illa ἀμεταπτώτα argumenta, de Iustificatione Abrahæ, Rom. 4. Galat. 3. & de Electione Isaac & Iacob, Rom. 9.

3. Eandem non esse veteris & Noui Testamenti substantiam: quum tamen in vtroque sit idem Deus Pater, idem Mediator Christus, idem Spiritus Paracletus & arrhabo, idẽ pactũ salutis, eadẽ promissio vitæ æternæ, eadẽ legis & Euangelij doctrina, (hæc tamẽ illustrior esse cœpit, Deo iam in Carne manifestato) eadem fides, eadem vocatio & iustificatio, res Sacramentorum eædem, signis tantùm variantibus, eadem meta æternæ vitæ.

4. Vel nobis, vel Patribus, nullum in Dei regno locum esse. Etenim si non communi fide ab vtrisque Christus apprehenditur ad salutem, Tum sequitur vel nos incredulos esse, vel illos, & proinde à Dei regno alienos.

Sed hæc omnia, & multa alia absurda, ex falsa illa hypothesi, sequũtur: quæ consultò prætermittimus.

Quare & illa hypothesis falsa erit & impossibilis.

VI. Ἀπορία.

Sed enim, dicet aliquis, Patribus tribuuntur vmbræ, Nobis autẽ ipsa Veritas: quum illi Christum Iesum nondum incarnatum, nequaquam apprehendere, induere, carnem eius manducare, sanguinem eius bibere, vllo modo potuerint. Porrò, si non minus in Verbo quàm in Sacramentis percipitur, nihil plane intererit Verbùm ne audias, an verò Sacramentis vtaris sublato videlicet Verbi & Sacramentorum discrimine.

Λύσεις.

Vtinam verò, qui sic argumentantur, Paralogismos istorum λεπτολογημάτων diligenter perpenderent. Sed ad rem.

1. Patribus tribuuntur vmbræ, fateor: sed secundum quid, propter pædagogiam & ceremonias legis, non autem simpliciter. Si enim ἁπλῶς expertes fuissent veritatis, tum vel citra hanc seruati essent: vel nulla fuisset vera Israelis ad æternam vitam sanctificati, Ecclesia: & falsum esset illud ἀξίωμα: Iesus Christus hodiè & heri idem est. Atqui hoc quidem verum est: vtrumque autem illorum, extremè absurdum.

2. Quid autem est Principium petere, si hoc non est, affirmare Christũ ideò à Patribus apprehendi non potuisse, quòd is nondum esset incarnatus? Patres per fidem incarnandum apprehenderunt, vt totum ferè Cap. 11. Epistolæ ad Hebræos ostendit: vt iam alia loca præteream: Nos verò iam incarnatum, fide percipimus: vtrique vt Christum, salutis nostræ vnicum auctorem: non autem vt substantiam corpoream: actus, inquam, secundi, cuius ratione Christi caro viuifica est, non autem primi actus respectu.

3. Ἀμυσταγωγίαν autem postremam, Dei (cuius mandatu & in Verbo & in Sacramentis Christum per fidem apprehendere iubemur) Timor & reuerẽtia discutere debebat. Scilicet, quia eadem res in Verbo & Sacramentis offertur, & eodem, nimirum fidei, instrumento percipitur: ideò nihil interest inter auscultationẽ Verbi, quod γενικῶς promulgatur: & vsum Sacramentorũ, quæ visibilibus signis adhibitis, ἰδικῶς singulis, rem significatam obsignant & confirmant? Quid supereſt, nisi vt iidem Argumentatores, ex nostra hypothesi etiam illud (quod tamen planè ἀνακόλουθον est) colligant, videlicet, posse aliquem Verbo contentum, aspernari Sacramenta?

VII.

Quoniam hactenus τὸ ὅτι, videlicet non nisi fide Christum apprehendi & applicari, docuimus: supereſt, vt etiam ad τὸ διότι accedamus, & quare non nisi fide, apprehendatur & applicetur Christus, demonstremus: & eadem opera, ἀλεξιφάρμακα aduersus periculosos Carnis, seu Rationis humanæ nondum regenitæ, errores, piæ doctæque Inuentuti subministremus.

1. A præsentiæ Christi & eius participationis ratione.

1. Sit hoc primum Antidotum. Qualis est Iesu Christi Domini nostri præsentia in tota Catholica Ecclesia, talis est & eius exhibitio & participatio. Fieri enim nullo modo potest, vt aliter exhibeatur & percipiatur, quàm eo quo ille præstò est Ecclesiæ, & se ei fruendum exhibet.

Adest autem Ecclesiæ suæ non visibili, locali ἐν σωματικῇ παρουσίᾳ: quòd sciret

sciret ei expedire vt ipse quidem abiret: Spiritus sanctus autem Consolator ad eã mitteretur. Ioan.16.7. sed adest τῇ πνευματικῇ καὶ ἐνεργητικῇ παρουσίᾳ, vt Deus in Carne patefactus, viuifico suo Spiritu totius Ecclesiæ Corpus viuificans, regens, illuminans, sanctificans: sceptro verbi sui regens: lauacro regenerationis emundans: communione sui alens.

Quare non nisi πνευματικῶς, spiritualiter, à nobis percipitur: quum non aliter adsit. Enimverò si in vno alteróve Sacramento corporaliter seu carnaliter adesset, aut eodem modo adesset in Verbo, aut dissimili modo. Si eodem, erat id non tam timidè affirmandum, quàm fortiter probandum. Sin autem dissimili ratione, tum aut superiore aut inferiore. Si superiore, tolletur analogia & & συμμετρία Verbi & Sacramentorum: Si inferiore, tum minus tribuendum erit verbo, quàm Sacramentis: quod est absurdum.

2. Secundum ἀντίδοτον hoc esto. Quicquid corporaliter seu carnaliter adest localiter quoque adest, & potest sensualiter percipi: id potest oculis cerni, manibus tangi: nec opus habet visibilibus Sacramentis id repræsentantibus.

2 A Corporis actu primo præsentis cõsideratione.

Atqui, opinione Nicolai Papæ qui Berengario palinodiam præscripsit, Corpus Christi corporaliter est in Eucharistia, & ore corporis percipitur sensualiter, & non minus quàm panis, dentibus teritur.

Idem igitur Corpus oculis cerni, manibus tangi potest, nec Sacramentis repræsentari necesse habet. Hæc autem quum sint ἄτοπα & falsa, quis dubitet falsa esse & illa, è quibus ortum ducunt? Rectissimè igitur Bernardus, Christus, ait, humanitatem suam ab Ecclesia (militante) subtraxit, vt daret locum fidei. Super Cantica, Serm.75.

3. Tertium ἀντίδοτον peti potest ex verbis Christi seruatoris: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan.20.29. Hominum alij Christum nec oculis carnis, nec fide intuiti sunt, vt Phocion: alij oculis carnis & fide eum intuiti sunt, vt Apostoli: alij aspexerunt eum carnis, non fidei oculis, vt Caiaphas & Pharisæi: alij denique, non carnis, sed fidei oculis eum intuiti sunt, vt Abraham, Ioann.8.56. & nos omnes.

3 A fidei, Iesum vt Christũ: & oculorũ carnis, eundem vt ψιλὸν ἄνθρωπον inspicientium, antitheſi.

Etsi autem (si quidem carnis iudicium consulas) præ omnibus felices videntur fuisse Apostoli, & eorum similes fideles, quibus olim datum fuit, Christum Iesum & carnis & fidei oculis intueri: Tamen longè secus rem habere, vel illa Christi Iesu ad Discipulos verba, testantur: Quia hæc (de abitu meo ad Patrem) loquutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam. nisi enim abiero, Consolator ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittam eum ad vos. Ioan.16.6.7.

Si non erat è re Apostolorum, Christi secundum carnem visibilis & localis præsentia, multò minus eiusdem secundum carnem præsentia inuisibilis & illocalis (quæ corpus ἀσώματον facit) è re nostra fuerit.

Verum est quod antecedit: vt ex Christi dicto liquet.

Verum igitur est & quod consequitur.

Scitè profectò dixit Augustinus, Tract.68. in Iohannem. Fides qua eorũ qui

Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur corda mundantur, quod non videt (carnis nimirum oculis & sensibus) credit. Nam si vides, non est fides. Idem lib. 13. de Trinit. C. 1. Rerum absentium præsens est fides: & rerum quæ foris sunt, intus est fides.

4. Quartum ἀνυπόδετον est, Si Christus carne sua, actu primo, seu physicè adesset dispensationi verbi & Sacramentorum: Tum haud dubiè pro sua humanitate, nobis se conspiciendum, tangēdúmque exhiberet: nos, vt olim Apostolos suos alloqueretur: nec Sacramentalibus signis eius memoria repetenda foret: nec Ministros ipsius testes & præcones esse, necesse foret.

Sed nullo sensu Caro eius percipi potest: & nobis opus est Verbi & Sacramentorum dispensatione.

Non igitur carnaliter & naturaliter adest: sed vt Christus θεάνθρωπος, omnipotens, omniscius, verax &c. id quod fide edocti, sentimus & testamur.

VIII.

Vident itaque piæ mentes, sola fide Christum, ad salutem per Verbum & Sacramenta nobis oblatum, à nobis apprehendi & καρδίαν applicari: ὅπερ ἴδιόν ποιεῖν.

Etsi autem fidem nostram diuina tantum auctoritate, non autem humanis suffragiis, niti debere, persuasum habemus: quia tamē magnorum Ecclesiæ luminum & doctorum, selecta dicta neutiquā nobis sunt negligēda, addimus coronidis vice dictū πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Reuerēdi & Clarissimi viri, D. D. Martini Lutheri p.m. quod exstat in Enarratione Geneseos, Cap. 48. Si credis, habes: si non vis credere, nihil habebis. Sic enim sonat promissio: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Adest Sacramentum Altaris, adest Baptismus, adest Verbum in Concione. Tantum verò habes, quantum credis. Si credis, iam omnia potes: iam omnia possides.

XI. Ἐπόδυματα.

Qui alio, quàm fidei organo Christum Iesum per Verbum & Sacramenta oblatum percipi posse opinantur, illi non vident se ad horum errorum præcipitia festinare.

1. Sensus & organa corporis, plus ad instaurationem hominis conferre, & præstantiora esse, quàm sit fides viua.

2 Sine fide posse hominem Deo placere. Quis autem dubitet Christum verè apprehendentes Deo placere.

3. Spiritualia dona corporalibus instrumentis: & contra corporalia Spiritualibus, apprehendi: præter rerum naturam.

Econtrariò, qui fide sola, simplice & inexquisita (vt Cyrilli Alexandrini vocem repetamus) Christum ab omnibus fidelibus, apprehendi & applicari statuunt: Spiritualia spiritualiter: Corporalia & sensibilia, corporaliter percipi intelligunt, & à Christo in quo electi, vocati, iustificati sunt, sola fide, exemplo Patris fidelium Abrahæ, bona necessaria, petunt, impetrant & accipiunt. Cætera, de quibus pia & literata iuuentus commonefacienda est, in ipsa συζητήσει, provt dabit Dominus Iesus, trademus.

DE

DE SCRIPTVRIS CANONICIS, THESES,

de quibus 24. Maij, & 7. Iunij Anni 1576. Optimarum Artium Magister IACOBVS FORERVS *Bernâs, publicè respondit : Præside* IOAN. IACOBO GRYNÆO.

Ioan. 5. versib. 39. 46. 47.

Scrutamini Scripturas: nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere : & illæ sunt quæ testificantur de me.
Si crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit.
Quod si illius scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

I.

QVIA de diuinæ Scripturæ, quæ est instar Epistolæ Domini Dei nostri ad hominum genus, Auctoritate, Interpretatione, de Canonicorum Librorum numero, & versione: de iis, quibus sacra Biblia legere licet : déque vsu scripturæ, Romanæ Ecclesiæ assertores litem nobis intendunt : visum est, Methodo Didactica, tùm quid piis omnibus de sacra Scriptura in vniuersum statuendum, tùm quid εἰδικῶς de capitibus illis controuersis pronunciandum sit ostendere: vt & nostri Scripturas sanctas amare & meditari, σὺν θεῷ pergãt: & si qui moderatiores sunt in parte aduersa, quibus de caussis tantùm Scripturis θεοπνεύστοις deferamus, intelligant.

II.

DOCENDI caussa initiò affirmamus, Scripturã sanctam, vel esse cordis, vel ministerij vtriusque Testamenti. Cordis ea est, quam Spiritus Dei viuentis, in tabulis cordis carneis, scribit, vt præordinati ad vitam credant, & θεοδίδακτοι fiant. Ierem. 31. Heb. 10. 2. Corinth. 3. Alia quadam Metaphora, dicitur & vnctio 1. Ioan. 2. Ministerij Scriptura est, quæ Spiritui sancto famulans, à liturgis Iesu Christi, tùm viua voce, tum διὰ χάρτου καὶ μέλανος, ad tradendam, propagandam & ad posteros transmittendam sanam doctrinam, de nostra per Christum creatione, reconciliatione cum Deo, regeneratione, fidelissimè inculcata est, & literis memoriæque prodita. 2. Corin. 3. 2. Ioã. versu 12. Philipp. 3. Interdum Scripturas, speciatim pro vaticiniis sumi, liquet. Luc. 24. Act. 1.

III.

DE Cordis Scriptura, quam Spiritus sanctus immediatè exarat in cordibus filiorum Dei, déque Prophetarum & Apostolorum doctrinæ, quam viua voce olim tradiderunt, veritate (non iam de τῇ διανοίᾳ multorum locorum Propheticorum & Apostolicorum, de qua non potest conuenire nostris & Pontificiis, agimus : sed in genere de Doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ certitudine & firmitate) sani omnes cõsentiunt, & fatentur in dubium non esse vocandam. Controuersia omnis est de eo, vnde tandem

nobis constet hæc scripta, Prophetica & Apostolica esse: ac libros hosce Canonicos, authenticos & omni exceptione superiores esse. Sunt enim nonnulli (quibus precamur lucis & veritatis diuinæ fulgorem) qui in homines respicientes, non nisi Ecclesiæ (repręsentatiuam eos intelligere ex eo liquet, quòd Laicis lectione verbi Dei interdicunt) suffragatione & testimonio, fidem Scripturæ sacræ & auctoritatem conciliari putent: quasi verbo Dei opus sit humano patrocinio & consensu.

IIII.

Nos econtrà, vt olim Iudæis nõ eo consilio Dei oracula commissa arbitramur, ne eis deesset auctoritas & pondus: sed vt lucerna essent pedibus vestrorum Israëlitarum, & lumen semitis eorum: cui ceu lucernæ in caliginoso loco lucenti attendentes, rectè facerent: sic Ecclesiæ libros Prophetarum & Apostolorum, non confirmandos iudicio humano, sed attenta lectione scrutandos, Iesu Christi crucifixi discendi caussa, arbitramur.

V.

Narrat Eusebius Ecclesiasticæ Hist. lib. 2. cap. 2. Romanos de seruatore nostro Iesu Christo à Tiberio Cæsare edoctos, recusauisse eum pro Deo habere, quòd Lex apud Romanos obtineret: Ne quis Dei loco haberetur, quem Senatus, sententia decretóque suo, tanquam Deum, non comprobasset. Ita quidam negant esse vllam verbi diuini, seu Scripturæ αὐθεντίαν, nisi Ecclesia suo testimonio eam conferat. Istis respondemus, primùm cum Eusebio: Diuina virtus non indiget humanis assertionibus: deinde cum Tertulliano: Apud Ethnicos humano arbitratu diuinitas pensitatur: & nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit. Possunt enim hæc dicta commodissimè iis obiici, qui Scripturæ auctoritatem ab Ecclesia pendere fingunt.

VI.

Omnes intelligentes fatentur parum piè dici, Incertum fore an sit Deus: an cura nostri afficiatur, nisi homines nonnulli ita se rem habere affirmarent: quum Deus nunquam se ἀμάρτυρον esse permiserit. Quis igitur non fateatur irreligiosè dici, Scripturæ certitudinem & ἀξίωμα, ab Ecclesia præcipuè, non ab auctore Deo pendêre: licet Ecclesiæ veræ iudicium magni, vt decet, faciamus?

VII.

Quaerimvs, quos tandem libros, Ecclesiæ auctoritas, authenticos reddiderit? Si dixerint, Veteris Testamenti libris Canonicam dignitatem hominum suffragiis attributam: Respondebimus, hos à Christo Domino sic nobis commendatos (Matth. 5. & 26. Luc. 24. Ioan. 5.) vt fidelibus attentè legendi, non ab iis demum eam ob caussam comprobandi sint, ne fide careãt: nisi fortè negãt ἀντίπαλοι sufficere Christi iudicium & testimonium. Sin verò Noui fœderis libros, Ecclesiæ suffragio approbatos obiecerint: non iniuriâ interroga-

interrogabimus, quare postponāt horum auctoritatem, τῇ αὐθεντίᾳ librorum Veteris Testamenti? Cùm γραφὴ θεόπνευστος sit, cùm etiam testimonio Spiritus sancti probetur, ἔσωθεν in cordibus piorum eam meditantium, cùm fidei analogiæ respondeat: cur non fatentur eam diuino, non humano solum, testimonio probari?

VIII.

DICIMVS autem Sacram Scripturam, esse συνταγμα, librorum à Prophetis & Apostolis, non hominum voluntate, sed Spiritu sancto impulsore scriptorum, in quo præclara διδασκαλία sanorum sermonum de pietatis mysterio, & historia filiorum Dei & seculi huius, initio à prima rerum creatione ducto, contineatur, citra omnem errorem: vtilis ad doctrinam, correptionē, redargutionem & exhortationem, vt sit integer homo Dei in illo diligenter versans. Luc. 24. 2. Pet. 1. Gen. 1. 2. Tim. 3.

IX.

EIVS Libri discerni possunt, secundum Testamenta duo, in vtriusque Testamenti libros: secundum Scriptores, in Propheticos & Apostolicos: secundum auctoritatem, in Canonicos & Apocryphos: secundum materiam, in Historicos, in Didacticos, quibus adiungere licet, Propheticos & Paræneticos: licet plerique omnes misti sint.

X.

CVM D. Hieronymo & erudita Antiquitate, negamus inter Canonicos Libros Testamenti Veteris numerandos, esse hosce, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Macabæorum libros: & Danielis ac Estheræ appendices, cum Esdræ 3. & 4. lib. quos omnes lectu dignos, in Canone autem non recensendos, ideo statuimus, quia Apostolos horum testimonia non vsurpasse, non sine ratione, iudicamus. Mirum autem est Tridentinos præsules sibi persuadere potuisse, neminem fore, qui cur in Canonem Apocryphos libros retulerint, intellecturus esset.

XI.

PRAESTAT autem, materiæ respectu, sacrosanctam scripturam, in Legis & Euangelij doctrinam, exemplis historicis, fidem Electorum & incredulitatem Reproborum egregiè declarantibus, illustratam: adiunctis sicubi Spiritui sancto placuit, prædictionibus de rebus futuris, ὀρθοτομεῖν: quàm cum Neoterico quodam viro vt apparet multæ lectionis amante, Sacra Biblia, in tres partes, Legem, in Veteris Testamenti libris traditam, Euangelium in prima Noui Testamenti parte expositum & Doctrinam Apostolorum, secunda Noui Testamenti parte enucleatam, imperiti coqui instar (vt Platonico simili vtamur) lacerare, sicque Historicam Theologiam constituere. Apostolica enim doctrina, Euāgelium in iis quæ fidei sunt: Legē, in caritatis doctrina explicanda, tradit: non aliud tertium genus doctrinæ, à Lege & Euangelio distinctum, complectitur. Exstant etiam Conciones Euangelicę in veteris Testamenti Libris: Conciones Legales in Euangelistarum libris: vnde liquet vitiosam esse partitionem illam nouam.

XII.

SCRIPTVRAM sacram ab auctore Deo profectam, Apostoli docuerũt, quando illam θεόπνευστον appellantes, negarunt θελήματι ἀνθρώπων allatam, cùm à Spiritu sancto acti loquuti sint sancti Dei homines: & non tàm ipsi, qui amanuenses Dei erant, & loquuti sint & scripserint, quàm Spiritus Patris. 2. Timoth. 3. 2. Pet. 1. Matth. 10. Ideo, qui eos spernit, Deum spernit. Luc. 10.

XIII.

DVO hẽc colligimus, Alterum est, περὶ τῆς αὐθεντίας, Sacrosanctam nobis esse debere diuinam Scripturam, quum sit à Deo, qui fallere & mentiri nescit, & qui innotescere & conspici nostro summo bono voluit, profecta: & ab eodem prouidentia admirabili, Antiocho Epiphane & aliis Persequutoribus eam è manibus & oculis hominum auferre cupientibus, ceu præclara παρακαταθήκη asseruata, & ad nos vsque quasi per manus transmissa. Alterum, περὶ τῆς ἐπιλύσεως, Non esse eam propriæ & priuatæ interpretationis, id est, non iudicium carnis, sed vnctionem Spiritus, propriam & natiuam Scripturæ sententiam, fidei analogam, quasi digito monstrare: cùm idem auctor & interpres Scripturæ optimus sit, Christi videlicet Spiritus.

XIIII.

IIS, qui aiunt nullum sensum Scripturæ affingendum, nisi quem sancta Mater Ecclesia tenet, respondemus cum B. Hilario: Optimus ille Lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius, quàm imponat: & retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat hoc videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpsit intelligendum. Lib. 1. de Trin. Annon auferunt dictorum intelligentiam, qui vbi sibi persuaserunt, peccatum originis esse pœnam verius quàm culpam: esse fomitem tantùm: pura esse naturalia: liberum esse hominis arbitrium: esse merita congrui & condigni, &c. Scripturas non alio consilio legunt, quàm vt etiam obtorto collo detortis eius testimoniis, placita sua defendant?

XV.

VT ne Sacras Literas, veluti philosophicos commentarios, qui doctiores faciant legentes, non autem meliores, legamus & meditemur: duo fines considerandi erunt, quorum prior est de Scopo fidei nostræ, quæ ὑπογνώσει τῆς ἀληθείας definienda est: posterior, de vtilitate quæ ad nos redit ex diligente lectione. De Scopo, testimonium exstat. Ioan. 20. Hæc scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus sit Christus ille filius Dei: & quòd credentes habeant vitã æternam per nomen eius. Vtilitatem, quã in hac militia Ecclesię constituti quotidiè percipimus, commendauit Apostolus: Quæcunque, inquiens, præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Rom. 15. Idem, quomodo ea, quæ ad doctrinam & mores spectent, & quo fine doceat Scriptura, his verbis indicat: Omnis Scriptura diuinitùs inspirata, est vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia: vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

XVI.

XVI.

Ad cognitionem veritatis, necessariam esse Scripturam, ex eo liquet: quòd Filius Dei Sadducæis verè obiecit: Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei Matth. 22. 29.

XVII.

Proinde, qui Laicis, quos appellant, lectione & meditatione religiosa & sobria verbi Dei interdicunt: qui Libros sacros in vernaculam linguam ideo vertendos negant, ne Laici eos legant, qui exemplaria Bibliorum comburunt (id quod hoc nostro seculo, tanta luce doctrinæ refulgente factum, posteritas non minus admirabitur: quàm nobis Antiochi Epiphanis, Iuliani Apostatæ & aliorum Tyrannorum, qui S. Libros quasi exstirpatos voluerunt, sæuitia & impietas summæ admirationi est) eorúmque caussa pios homines suppliciis afficiunt: non modò in proximos iniurij sunt, dum eos errare volunt, potius quàm normam veri accuratè sequi dúmque eum thesaurum illis eripiunt, quem Deus eis pro infinita sua bonitate donauit: sed etiam in Deum æternum & omnipotentem, qui vt ἔσωθεν per Spiritum sanctum: sic ἔξωθεν per verbi sui prædicationem, auscultationem, lectionem, meditationem, nos alloquitur. Annon hoc θεομαχεῖν est, Tabulas de voluntate Dei à Deo generi humano, per manus sanctorum Prophetarum & Apostolorum exhibitas & commendatas, maximæ parti populi Dei eripere? Et eis tantùm attribuere, qui potestate interpretandi instructi finguntur: quum maxima eorum pars dono interpretandi Scripturas destituatur: & Scripturæ ὑπήλυσις doni sit & vnctionis Spiritus sancti: non prætoriæ cuiusdam potestatis?

XVIII.

Scriptvras solui non posse, & ἀμεταμέλητον πίστιν flagitare & mereri, extra controuersiam esse dicimus. Ioan. 10. Matth. 5.

XIX.

Etsi autem verè dixit Petrus, in Paulinis Epistolis esse quædam intellectu difficilia, quæ indocti parúmque stabiles detorquent, vt & reliquas Scripturas ad suum ipsorum exitium: non tamen pium est, Spiritus sancti sermonem obscuritatis & ambiguitatis insimulare & traducere: quasi Dei Oracula, Sibyllinis foliis, & Delphicis vaticiniis, quæ erant reuera ἐπαμφοτερίζοντα, similia sint. Præstabat Criticos istos, suam inscitiam ingenuè fateri, & se dociles exhibere Spiritui sancto, Scripturas in summo habere pretio, quàm illam incessere contumeliosis dictis. Et nos de doctrina cœlesti, eiúsque Tabulis ac ministris, aduersus morsus Censorum istorum, cum Apostolo respondemus: Quòd, si obtectum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt obtectum est. 2. Corinth. 4.

XX.

Errant etiam toto cœlo, qui Traditiones & Canonicas Scripturas eodem habendas loco, & pari (vt loquuntur) pietatis affectu prosequendas decernunt: paralogismo gemino peccantes, Petitione inquam Principij & Ho-

monymia. Principium petunt, quando eas traditiones Christo & Apostolis affingunt, quas ab eis profectas, ad Græcas demum calendas probabunt: Verbi gratia, Sacrificium Missæ pro viuis & mortuis: Vnctionem extremam: &c. Homonymia biuariàm ludunt, & quando diuinas traditiones cum humanis confundunt, & cùm vocem Traditionum ad ceremonias restringunt: cùm tamen παράδοσις doctrinam traditam seu viua voce, seu per epistolam, significet. Matth. 15. 2. Thess. 2.

XXI.

ETSI autem vulgatam S. Bibliorum versionem, quæ D. Hieronymo à multis per errorem, si magnam librorum sacrorum partem consideres, vulgò ceu auctori tribuitur, nequaquam vt infrugiferam lectu aspernamur: quia tamen multa habet incommoda, Veteris Testamenti libros, ex Hebraico sermone: Noui autem, è Græco, & corrigendos & vertendos statuẽtes, piorum virorum, qui hac in re præclaram operã nauarunt Ecclesiæ, Conuersiones bona fide, & summa qua fieri potuit diligentia adornatas, subministrârunt, amplectimur, omnia in eis probantes, & feliciter reddita retinentes. Quòd si Papa supra Concilium est, contra quàm olim in Basiliẽsi Concilio disputatum fuit, quî factum sit, vt cùm Leo 10. Hadrianus 6. Clemens 7. Pagnini & Erasmi interpretationes probarint, Synodus Tridentina è contrà γενικῶς Nouas conuersiones, præ vulgata & vetere, improbare sit ausa, non iniuria aliquis miretur.

XXII.

SCRIPTVRIS vtendum, ad institutionem nostri in fide, spe & caritate, ὁμοθυμαδὸν fatemur: ac vellemus sanè, τὰς ἀντιπάλους eis non abuti, ad transubstantiationem perficiendam, ad 7. Sacramenta stabilienda, ad baptismum campanarum, ad consecrationes lardi, butyri, panis, ouorum & aliarum Dei creaturarum, quas Apostolus bonas & neutiquam reijciendas docuit. Quã-tò satius erat, ex vno verbo Dei scripto, veram doctrinam discere, ei contradicentes ἐλέγχειν, ad bonos mores hortari? Faxit Christus Dominus, vt φιλαλήθεια καὶ φιλαδελφία, semper apud nos vigeat, ad Dei gloriam, & nostram ac proximorum ædificationem. Basileæ 20. Maij.

Dauid.

οἷς ἄπλατος ἦθος, ἄδολοντε σῆθος,
οἷς βάθος φρενῶν κακὸν ἔτι κεύθει,
ἦ ῥα τιμήσω, ἐπαρῶ, φιλήσω
τὸς δὲ τοσαύτω.

DE IVSTIFICATIONE FIDEI,

Theses ὀρθοτομῇ μεθόδῳ conscriptæ:

De quibus, Fauente Deo, ipso die Lucæ Euangelistæ, & octiduo & 14. die post festum Lucæ, γυμνασίας χάριν in Schola Theologica inclytæ Basiliensis Academiæ, publicè, respondit M. SAMVEL FLORVS *Argentoratensis.*

Τετράστιχον Eiusdem.

SOLA FIDES animum casu confirmat in omni,
SOLA FIDES saluat, Soláque vita FIDES.
CHRISTI igitur meritis, quæ commeruêre salutem
Nitamur vera saluificáque FIDE.

EXCELLENTE DOCTRINA, PIETATE ET AVCTORITATE VIRO, D. M. NICOLAO FLORO, Ecclesiæ Aurelianæ in vrbe Argentoratensi Pastori, Patri carissimo, S. D.

EN tibi, Pater obseruande, specimen exercitiorum Theologicorum, quæ præter exspectationem meam, cùm ordinaria, tùm extraordinaria diligentia, sæpius in hac Academia, quàm in quibusdam aliis, in gratiam Theologiæ veræ Candidatorum, instituí & celebrari video plurimúmque lætor. ὁμιλία ἔτεκε τὸς τέχνας, *inquit ille. Itaque benè spero de fructu liberalis & eruditæ doctrinæ, quam in Prophetica & Apostolica Theologia, eiúsque monumentis, ceu* ταμείοις *instructissimis omni genere bonorum cœlestium, positam, existimo. Præsidem in Theologica hac palestra aget* IOAN. IACOBVS GRYNAEVS *Theol. D. & Præceptor meus obseruandus, qui tibi plurimam à Christo Iesu* θεανθρώπῳ *& Domino nostro salutem precatur. Bene vale, & studia, vitæque meæ curriculum Deo Patri benignissimo pijs precibus commendare perge. Basileæ 14. Octob. 1576.*

Filius tuus M. SAMVEL FLORVS.

THESES

DE IVSTIFICATIONE FIDEI METHODO Definitiua conscriptæ.

Iustificatio, est gratuitum Dei beneficium & donum, constans remissione peccatorum, & imputatione Iusticiæ Christi, quod vt in Euangelio patefit, sic sola fide ab Electis apprehenditur, vt seruiat Dei gloriæ, conscientiarum paci, & æternæ ipsorum saluti.

Notatio. 1. IVstificatio, hic opponitur condemnationi, ac significat idem quod absolutio à peccatis. Rom.8. Deus est qui Iustificat: quis est qui condemnet?

Phrases. 2. Iustificare aliquem, est in iudicio legitimo secũdum aliquem pronunciare. Psal.82. Egenum & inopẽ Iustificate. Iustificari ex operibus, seu Lege, est iustum pronunciari propter obediẽtiam perfectam legi præstitam. Rom.4. Ei verò qui operatur, merces non imputatur, secundum gratiam, sed secundum debitum.

Iustificari fide, est propter Christum absolui à peccatis. Ibidem. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam.

Genus. 3. Iustificatio fidei est beneficium & donum, Eph.2. Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur.

Epithetõ. Gratuitum autem donum est, quemadmodum præcedentia, Electio videlicet & vocatio: & iustificationem sequens Sanctificatio, gratuita Dei dona sunt. Rom.3. Iustificantur gratis per illius gratiam.

Causſæ. Efficiens. 4. Deus solus iustificat suos. Isa.43. Ego, ego sum qui deleo præuaricationes tuas propter me, Rom.4. Deus impium iustificat.

προηγούμενον in Deo est, decretum propitiæ ipsius voluntatis. Eph.1. Cuius vi fiunt vniuersa iuxta propositum voluntatis eius.

προηγούμενον, Destructio operum Satanæ, & instauratio eorum qui ad vitam æternam præordinati sunt: hac enim non minùs, quàm creatione vniuersorum, diuitias gratiæ suæ demonstrare ipsi visum est Eph.1. vt summatim instauraret omnia per Christum.

Capita. 5. Duo sunt iustificationis nostræ capita, Remissio peccatorum, & imputatio iusticiæ Christi, illa medetur reatui, hæc corruptioni & malo quo natura humana laborat. Rom.3. Propter remissionem præteritorum peccatorum. Ro.4. Nobis imputabitur, credentibus.

Instrumenta. 6. Per Euangelium annunciatur nobis Iusticia Christi. Rom.1. Iusticia Dei per illud patefit, ex fide in fidem.

7. Fide autem viua apprehenditur, quæ & eam ob causſam sola iustificat: & ratione obiecti, hoc est, Christi, dicitur imputari ad iusticiam. Rom.3. Ratiocinamur fide iustificari hominem. Rom.4. Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iusticiam.

Iustificandi. 8. Soli autẽ Electi ante cõstitutionẽ mũdi, Iustificãtur. Ro.8. Quos præ destinauit, eos etiã vocauit: & quos vocauit eos etiam iustificauit. Iidẽ autem in hoc dicto sunt, Præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificandi.

9. Hos autem eodẽ modo, tùm veteris, tũ noui Testamẽti tẽpore Deus iustifi-

iuſtificauit,iuſtificat,iuſtificabit.Ideo Paulus cũ ab exemplo Abrahæ argumentatus eſſet, fidémque ei ad iuſticiam imputatam, commendauiſſet,hæc verba δικαῶς ſubiecit : Non ſcriptum eſt autem propter eum ſolum, quòd hoc imputatum fuerit ei:ſed etiam propter nos,quibus futurum eſt vt imputetur,ijs nimirum qui credunt in eum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis.Rom.4.

10. Placet illud Auguſtini,Bona opera ſequuntur iuſtificatum,nõ præcedunt iuſtificandum. Iuſtificationem præcedunt peccata:comitantur autem & ſequuntur bona opera,quæ fidei effecta & Dei dona ſunt. Quæcunque ergo ſpectes hominum opera,inter cauſſas iuſtificationis recenſeri non debent.Rom.3.Abſque operibus legis.

11. Et quia Chriſtus non eſt alius mediator vno tempore quàm alio,dicimus etiam ab ijs peccatis,quæ poſt Baptiſma committimus, Dn. Chriſti Ieſu ſolius interceſsione nos iuſtificari: negantes ea noſtris operibus expiari.1.Ioan.2. Filioli hæc ſcribó vobis ne peccetis. Quòd ſi quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem,Ieſum Chriſtum iuſtum.Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

12. Cum Paulo dicimus,quia fide iuſtificemur,propter merita Chriſti, non autem propter opera noſtra nos iuſtificari, ideóque excluſam eſſe gloriationem per legem fidei.Rom.3. Iuſtificari ſanè nos ex operibus præuiſis fateremur,ſi ex ijs eligeremur. Atqui propter præuiſa opera, non eligimur:immò Electio noſtra non aliunde quàm à Dei voluntate pendet:quod eo ſtatuendum, ne inſcitè æternum Dei opus à rebus temporarijs ortum ducere ac iuſtificationis principia in nobis ipſis ſtatuere videamur. Non ex operibus:ſed ex vocante.Rom.9.

13. Duo ſunt principes fines iuſtificationis gratuitæ,Alter eſt, Dei gloria: Ad oſtendendam iuſticiam ſuam in præſenti tempore : in hoc vt ſit ipſe iuſtus,& iuſtificans eum qui eſt ex fide Chriſti.Ro.3.Alter,vera εὐθυμία, ſeu animi & conſcientiæ tranquillitas. Iuſtificati igitur ex fide,pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.Rom.5, Pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum, cuſtodiet corda veſtra, & ſenſus veſtros per Chriſtum Ieſum.Philipp.4.

14. Qui, plures & diuerſos iuſtificationis coram Deo modos fingunt: operibus bonis iuſtificandi vim tribuunt:doctrina de gratuita per fidem iuſtificatione fieri peccandi licentiam,& bonorum operum ſtudium eneruari, contendunt : iuſtificationem Electorum dubiam faciunt tantiſper dum ij in huius vitæ militia degunt : qui nobis dubitandum de promiſſione gratiæ & certitudine ſalutis noſtræ,docent:qui non tam fidem, quàm eius Sacramenta iuſtificare, aiunt:& ſi qui alij ἑτεροδιδασκαλοῦντες aliis modis, ſanam de Reconciliatione noſtra cum Deo,per Chriſtum Ieſum, doctrinam corrumpunt,noſtríſque Eccleſijs contradicũt:meminerint primùm ſe θεομαχεῖν: deinde,nos verè cũ Paulo dicere poſſe: Nos verò abſit vt gloriemur, nili in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti,per quem nobis mundus crucifixus eſt,& nos mundo.Gal.6.poſtremò,nec ſuæ,nec ſuorum ſaluti & tranquillitati cõſcientiæ doctrina illa pontificia conſultum.Dominus Deus augeat & confirmet in nobis ardens & felix ſtudium veritatis,φιλψυχίας καὶ φιλαδελφίας:& reuocet in viam veritatis errantes:Ipſi gloria in æternum. Perſcriptum Baſileæ xiiij.Octobris. M. D. LXXVI.

DE RESTITVTIONIS NOSTRAE CAVSsis & dispensatione, Theses XL. *De quibus veritatis illustrandæ ergo, è diuinis Scripturis, in Schola Theologica Basiliensis Academiæ, die brumæ & 8, & 14. die, Anni 1576. exercitij caussa, οὐν Θεῷ respondit*

IACOBVS FABRICIVS:

Præside IOANNE IACOBO *Grynæo, Ordinario diuinarum Literarum Professore.*

Ephes. 1.

Εν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, προορισθέντες κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ.

I.

DROPOSITVM nobis est demonstrare, Homines saluandos, gratuito Dei beneficio, per & propter solum Iesum Christum Dominum nostrum : non autem propter vlla ipsorum merita præuisa, à potestatis tenebrarum psychotyrannide ereptos, Deóque reconciliatos, in integrum, quasi postliminio, restitui : seruari ab ira, per vitam seruatoris Christi, ac extra damnationis periculum esse.

2. Tametsi autem minimè nos fugit, ad consolandas sensu peccatorum & infirmitatis suæ consternatas conscientias, déque Iustificatione, Vocatione & Electione erudiendas, pios & eruditos Dei Seruos, à posteriore, ἀναλυτικῶς, mysterium hoc sibi tractandum censuisse : bona tamen eorum pace, nobis Apostoli Pauli vestigiis insistentibus, κατὰ σύνθεσιν de eo agere licebit, tum vt merita Christi, ac gratuitum salutis nostræ donum, illustretur : tum vt ἀνπφάρμακον, ex τῇ ἀντεισαγωγῇ de principiis nostræ salutis petitum, aduersus Pelagianas de iusticia operum fabulas, in promptu sit.

3. Theoremata Theologica duo, velut μὴ δεομένας ἀποδείξεως προτάσεις præmittimus. Alterũ est: Restitutio nostri dependet à Dei gratuito proposito, prædestinatione, vocatione, iustificatione, glorificatione. Ro. 8. Alterũ est: omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Rom. 3. Prius, facit ad commendandam gloriam gratiæ Dei & meritorum Christi : Posterius ad abnegationem nostri.

4. Syntheseos Methodum exposuit Apostolus noster, ad Rom. 8. versib. 28. 29. 30. 31. Scimus autem, quòd his qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sint in bonum : nimirum his qui iuxta propositum vocati sunt. Quoniam quos præsciuit, eosdem & prædestinauit conformes imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus inter multos fratres. Porrò, quos prædestinauerat, eosdem & vocauit : & quos vocauit, eos etiam iustificauit, quos autem iustificauit, eos quoque glorificauit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si

Deus

Deus pro nobis,quis contra nos?

5. In Reſtituendis, & naturæ corruptionem & gratuitam adoptionem conſiderare pretium operæ fuerit. Illius reſpectu, Reprobis nihilò meliores cenſendi ſunt:quando vtrique cùm natura filij iræ & inimici Dei ſunt, tum terreni Patris imaginem geſtant: Huius verò ratione longè iſtis feliciores,benedicti filij, præordinati in Chriſto ad æternam vitam & Chriſti cohæredes ſunt.

6. Demonſtrationis hæc ſumma eſto. Quicquid à Dei ſolius propoſito,præſcientia:prædeſtinatione, vocatione, iuſtificatione & glorificatione vnà cum omnibus ſuis medijs & ſubordinatis cauſſis,dependet,id non operibus hominum & meritis præuiſis, tribuendum eſt: ſed pro gratuito Dei dono quod idem immutabile ἀμεταμέλητον eſt, habendum ad gloriam auctori. Atqui reſtitutio noſtri, cum omnibus ſubordinatis cauſſis,pendet à Dei propoſito,præſcientia,prædeſtinatione,vocatione,iuſtificatione & glorificatione:Quare certiſſimum eſt,noſtram reſtitutionem & reconciliationem gratuitum Dei beneficium:ac eius principia non in nobis ipſis, ſed in ſolo Deo quærenda & ſtatuenda eſſe.

7. Etſi autem piæ mentes,traditam à Spiritu Sancto demonſtrationem, in dubium nequaquam vocandam, immò potius toto pectore vnicuique amplectendam ſtatuunt: vt tamen eius euidentia magis eluceſcat & omnia ad vſum tranferantur,de Oeconomia ordinaria Reſtitutionis noſtræ, ordinè agendum erit.

8. Dicimus itaque Deum, cuius vt iuſta, ita inſcrutabilia ſunt iudicia & imperueſtigabiles viæ, ab æterno, immutabili propoſito, quid de vnoquoque ad gloriam ſuam fieri vellet, conſtituiſſe. Iſa. 46. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Prouerb.16. Omnia operatus Iehouah propter ſemetipſum: etiam impium ad diem malum. Epheſ.1. Cuius vi fiunt vniuerſa,iuxta decretum voluntatis ipſius.

9. De hoc propoſito Apoſtolus noſter loquitur, Scimus, inquiens, quòd his qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſint in bonum: nimirum his qui iuxta propoſitum vocati ſunt. Rom. 8. Si æternum & immutabile eſt Dei de nobis ſaluandis propoſitumi, vt certè eſt: Epheſ. 1. tum ratione noſtri gratuitum erit: niſi fortè, quod abſit, æternum Dei opus meritis imperfectis & temporarijs, tanquam pretio quodam ἀναλόγῳ poſſe redimi,putamus.

10. Cum propoſito Dei coniuncta eſt præſcientia, Græcè πρόγνωσις. Hanc à decreto Dei non ſeiungendam ideò ſtatuimus, quia Lucas Actor.2. Dei definitum conſilium, (ὡρισμένῃ βουλῇ) cum præſcientia coniungit: nec ocioſam quandam rerum prænotionem Deo tribuere fas eſt:qui etiam cùm omnia præſentia habeat, non niſi per ἀνθρωποπάθειαν præſcire futura dicitur.

11. Præſcientiam eſſe dicimus, qua Deo olim conſtitit & etiam nunc conſtat exactiſſimè, quos ex hominum genere pro ſuis eſſet habiturus, & quos alienos à ſe iudicaturus eſſet. De Electis, ait Paulus: Solidum Dei fundamentum ſtat, habens ſigillum hoc: Nouit Dominus qui ſint ſui. Et Seruator noſter ait, ſe oues ſuas noſſe & & ab eis agnoſci. Ioann. 10. de Reprobis idem inquit: Non noui vos Matth.7.

12. Eadem autem ratione, qua Propositum Dei, etiam Præscientiam gratuitam esse colligimus : nimirum quia æterna est & infallibilis, ac Dei præscientia, cuius mentem nemo (citra reuelationem) cognouit : cui nemo fuit à consiliis : cui etiam nemo prior dedit, vt ei reddi posset. Rom. 11.

13. Quos Deus præsciuit, eosdem & prædestinauit, vt conformes fiant imaginis Filij sui : vt is sit primogenitus inter multos fratres, Rom. 8. Subscribimus autem iis, qui præscientiam Dei latius quàm prædestinationem patere docent : quòd illa ad intelligentiam, hæc ad voluntatem pertineat.

14. Non pudet autem pigétve, Theologi præstantissimi Martini Buceri, verbis vti, quæ in Enarratione Cap. 8. ad Romanos exstant. Prædestinatio sanctorum, est designatio Dei, qua apud se designat, & iam à reliquis hominibus seligit & separat, quos suo tempore in vitam hanc productos, filio suo D. Iesu attrahat & inserat, & attractos ei & insitos per eum regignat, & ad placita sua sanctificet.

15. Reproborum prædestinationem, idem Bucerus his verbis describit & probat. Hinc & malorum prædestinatio est. Nam sicut & hos ex nihilo fingit Deus, ita fingit ad certum finem. Sapienter enim facit omnia, nihil non ad malorum, præfinitum, & bonum vsum. Etiam impij, ὀργάνα, id est, organa & instrumenta Dei sunt, infra 9. Fecit Deus omnia propter semetipsum, impium ad diem malum. Prou. 16. Sed hanc Theologi non sustinent vocare prædestinationem : sed vocant Reprobationem : at Deus nihil non benefacit atque sapienter, ideo nihil non etiam destinato. Hæc ille pagina primæ editionis 358, quæ ideo adscribere visum est, quia multos φεγοωποληψίᾳ potius moueri, quàm rationibus & testimoniis Scripturæ etiam sacrosanctæ, per infirmitatem : nonnullos etiam per obliuionem forsan, indubium vocare, anne Bucerus & alij ὁμόψηφοι ita senserint, videmus.

16. Prædestinatione itaque diuina, cum Spiritu sancto per Apostolos loquente, fieri dicimus, vt alij sint vasa honoris, alij vasa ignominiæ. An non habet potestatem figulus luti, vt ex eadem massa fingat, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit in multa longanimitate vasa iræ apparata in interitum : & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ, erga vasa misericordiæ, quæ præparauerat in gloriam. Rom. 9. Certè, vt vasa misericordiæ præparata dicit in gloriam : ita disertissimè ait : vasa iræ κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Petrus de his loquens, ait : Qui impingunt in sermonem, neque credunt, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. 1. Pet. 2. Et Iudas. Nam subrepserunt quidam homines, prius iam olim descripti ad hanc damnationem, impij. versu 4. οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, ἀσεβεῖς. Hæc postrema phrasis per Antithesin illustrat eam, quæ est Luc. 10. Gaudete potius quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. Vt electorum nomina in cœlis, in libro vitæ descripta, dicuntur, Luc. 10. Philipp. 4. Sic reproborum nomina in terra descripta perhibentur. Ierem. 17. Recedentes à te in terra describentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium, Iehouam.

17. Negamus hominum opera, cauſſàs eſſe prædeſtinationis, quæ & illa & orbis creationem, præceſſit. Sanè ſi tantum mala opera cauſſa eſſent reprobationis, tũ nemo non reprobaretur: quando omnes peccauerũt & deſtituuntur gloria Dei. Ro. 3. & 11. Rurſum, ſi bona opera præuiſa cauſſa eſſent electionis, tũ non eſſet gratuita electio. Atqui Apoſtolus noſter, ait: Priuſquam nati eſſent, & quicquam feciſſent mali vel boni: vt propoſitum Dei, quod eſt ſecundum ipſius electionem firmum maneret: non ex operibus ſed ex vocante, dictum eſt: Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Rom. 9. Adfirmamus interim, nulla prorſus iniuria reprobos à Deo affici: immò iuſto iudicio reijci. Nam pro duricia ſua & corde pœnitere neſcio, theſaurizant ſibi iram in die iræ & iuſti iudicij Dei. Rom. 2. Nec etiam horum improbitatem ideo allegamus, vt Dei iuſticiæ conſulamus. Quum enim is, ſupremam καὶ ἀνυπεύθυνον poteſtatem in vniuerſos obtineat, eſt certè cur illi electionis, vocationis, & iuſtificationis tuæ nomine gratias agas: non autem cur ab eodem qui rationem iuſti iudicij ſui in reiectione reproborum tibi peſsimè de ſe merito reddere non tenetur, exigas: niſi tu fortè æquum putas, vt cuiuis ingrato & fatùo Ironi aut ardelioni, conſiliorum tuorum cauſſas exponas.

18. Paulum autem ſequentes docemus, Prædeſtinationis cauſſam eſſe, voluntatem Dei, de Miſericordia & Iuſticia declaranda: nec aliud volumus quàm id, quod Gentium ille Doctor his verbis tradidit: Itaque cuius vult miſeretur, quem autem vult indurat. Dices ergo mihi, Quid adhuc ſuccenſet: nam voluntati illius quis reſtitit? Immò verò, ô homo, tu quis es qui ex aduerſo reſponſas Deo? num dicet figmentum fictori, cur me talem feciſti? An non habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Quid ſi verò volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, pertulit multa lenitate vaſa iræ coagmentata ad interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparauit ad gloriam. Rom. 9.

19. Vt autem Prædeſtinationis ad vitam finis proximus eſt, conformitas animorum & corporum noſtrorum, cum mediatore Chriſto Ieſu. Rom. 8. Nam quos præſciuit, eoſdem & prædeſtinauit, vt conformes fiant imaginis Filij ſui: vt is ſit primogenitus, id eſt, princeps inter multos fratres. Philipp. 3. Transformabit corpus noſtrum humile, vt conforme faciat corpori ſuo glorioſo, pro efficacitate qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia: Vltimus autem eiuſdem finis eſt declaratio & laus glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis effecit ſibi gratos in illo dilecto, Epheſ. 1. Ita proximus finis reprobationis vaſorum iræ eſt eorum perditio, non quatenus perditio eſt: ſed quatenus illa gloriæ Dei ſeruit. Ieſ. 6. Ne reſipiſcant, & ſanem eos: Vltimus autem finis, ei propoſitus, qui in gloriam ſuam facit omnia, etiam impium ad diem malum, Prouerb. 16. Vt oſtendat poteſtatem ſuam, & vt annuncietur nomen eius in vniuerſa terra. Rom. 9. Meminiſſe autem par eſt, Deum illum eſſe de quo dicitur Pſalm. 119. Iuſtus es Domine, & iuſta ſunt iudicia tua.

20. Electionem nullam citra reprobationem ſtatui poſſe, qui non videt, ne modulo ſcientiæ ſuæ aliorum donum intelligentiæ metiatur. Deus elegit nos in Chriſto, antequam iacerentur fundamenta Mundi. Epheſ.1. Præterijt ergo cæteros: nec bonos, ſed malos præterijt: vt quibus nihil deberet, & erga quos declarandæ potentiæ & iuſticiæ ſuæ plenum ius obtineret. Rom.9.

21. Dicimus fieri nulla ratione poſſe, vt electio noſtra irrita fiat: quando non à noſtris meritis: ſed ab immutabili Dei propoſito & gratia, pendet: nec etiam peccata irritum facere poſſunt Dei decretum ἀμετακίνητον, καὶ ἀμεταμέλητον. Rom.11. Nam dona Dei & vocatio eiuſmodi ſunt, vt eorum ipſum pœnitere non poſſit.

22. Abſurdi ſunt & indocti qui hæc paralogiſmo ludunt, Si decretum de electione mea & gratuitum & immutabile eſt, tum verò perinde erit, ſiue in nouitate vitæ ambulem, ſiue carnis deſiderijs morem geram. Paulus enim docet, Electos nos eſſe, vt ſimus ſancti & inculpati coram ipſo per caritatem. Epheſ. 1. Dei opus eſſe: conditos in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in ipſis verſaremur. Epheſ. 2. Qui ſpiritum Chriſti non habent, eius non eſſe. Rom.8.

23. Mirum autem eſt, iſtos non eſſe memores reſponſionis ad paralogiſmum Pontificiorum: Si fide, gratis, propter Chriſtum: non propter opera iuſtificamur: Si iuſtificationis beneficium ſemel collatum, irritum fieri nequit: Si de eo dubitare non licet: Tum non eſt neceſſarium verè bonorum operum ſtudium. Rectè enim reſpondent, cum Iuſtificationis dono, coniunctam eſſe Sanctificationem: & ideò nos fide iuſtificari, vt à peccatis manumiſſi, iuſticiæ ſeruiamus. Rom. 6. Cur non idem reſpondendum, ad ſophiſma nugatorium, quo immutabilis & gratuita Prædeſtinatio ad vitam oppugnatur, vident? Scilicet ad frigidum ψυχρόν, quo εἰρμὸς καὶ συμφωνία omnium cæleſtis Sapientiæ partium conuellitur, & fœdę contradictionis inſimulatur, confugient, dicéntque, verè aliquid dici poſſe in loco de Iuſtificatione: quod idem falſum ſit in loco de Electione?

24. Falluntur etiam, qui fidem electionis cauſſam eſſe fingentes, cum Pelagianis affirmant, ideo nos electos, quia nos credituros Deus olim præuiderit. Ideo enim credimus, quia ante mundum creatum electi ſumus: non ideo electi ſumus, quia fideles futuros præuidebat Deus: niſi fortè cauſſa effectu ſuo poſterior eſt.

25. Cur autem quidam circa incredulitatis cauſſam hærere, καὶ ἐπέχειν ſoleant, vehementer miramur. Si enim ab electione gratuita, pendet fides: quis non (contrariorum eandem eſſe doctrinam intelligens) fateatur à reprobatione pendere incredulitatem: hoc eſt fidei donum non dari vaſis iræ. Præſtabat autem μεμψιμοίρους iſtos, ſibi gratulari Dei donum, & auctorem celebrare potius, quàm abyſſum iudiciorum Dei ingredi, & δόσεως καὶ λήψεως λόγον exigere à Deo: ac quærere, cur Reprobis fidei indebitum donum denegârit: hoc eſt, cur potentiam iuſticiámque ſuam, non minus, quàm gratiam celebratam voluerit?

26. Vocatione efficace & ſpeciali, teſtatam facit Deus Electionem ſuam.

ſuam. Rom. 8. Quos verò prædeſtinauit, eos etiam vocauit. Vocantur ad participationem ſortis Sanctorum in lumine, quos Pater ad ſe attractos, Filio ſuo donat.

27. Gratuitam eſſe hanc vocationem, Paulus noſter docet: Eſto inquiens particeps afflictionum Euangelij, iuxta potentiam Dei, qui ſaluos fecit nos, & vocauit vocatione ſancta: non ſecundū opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis per Chriſtum Ieſum ante tempora æterna. 2. Tim. 1.

28. Tametſi autem, Seruator noſter Matt. 22. ait, Multos eſſe vocatos, paucos electos, quia tamen κατ' ἀνάλυσιν regreditur, & de communi, nec in omnibus efficace vocatione loquitur: nequaquam ijs contradicit, quæ Paulus, κατὰ συνθεσιν progrediens, de vocatione efficace & ſpeciali ſecundum gratuitum Dei propoſitum, verè affirmat: nec etiam docet Electionem noſtram dubiam eſſe.

29. Vocationem comitatur Iuſtificatio. Rom. 8. Et quos vocauit, eos & iuſtificauit. Itaque nemo intentabit crimina aduerſus Electos Dei. Deus eſt qui iuſtificat: quis eſt igitur qui condemnet?

30. Gratuitum eſt iuſtificationis donum, iuxta illud Pauli: Iuſtificantur autem gratis, id eſt, ipſius gratia, per redemptionem factam in Chriſto Ieſu. Rom. 3. Itaque gloriatio per legem fidei excluſa eſt. Eodem capite.

31. Iuſtificationis cauſſæ ſunt hæ, αἴτιον κύριον conferēs hoc donum, Deus Pater. Rom. 5. & 8. αἴτιον κύριον impetrans beneficium iſtud incomparabile, Ieſus Chriſtus: Roman. 3. αἴτιον κύριον, obſignans, Spiritus ſanctus. Epheſ. 1. λύτρον, ſanguis Chriſti. Rom. 3. 1. Petr. 1. Materia, Meritum, ſeu iuſticia Chriſti. Roman. 1. & 3. Philipp. 3. Forma, remiſſio peccatorum & imputatio iuſticiæ Chriſti. Roman. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Materia in qua, Homo Electus, Rom. 8. προηγόμενον in Deo, Gratia. Epheſ. 2. Roman. 3. προκαταρκτικὸν in homine, reatus & corruptio. Item, pœnæ temporales & æternæ. Cauſſæ ὀργανικὴ ἢ ὑπηρετοῦσαι, offerens quidem, Euangelion. Roman. 1. Applicans verò per reductionem Theſis ad hypotheſin, fides. Rom. 3. Galat. 2. Extrinſecus obſignantes, Sacramenta: alterum quidem initiationis, alterum verò redemtionis. Rom. 3. & 6. 1. Corinth. 11. Tit. 3. Finis, declaratio iuſticiæ Dei, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu. Rom. 3.

32. Glorificatio, Iuſtificationem ſequitur. Roman. 8. Quos autem iuſtificauit, eos etiam glorificauit. Vt omnes peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei. Roman. 3. Ita omnes iuſtificati à peccatis, glorificantur.

33. Duplex autem eſt vera gloria, Altera, ἄῤῥητος, ἀπέραντος ἢ ἀσωδικὴ creaturis ἀκοινώνητος, tribus tantum in Diuinitate Perſonis communis. Ieſ. 42. Gloriam meam alteri non dabo. Ioann. 1. Vidimus gloriam vnigeniti. Ioann. 17. Glorifica me Pater ea gloria, quam apud te habui priuſquam hic mundus eſſet. Altera, communicata à Deo Electis. 2. Pet. 1. Fecit nos diuinæ naturæ conſortes. Vt in Creatione hominum, ſumma eorum gloria fuit, quòd ad Dei imaginem eſſent conditi. Geneſ. 1. & 2. Sic in eorum regeneratione, eximium hoc decus in vita hac incoatur & renouatur. Epheſ. 4. Induite nouum illum hominem, qui ſecundum

Deum conditus est,ad iusticiam & sanctitatem veram:Perficietur autem in æterna & beata vita,in qua Deo similes erimus.1.Ioan.3. Scimus autem fore,vt quum ipse patefactus fuerit,similes ei simus. Ac tum erit Deus omnia in omnibus.1.Cor.15.

34. Cum Apostolo Paulo igitur concludimus piè gloriantes, Gratia seruati sumus per fidem:idque non ex nobis: Dei enim donum est. Non ex operibus,ne quis nostrum glorietur. Eph.2. Item, Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis,quis contra nos? Rom.8.

35. Oramus autem eos omnes, qui hanc doctrinã tanquam Stoicorum Fato suffragantem, bonorum operum studium eneruantem, desperationis aut præsumtionis materiam subministrantem, odiosam reddere conantur: vti potius nobiscum Pauli vestigijs insistere, Dei gratuitum beneficium celebrare, Pelagianis imaginationibus prospicienter occurrere,satagãt: quàm plumbeis telis gladijsve immotam veritatis diuinæ petram, cum scandalo bonorum,periculo infirmorum,ἐπιχαιρεκακίᾳ Pontificiorũ, impetere pergãt.

36. Quòd enim vitio nobis dant, tum quòd particularem electionem statuimus:tum quòd Electos vllos è gratia Dei finaliter excidere posse negamus:profectò non nobis, qui infirmitatis & miseriæ nostræ nobis ipsis probè conscij,& vera solidè demõstrantibus cedere parati sumus: sed Apostolis contradicunt:quod tamen studio eos habere,ideo non credimus,quia de eorum pietate præclarè aliàs persuasi sumus.

37. Queruntur nos contradictorias voluntates Deo tribuere, quando πὸ καθόλυ restringimus ad electos,in hac Enunciatione Pauli: Deus vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis peruenire.1. Timoth. 2.Atqui vniuersalem non esse hanc Thesin, reductione ad absurdum probare licebit in hunc modum.Quos Deus vult saluos fieri,ij certè perire non possunt.Deus omnes homines saluos fieri vult. Nulli igitur homines perire possunt. Et per consequens, nullis dicet Christus: Ite maledicti in ignem æternum.Matth.25. Maior certa est,secundum illud Augustini: Dei voluntas,rerum necessitas est.Minor secundum illos vniuersalis est. Indefinitam autem esse propositionem,περίφρασις hæc fidei docet:& ad agnitionem veritatis peruenire.Item,Qui crediderit & baptizatus fuerit,saluus erit. Matth. 28.Fides autem non est omnium.2. Thess.3.Non igitur saluabuntur omnes homines:sed soli fideles.Ioan.3.

38. Absit autem,vt Deo contradictorias voluntates tribuamus,sic vt de quibus publicè & vniuersaliter pronunciat, & quæ promittit omnibus: ea priuatim paucis quibusdam det. Est enim Deus ἀψευδὴς Tit. 1. Itaque optima fide præstat, quæ pollicetur suis. Quid enim? Anne piis non satisfaciet, si dixerimus: Deum velle, vt omnes omnium ordinum homines, quos ipsi visum est gratis adoptare in filios,salui fiant: nisi addamus, Deum velle,vt omnes indiscriminatim seruentur in æternum? Quid autem vult Deus? Nónne id quod ab æterno facere constituit? Elegit nos in Christo: & nos omnes saluos fieri vult: nec mutat sententiam. Ne igitur Deo contradictorias voluntates nos affingere dicant, quãdo cum Apostolis affirmantes audiunt: Aliud esse, si de Dei prædestinantis voluntate speciali loquamur: aliud, si de fine vniuersalis & externæ prædicationis in qua volũtas Dei χωικῶς annũciatur,agamus. Inuitat Deus oẽs, vt Reprobis in testimoniũ ea res cedat,ac inexcusabiles sint, stimulósque verbi sentiant:

Electos

Electos autem, ad se trahit, Filióque donat. Nisi forè εὐδοκίαν Dei, communem Electis & Reprobis statuere ipsis visum est.

39. Porrò quòd Electos vllos finaliter è gratia excidere posse negamus, cur tandem vitio vobis dant? Anne quia οὐδὲν ἐυμεταβολώτερον ἀνθρώπου est, ideo in Deum quoque μεταμέλειαν cadere dicemus? Atqui rectè pronunciat Iacobus, Deo transmutationem, aut conuersionis obumbrationem non tribuendam? Iac. 1. Peccata ἐκ προαιρέσεως admissa, si excutere Spiritum sanctum, fidem ac gratiam dixerint: Respondebimus cum Paulo: Certò persuasus sum quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. Rom. 8. Si exceperint, Nullam hæc peccati mentionem fieri; quæremus, Anne posita caussa, effectum poni necesse sit? Anne peccati auctoramentum sit Mors? Rom. 6. Scilicet, Mors à dilectione Christi nos non separabit: peccatum autẽ separabit? Dicent, Paulum Speciali de salute sua reuelatione edoctum, certò de ea persuasum fuisse. Nos verò vicissim quæremus, ánne speciale suum priuilegium idcò allegârit, vt se felicem, nos autem miseros esse declararet? Et cur de summis rebus, de iustificatione, de perseuerantia Sanctorum, de Electione disputanti visum sit, adducere exempla Abrahæ, Isaac, Iacobi, suum ipsius: Nónne προγραφικῶς declarare voluit, eodem modo omnes Dei filios in integrum restitui? Rom. 4. Non autem propter ipsum solum hæc scripta sunt, sed etiam propter nos quibus imputabitur, &c. Rom. 15. Quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

40. Abominosa igitur hac φράσι, vt Augustinus loquitur, Etiam Renati ἐκ προαιρέσεως peccantes, excidunt è gratia Dei, amittunt fidem, excutiunt Spiritum sanctum: (quam tamẽ ἐπεικῶς quoad eius fieri potest, in scriptis piorum accipere, nobis quoque animus est) ideo abhorremus: quia vt maximè addatur, clausula: Nisi resipiscant: Tamen si detur, hæc absurda sequentur, 1. Dei prædestinationem immotam non esse. 2. Peccata hoc efficere posse, vt ne fiat, quod Fieri Deus ab æterno voluit. 3. Fidelium hæc militantium dubiam esse salutem. 4. Electos, aliàs in gratia esse, aliàs non esse in gratia. 5. Falsum esse, quòd verissimum est, τὸ: Omnis qui natus est ex Deo, nõ peccat: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, eo quòd ex Deo natus est. 1. Iohann. 3. Scimus ἐκ προαιρέσεως peccasse Dauidem, & tyrannicè egisse quando rapuit alterius coniugem, & κακὸν κακῷ θεραπεύων, artificio illiberali maritum Bethsabæ interfici curauit: sed negamus Spiritu sancto omnino destitutum, precatum esse: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Psalm. 51. & miramur à vitiosis coniugatis, ex actu tyrannico, habitum colligi. Præterea, vt maximè carnis intemperie transuersum abreptum demus, quod nunquam inficiati sumus: ac tum nulla fidei & Spiritus sancti effecta in eo elaxisse: Numquid tamen ex eo colligemus, legem mentis in Dauide subscripsisse, legi peccati? Item, in Infantib. & ebrijs, mẽtem humanam non esse, quia hæc nullo documento vim suam declarat? Quod si nobis cum fatentur, vt certè fatentur, resipiscentiam Dei donum esse: cur nõ agnoscunt, Electis vbi prolapsi fuerint, ideo illud dari, vt media omnia immutabili Dei proposito seruientia, argumento sint, illorum salutem sic esse firmatam, vt excidere finaliter è gratia non possint: qui tamen quando peccant, Deum offendunt, & Spiritum sanctum contristant. Ephes. 4. Dominus Iesus Christus det nobis in ipso solo τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Amen.

Perscriptum Basileæ, 1576. *Calend. Decembr.*

Philip.3.

Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus reuelabit.

ἑτέρως.

Non eadem sentire bonis de rebus eisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

DE VERA SAPIENTIA QVÆ IN DEI & hominis cognitione posita est, Axiomatum Decades quinque: de quibus quinque ordinariis Disputationibus, secundum fidei canonem in diuinis Scripturis traditum, in inclytæ Basiliensis Academiæ Theologica Schola, Christo Iesu benedicente, disputatum est Mensibus Ianuario, Februario & Martio, Anni M. D. LXXVII.

δύχη ἀδέσποτος.

Εἴ ποτε βαλέσαιμι φίλῳ κακὸν αὐτὸς ἔχοιμι·
εἰ δέτε κεῖνός ἐμοὶ τῦτο μέμηλε θεῷ.
ἄδηλον.
Θεῦ διδόντος ἁδὲν ἰσχύει φθόνος.
κὴ μὴ διδόντος ἁδὲν ἰσχύει πόνος.

SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA Basiliense, studiosis, S. D. P.

VId est, Iuuenes studiosi, ὅτι ῥιπὸς τὴν αἰγαῖαν διαπλεῦσαι si hoc non est, orthodoxæ Theologiæ Oceanum, paucorum Axiomatum exigua Cymba conscensa, ingredi: & directis in Christum Iesum (velut Cynosuram certissimam Spiritualis nauigationis) oculis animísque ἀβυσσομεῖν: ac interea constanter felicitérque αὐτοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, *quem Spiritus vertiginis & mendacij suscitare solet, vt quos errorum voragine absorbere nequit, nebularum saltem & procellarum caligine & impetu remoretur? Erit hoc, promptum & expeditum religiosis vestris studiis & conatibus, si vnà mecum κεφαλαιωδῶς, ea quæ de Deo & homine: déque huius τῇ κτίσει,* τῇ φθορᾷ, τῇ ἀποκαταστάσει *Prophetæ & Apostoli docuerunt, expenderitis: memores interim Chrysostomiani illius,* ὅτι χὴ τὴν ἐκόπτει. *Quinque igitur Disputationibus, Sacræ Theologiæ Compendium* συλλήβδην *præcipuorum capitum mentione facta, complecti & sacris* συμφιλολογίαις *Deo benedicente, illustrare, animus est. In prima, agemus de Deo: in secunda, de hominis statu ante & post lapsum: in tertia, de eiusdem reconciliatione cum Deo: in quarta, de Redemptionis medio: in postrema, de Restitutione vniuersorum. Vt autem humanitatis est, oram soluentibus, vela ventis, & alio mari se committentibus benè precari: sic fidei erit & caritatis Deum æternum, per Christi nomen seriò precari, vt hoc nostrum institutum ipse moderetur, ac dirigat ad sui nominis gloriam, & proximorum vtilitatem: détque vt, qui μηδὲν κατ' ἐρίθειαν ἢ κενοδοξίαν agendum nobis esse persuasum habemus, sanctorum & eruditorum virorum suffragiis & exhortatione in liberali hoc instituto, tanquam vento secundo, adiuuemur, & confirmemur. Amen.*

DE

DE DEO EIVSQVE CVLTV AXIOMATUM Decas prima.

Disputatio prima, in qua respondit eruditè piéque Dominus Iacobus Fabricius Dantiscanus.

I.

SCimus Idolum nihil esse in mundo: & nullum esse Deum alium nisi vnum. 1. Cor. 8. Vnitas.

2. Tres tamen sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. 1. Ioan. 5. Trinitas.

3. Sermo, Deus ac κύριος est: & Spiritus Sanctus, Iehouah: itaque ambo sunt ὁμοούσιοι καὶ συναΐδιοι æterno Patri. Ioan. 1. & 20. Isa. 6. Act. 28. ὁμοουσία.

4. Sermo, qui ἐνώσασις ab æterno erat, caro factus: ἡ τροπὴ τῆς θεότητος εἰς σάρκα, θεανθρωπος ἀλλὰ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεὸν, εἰς πάντως, ἡ συγχύσει τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἑνότητι τῆς ἑνώσεως, καθὼς ψυχὴ λογικὴ, καὶ ἡ σὰρξ, εἷς ἐστιν ἄνθρωπος: οὕτω καὶ ὁ θεάνθρωπος εἷς ἐστι χριστὸς: vt beati Athanasii verbis vtamur.

5. Vnio ista hæc, nec τῇ παραστάσει Naturarum: nec earum, vel etiam essentialium proprietatum τῇ συγχύσει: sed personali & indissolubili fœdere, definienda est.

6. Rectè autem Theodoretus, ait: κοινὰ γὰρ γέγονε τῷ προσώπῳ τὰ τῶν φύσεων ἴδια. Rectè etiam Chalcedonensis Synodus pronunciauit: Filium Dei in duabus Naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως manifestatum, σωζομένης τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης.

7. Ideo in concreto, de tota persona ea prædicantur, quæ alioquin alterius Naturæ propria sunt, in abstracto. Act. 20. Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Ioan. 3. Filius hominis qui est in cœlo. Et illud πολυθρύλλητον καὶ ἀξιόπιστον: Totus Christus est vbique, sed non totum Christi.

8. Officii nomina, sicut & redemtionis beneficium, ad personam Christi referre oportet.

9. Et cùm Deus in Spiritu & veritate adorandus sit, gloriam eius in efformatam imaginem mutare, nefas est. Ioan. 4. Rom. 1.

10. Iniurii sunt in Deum, qui Sanctos vt Deos tutelares: in Christum, qui eosdem, vt intercessores agnoscunt & adorant: in ipsos etiam Sanctos, quos pro sua libidine pictos & fictos, truncis, saxis, metallis, rebus inanimatis & stupidis, repræsentant.

2. *Ioan. vers.* 10.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: ne recipiatis eum in domum: nec Aue ei dixeritis.

AXIOMATVM DECAS SECVNDA, IN qua de hominis creatione & lapsu agitur.

Disputatio secunda, in qua respondit Vuernherus Gutt, Roetelanus 7. Martij. Præsidem egit D. Iacob. Fabricius Dantiscanus, vita & fide Theologus.

I.

DEus vniuersorum τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, optimo consilio creauit hominem rectum: sed tamen mutabilem. Eccl. 7. Gen. 1. 2. 3.

2. Imagẽ Dei in hoĩe recẽs cõdito, qualitatib. bonis, animíq. pfectiõe

iusticia & sanctitate vera præcipuè constitit,(vt ex hominis creatione & renouatione liquet)non fuit illius essentia.Gen.1.& 2.Eph.4.

3 Homo ante lapsum,libero arbitrio excellens, poterat, si vellet, non peccare:quando τὸ ἀυτεξέσιον malorum τῆ προαιρέσει non est definiendum.

4 Ac tum immortalis erat totus homo:post Deum mundi dominus & vinculum.

5 Tales autem eo tempore haud dubiè filios genuisset,qualis ipse erat: integros videlicet seu innoxios.

6 A Satana autem deceptus,sibijpsi & suis,tùm peccati,quod ἀπείσατον à Paulo vocatur,tum mortis,auctor factus est.Gen.3.Rom 5.

7 Itaque ad imaginem suam:non Satanæ(ἁπλῶς loquẽdo) filios genuit, qui portant τὴν τῦ χοϊκῦ εἰκόνα.Gen.5.1.Cor.15.

8. Inde Seruum arbitrium,in peccati seruis:ac peccandi necessitas, cùm ineuitabilis,tũ inexcusabilis:vt quæ voluntaria hominis apostasia accersita: non autem à Deo summè bono,imposita sit.

9 Filius igitur iræ,cum tota posteritate factus, nec primam, nec secundam Mortem,sapientia,meritis & viribus suis euitare potuit. Ephe.2.Rom. 6.Gen.3.

10 Quia per ipsum vnum peccatum intrauit in mundum (non sola κατοζηλία ϗ λογισμῷ,sed per propagationem)& omnes peruasit:etiam eos,qui nõ peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adæ.Rom.5.

Rom. 11.

Conclusit Deus omnes sub incredulitatem vt omnium misereretur.

AXIOMATVM DECAS TERTIA, DE Salute nostra.

Disputatio tertia,in qua 17. *Aprilis respondit Matthias Cellarius Tigurinus.*

I.

QVISNAM, quos & quomodo saluos faciat, non minus nobis cogitandum est,quàm quis,quos, qua ratione condiderit. quando eiusdem est & creare homines,& saluos facere. Ioan. 1.Matth.1.

2. Deus Pater,per filium (plenitudinis tempore παρεσθέντα) virtute Spiritus sancti,vsque ad hoc temporis operatur:& filios suos saluos facit.Gen.1.Ioan.1.& 5.

3 Etenim,cui vult, miseretur:&, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ vasa misericordiæ, eos, quorum nomina olim inscripsit libro vitæ, è potestate tenebrarum ereptos, in lucis regnum transfert.Rom.9.Col.1.

4 Dum illos in hac vita vocat,iustificat, sanctificat: & quidem hæc omnia δωρεαν ϗ ἀμεταμελήτως præstando.Rom.8.& 11.

5 Hoc Dei beneficium, Διαθήκη primũ dicitur. Nam quos vnico æternóque Testamento suo,Christi cohæredes nuncupat, eos sempiterno sibi fœdere

dere iungit. Etsi autem duæ huius Tabulæ sunt: Vetus, legis τῇ παιδαγωγίᾳ: & Noua, libertate spirituali excellens: duo tamen Testamenta, dispensatione tantùm, non substantia & veritate, differunt. Heb. 13. Apoc. 13.

6 Ἐλευθερία idem dicitur: quia à peccatis manumissi, & liberalitate gaudentes: Spiritu Dei ducimur, & ἐκ παραιρέσεως iusticiæ serui sumus. Rō. 6. & 8.

7 Καταλλαγὴ est, quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filij ipsius. Rom. 5.

8 Ἀπολύτρωσις autem nuncupatur, quando pretioso Iesu Christi sanguine constitit: quo solo, non autem nostris operibus, aut fictitio purgatorio, emundamur à peccatis. 1. Pet. 1. 1. Ioan. 1.

9 Υἱοθεσία dicitur, quia adoptione ius filiorum consequimur: propter vnigenitum filium Iesum Christum. Ioan. 1. Rom. 8. Gal. 3. Eph. 1.

10 Σωτηρία autem est, quia à peccatis seruatos, in æternum saluos facit, vt Dominum ὁμοθυμαδὸν celebremus, qui est, qui erat, & qui venturus est. Ipsi gloria in omne æuum. Amen.

Rom. 3.

Per legem fidei excluſa est omnis gloriatio.

AXIOMATVM DECAS QVARTA, IN qua de Mediis agitur, quibus Deus ad nos, de Salute nostra erudiendos, vtitur.

Disputatio quarta, in qua Hermanus Petri Belga respondet.

DEus, in cuius vera & solida cognitione, vita & salus nostra sita est, sapientissimo ordine ad nos veritatis cognitione imbuendos, vtitur.

2 Etenim ἔσωθεν quidē, vnctione Spiritus sancti (à quo χαρισμάτων διαιρέσεις ortum ducunt) docet nos de omnibus. 1. Ioan. 2. 1. Cor 12.

3 Ἔξωθεν autem verbo & Sacramentis eandem rem agit, hoc est, Christum Iesum fide agnoscendum & fruendum, nobis exhibet: selectis ad ordinariam hanc Oeconomiam, duobus nobilissimis sensibus, Auditu & Visu: velut inter nunciis Animi: inter quos tamen ille, etiam τὰ νοητὰ exactius percipiens, & plura & præstantiora apprehendēs, hunc qui acrimonia & promtitudine circa τὰ ὁρατὰ tantùm poller, longè præcellit.

4 Vt autem ῥητῶς, per verbum, alloquente nos Deo, fides nascitur: (ex auditu enim fides etiam) ita eodem συμβολικῶς, nos erudiente, fidei iusticia, quasi σφραγισαμένη, in nobis etiam καθ' ἕξιν confirmatur. Rom. 4. & 10.

5 Quemadmodum verbo & Sacramentis, Deo (qui etiam ἀμέσως nos erudire, & saluos facere poterat) vti: sic etiam συνέργους, Reconciliationis Ministros adhibere, ipsi placuit.

6 Ne verò per imprudētiam ea disiungamus, quæ Deus in nostri gratiā coniunxit: quænam D. Iesus πρωτοστάτης, ministerio cooperariorum & suc-

centuriatorum ſuorum,& vſu Sacramentorum peragat,videamus.

7 Quia inſtitutione,exhortatione,conſolatione,reprehẽſione &c. nobis opus eſſe intelligit:externorũ Miniſtrorum, fideliter Euangelizantium voce aures ferit:Ipſe autem,verbo interno,per Spiritum ſanctum in omnem veritatem nos ducentem,corda aperit & fide purificat.Act.15.16.

8 Vt emundatione à peccatis, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ nobis opus eſſe, teſtetur,à Miniſtris ſuis aqua baptizatos,ſanguinis ſui aſperſione expurgat, & ſpiritu regenerat:vt inſititii eius facti,in nouitate vitæ ambulemus.Rom.6. Eph.5.Ioan.3.Tit.3.

9. Néue cœleſte alimonia,qua nos indigere intelligit,deſtituamur, nequaquam nuda tantùm ſymbola Seruorum ſuorum manibus oblata, & ore percipiẽda in S.Synaxi exhibet:(neque enim hęc ſola nos viuificare poſſent) ſed primùm corporis ſui,pro nobis traditi:ſanguinis ſui pro nobis effuſi cõmunicatione vera, (ad quã nõ αἰσθήσει ſed fide,non homini opus eſt) paſcit ad ęternã vitã:deinde,ſuos συμφύτους & oſſa ex oſſibus,carnẽ de carne ſua viuificat, regenerat,ſanctificat.

10 Vt autem nemo Orthodoxus,in ordinaria verbi diuini & Baptiſmi diſpenſatione,quæ ad Electorum ædificationem & vſum inſtituta eſt, & ritè peragitur,à verbo externo, internum: à Baptiſmo Aquæ, Spiritus Baptiſmum,ſeiungit:(licet Spiritum vbi vult ſpirare: & aliàs præcedere aquæ lauacrum,aliàs ſequi Spritus baptiſmum,minimè ignorem) Ita in S. cœna, etſi κατ' ἐπίκλησιν non phyſicam, Sacramenti & Rei Sacramenti vnionem rectè ſtatuat,lætatur tamen ſibi & omnibus aliis Dei filiis,ſpirituali modo, corporis Chriſti cibum viuificum,& ſalutarem ſanguinis potum verè exhiberi:ac horum μετοχὴν coniunctam eſſe,cum certiſſimo fructu viuificationis: quando hæc Signa voluntaria,non tantum μνημονευτικὰ ſed etiam σημαντικὰ ſunt,quib. Chriſtus ſe totum,id eſt,pro nobis traditum corpus: pro nobis fuſum ſanguinem,nobis in cibum,non ventris,ſed mentis,exhibet:ac ipſius mortem annunciantes, nóſque ipſos probantes, meritorum ſuorum & vitæ, participes facit.

1.*Cor.*10.

Omnes eandem eſcam ſpiritualem comedebant:& omnes eundem potum ſpiritualem bibebant.

AXIOMATVM DECAS QVINTA, *in qua de Beatitudine noſtra ſempiterna agitur.*

Diſputatio quinta,in qua reſpondit Georgius Iutzinus Badenvvilius.

1

BEatitudo æterna à reſtitutione eorum quæ vanitati, hominis cauſſa,ſubiecta fuerant,dicitur ἀποκατάστασις πάντων. Act.3. à declaratione publica Electorum, ἀποκάλυψις τῆς δόξης filiorum Dei. Rom.8.ab eorundem plena liberatione ab omni malo, ἐλευθερία ibidem: à compleméto regenerationis, ἡ παλιγγενεσία. Matth. 19.vt de cæteris appellationibus nihil dicamus.

2 Erit

2 Erit autem hominis totius, eius vitæ, sapientiæ, gloriæ, regiminis summa perfectio: cuius auctor erit Christus in regno suo omnibus cohæredibus suis.

3 Anima, luce & ornatu imaginis Dei refulgens, corpus spirituale, glorioſum, immortale, inhabitabit. Eph. 4: 1. Cor. 15. Phil. 3.

4 Sapientia, perfecta erit: secundum illud τότε ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. 1. Cor. 13.

5 Iusti fulgebunt, vt sol, in regno Patris. Mat. 13. Sic tamen vt gradus sint gloriæ in illa communione æternæ vitæ. Matt. 11. & 25. Dan. 12. 1. Cor. 15.

6 Regimen optimum erit: quando Deus, carnis intemperie & Satanæ tyrannide abolita, erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15.

7 Dicimus regnum hoc præparatum esse Benedictis, ante constitutionem Mundi. Matth. 25.

8 In domo Patris, Paradiso, Cœlo. Ioan. 14. Luc. 23. Col. 1.

9 Cessante autem animali vita, Nuptiæ & propagatio hominum cessabit: & homines ἰσάγγελοι, id est, Angelis æquales, (vitæ sortísque ratione) erunt. Luc. 20.

10 Actum sacerdotale regnum, Deo & Patri tradet Filius: cuius regnum in omnem æternitatem durabit. Ipsi gloria & laus in æternum. Amen. 1. Cor. 15. Luc. 1.

Apoc. 22.

Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ

SACRAE THEOLOGIAE, SECVNDVM treis methodi formas, Synthesin, Analysin & definitionem delineata, & excitandæ iuuandæq; alacritatis & φιλομαθείας ergò, proposita sacrarum Literarum Studiosis in amplissimæ Basiliensis Reip. Theologico Gymnasio à IOANNE IACOBO GRYNÆO, *Ordinario S. Theologiæ Professore.*

ADDITÆ SVNT THESES THEOLOGICÆ LX. complectentes præcipua quædam Religionis nostræ capita. Et 30. de Studio Theologiæ: de quibus in Ordinariis Disputationibus, pij & eruditi aliquod Iuuenes, eodem auctore & præside, σὺν Θεῷ responderunt.

PAVLVS APOSTOLVS.

QVOD RELIQVVM EST, FRATRES, QVÆCVNQVE sunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis: si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitate.

Philipp. 4.

VIRTVTIBVS, GENERIS NOBILITATE ET eruditione præstantissimo viro, D N. Ioanni Osmolskio à Prauiedniski, Domino suo plurimum amando

S. P. S.

VIR Magnifice & nobilissime, In hac vitæ & professionis meæ, (qua post Optimos & eruditissimos viros, & ἐφεξῆς τὰς πόδας clarissimorum Collegarum, bona, Dei beneficio, conscientia defungor) conditione, de infirmitate mea cogitanti, sæpiúsque animo repetenti illud Pauli: Habemus autem Thesaurum hunc (prius vocârat, φωτισμὸν τῆς γνώσεως) in testaceis vasculis, vt eius virtutis præstantia sit Dei, & non ex nobis: magnæ consolationi est historia de vidua paupercula, quæ hilari corde minuta duo in Gazophylacium mittẽs, Christo Iesu Domino, animum promtum & fidelem egregiè probauit. Sic enim mihi rectè colligere videor, quemadmodum Deus fidelem operam serui, qui donis paucis instructus ea tamen αὐταζωπυρεῖν, & ad vsum Domino gratum & Ecclesiæ vtilem transferre & adhibere satagit, boni consulit: Ita piæ mentes omnes, de varietate τῶν χαρισμάτων rectè institutæ, etsi in alijs & superioribus alia quædam dona prudenter & candidè animaduertunt, & in magno pretio habent: non tamen aspernantur etiam inferiorum dona, quum omnia in vniuersum salutaria & Ecclesiæ necessaria esse, intelligant. Ea propter ita vt me facturum receperam, ad te Theologicas hasce Tabellas & Theses, è S. Bibliys depromtas, nunc mitto: in quibus si ἐν τῇ τῆς μεθόδου ἀκριβείᾳ aliquid desiderabis, hypotyposin tamen sanæ doctrinæ & selectiora S. Scripturæ testimonia, velut gemmas & vniones, non magnitudine, sed precio æstimandas, pro singulari tua pietate, magni facies. Sanè vt Theologiæ Methodum ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον delinearem, duæ me caussæ mouerunt. Vna est, vt exemplo meo doctos viros reuocarem ad cogitationem seriam, de ratione informandi Methodum Theologiæ, principiorũ & eorum quæ ex his bona consequentia exstructa sunt, ratione: plerique enim materiales tantùm locos, tractare solent. Altera, vt meis Auditoribus, quorũ alacritate & diligẽtia, me quoque mirificè tum excitari tũ delectari fateor, eruditarũ & placidarum, de rebus sacris & scitu necessarijs, Disputationum, materiam subministrando, officio & vocationi meæ pro mea virili satisfacerem. Nihil autem hoc à me annotatum est, quod non fusiùs mihi aliquando tractandum, existimem. Dominum Iesum precor vt te nobis saluum & florentem omni bonorum genere diutissimè seruet. Perscriptum Basileæ, Cal. Iulijs. M. D. LXXVII.

T. Ioh. Iacobus Grynæus.

Vide signum ☜ Theologiæ

PRINCIPIA THEOLOGICA τῇ Συσάυει respondentia, quibus alia adiungi possunt.

1. De Deo & eius operibus, non nisi ex fide, secũdùm patefactiones diuinas iudicandum & pronunciandum est. Nam Deum nemo vnquam vidit: Filius autem qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Iohan. 1.

2. Iehouah, ipse est Elohim. 1. Reg. 18. Contra Epicureos.

3. Iehouah Elohenu, id est, Deus noster, Iehouah vnus est. Deut. 6. Contra πολυθείαν.

4. Iehouah, φύσει θεὸς est. Gal. 4. Contra idololatras.

5. Idem primus & nouissimus est, præter quem non est Deus. Isa. 44.

6. Vbique autem est, cœlum & terram implens. Psal. 139. Ier. 23.

7. Beatus & solus Princeps est, Rex regũ & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucẽ habitãs inaccessam, quẽ vidit nemo hominum, neque videre potest. 1. Tim. 6.

8. Stulticia Dei sapientior est quàm homines, & infirmitas Dei validior, quàm homines. 1. Corinth. 1.

9. In eum nõ cadunt, ἀλλαγὴ, τροπῆς ἀποσκίασμα καὶ μετάμέλεια, hoc est trãsmutatio, conuersionis obumbratio & pœnitudo. Iac. 1. Rom. 11.

10. Deus καρδιογνώστης est: eius mentem nemo cognouit: nemo consiliarius ipsius fuit. 1. Sam. 16. Rom. 11.

11. Consilium eius stat, & omnis voluntas eius fit: facit enim omnia secũdùm consilium voluntatis suæ. Isa. 46. Eph. 1.

12. Posuit sibi populum mundi, vocatos de nomine suo, ad gloriam suam vocat, formátque, & in gubernatione rerum mundi, omnia operatur propter semetipsum: etiam impium ad diem malum. Isa. 43. 44. Pro. 16.

DE SACROSANCTA TRINITATE, ET DE Christo Iesu ἀνθρώπῳ.

13. Tres sunt qui testificãtur in cœlo, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, Pater, Sermo & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. 1. Ioan. 5.

14. Sermo ille caro factus est: & commoratus est inter nos: Seu, Deus in carne patefactus: in Spiritu iustificatus est. Ioan. 1. 1. Tim. 3.

15 Quicunque Spiritus confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est. 1. Ioan. 4.

16. Deus in carne patefactus, sanguine suo redẽit Ecclesiam: id est, Christus in carne pro nobis passus est. 1. Pet. 3. & 4.

17 Vnus est Mediator Dei & Hominum, Homo (nomen est personæ) Iesus Christus. 1. Tim. 2.

18. Siritus sanctus, & Iehouah est, & à Patre & Filio, quorum Spiritus esse prædicatur, procedit. Gal. 4. Act. 28. cõtra Græcos, negantes Spiritus sancti processionem à Filio.

DE OPERIBVS DEI AB INTRA, ET IIS quæ mundi constitutionem præcesserunt.

19. Pater genuit Filium imaginem suã splendorem gloriæ & characterẽ hypostaseos suæ. Hebr. 1. Spiritus sanctus ab vtroque, ab æterno, procedit.

20. Cõmunicatio est glorię Patris, Filii & sancti spiritꝰ ab ęterno. Ioã. 17.

21. Ante tempora secularia decreuit Deus, infidelium reiectione, iustitiam: fidelium electione misericordiam testatam facere, ad gloriam suam. Eph. 1. Tit. 1. Rom. 9.

22. Deo enim, qui summum bonum est, omnia seruire, tum in vita, tũ in morte, æquissimum est. Isa. 44. Pro. 16. Rom. 9.

De operibus Dei ab extra.

23. Creatio, Redemtio, Sanctificatio, toti Triadi in diuinis, seruato tamen cuiúsque personæ τῷ προσκειμένῳ & officio, tribuuntur.

24. Pater, per Filium, virtute Spiritus omnia creauit & conseruat: & in Filio visum est ipsi ἀνακεφαλαιώσασθαι (id est summatim instaurare & colligere) omnia tum quæ in cœlis sunt, tum etiam ea quæ sunt in terris. Eph. 1.

25. Per Filium, ante & post eius ἐνσάρκωσιν (incarnationem) alias mediatè, per fideles, vtriúsque Testamenti seruos, aliàs immediatè, alloquutus est Pater hominum genus. Hebr. 1. Gen. 3. 15. 18.

26. Pater vnctione Spiritus verbique Ministerio interueniente, nos ad se trahit, fidei donum dat, Filioque suo dat, vt hunc accedamus & requiem animarum inueniamus.

27. Fide ad iusticiam imputata, idem Pater nos iustificat: absque operibus legis. Rom. 3. Gal. 2.

28. Itaque fide viuimus, viuente in nobis Christo: qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Gal. 2.

29. Ac insititii Christi facti, in peccatis non manemus, sed eneruatur in nobis peccati corpus, vt Iustitiæ viuamus & seruiamus. Rom. 6.

30. Etsi autem caro in nobis concupiscit aduersus Spiritum: nulla tamẽ condẽnatio est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui nõ secundùm carnẽ, sed secũdùm spiritum ambulãtes, certi sunt de sua salute & perseuerãtia. Gal. 5. Rõ. 8.

DE OPERIBVS DEI QVAE HANC vitam consequentur.

31. Veniet hora in qua omnes qui in monumẽtis sunt, audient vocẽ Christi: & prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. De vniuersali Resuscitatione. Ioan. 5. 1. Corinth. 15. 1. Thess. 4.

32. Deus statuit diem, quo iustè iudicaturus est orbem terrarum, per eũ virum (Christum Iesum intelligit) quẽ definijt, fide palàm facta omnibus, illo à mortuis excitato. Act. 17. Matth. 25. De Iudicio extremo.

33. Creaturæ vindicabuntur ex seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Roman. 8. Cœlos nouos expectamus, & terram nouam, in quibus iusticia habitet. Isa. 65. 66. 2. Pet. 3.

34. Deus, ijs qui ipsũ diligũt præparauit ea, quæ oculus nõ vidit, auris nõ audiuit, nec in mẽtẽ hominis venerũt: erítq; omnia in omnibꝰ. 1. Cor. 2. & 15.

TESTIMONIA THΣ ANAΛTΣ|EΩΣ, SEV *Resolutoriæ Methodi.*

Isa.43.Omnis qui vocatur in nomine meo, hunc ad gloriam meã vocaui, formaui, feci.

2.Tim.1. Deus saluos nos fecit,& vocauit vocatione sancta:non secundum opera nostra:sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia.

Aphorismi Analytici.

1. Deus ad gloram suam condidit homines.
2. Glorificatur autem misericordia eius salute hominum.
3. Eorum,quos Christus iudex absoluit.
4. Prius à se resuscitatos ad vitam perpetuam.
5. Quos etiam olim sanctificauit per lauacrum regenerationis.
6. Iustificatos gratis, per gratiam,pérque redemtionem.
7. Ac vocatos ad participationem sortis sanctorum,segregauerat de mũdo,fidei dono ipsis dato.
8. Cum iam olim prædestinati essent ad vitam.
9. Ac præsciti cum decreto,quòd vasa gratiæ eos esse oportebat.
10. Secundum ἀμεταμέλητον decretum Dei:cui laus in omnem æternitatem. Amen.

S. Theologiæ Definitio.

Finitionis Methodus, iungens principio finem, & τῇ σωματοποιήσει seruiens, in S. Theologiæ τῇ ἀνακεφαλαιώσει, ita institui poterit.

1. Genus Theologię est, Sapiẽtia πολυποίκιλος. Eph.3.
2. Differẽtia,ab auctore,forma antiquitate& fine ducta:Est Dei sapiẽtia,latẽs in mysterio, quã præfinierat Deus,ante secula,in gloriã nostrã 1.Cor. 2.
3. Efficiẽs princeps cognitionis eius(Paulus hãc σύνεσιν, id est,intelligẽtiã vocat,Eph.3.(est S. sanctus, qui fideles in omnẽ veritatem ducit, & vnctione sua docet:quo nomine θεοδίδακτοι dicũtur. Iohan. 16.1.Iohan.2.Ioan.6.Famulantes sunt verbi Ministri ἱερουργοῦντες καὶ λειτουργοῦντες verbum Dei in Ecclesia.1.Corinth.3.Roman.12.& 15.
4. Materiam diuidere licebit secundum partes,in τὴν δογματικὴν καὶ τὴν ἱστορικὴν. Ad priorem pertinent, Lex & Euãgeliũ:illa iustitiæ Dei,hęc misericordię eius dẽ testimoniũ:illa charitatis,hæc fidei& spei doctrinã,cõplectitur.Posterior,habet historiã Mundi,initio ab huius creatione ducto.Quæ autẽ fuerit Ecclesiæ ratio,ante Diluuiũ:& post diluuium, quatuor Monarchiarũ temporibus, ex Veteris & Noui Testamenti libris discere promtum est.
5. Forma.1.Cor.1.Christus nobis(fidelibus)fact⁹ est sapientia à Deo,iustitiáque & sanctificatio, & redemtio, vt sicut scriptũ est:Qui gloriatur in Domino glorietur.1.Corinth.1.Ier.9. (cre-
6. Fines.Ioã.20.Fides in Christũ.Hęc scripta sũt, vt

datis Iesum esse Christum, filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Doctrina & vitæ innocentia. Rom. 15. Nã quęcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationẽ Scripturarum spem habeatis. 2. Tim. 3. Tota Scriptura diuinitùs inspirata est, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia. Vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum integer.

Summa est, Theologia, Paulo finitore, Sapientia Dei est, quam vnctio, famulante Ministerio, docet: constans Lege & Euangelio, ac horum hypothesibus historiam Mundi complectẽtibus, vt Christo agnito, hæc in fide, spe & charitate proficiẽtes, vitã ęternã habeamus, ad gloriã Dei imprimis & nostrã.

Testimonia, Quæ Euangelij Definitionem continent.

Eph. 1. Mysterium voluntatis Dei, de ἀνακεφαλαιώσει vniuersorũ in Christo

Tit. 1. Electorum Dei fides, & agnitio veritatis, quę est secundùm pietatem, in spe vitę æternæ, quam promisit is qui mentiri nescit Deus, ante tempora secularia, patefecit autem tẽporibus suis sermonẽ suũ per prędicationẽ.

In hac finitione colligere licet, quis sit auctor Euangelij, quibus detur fide illud amplecti, quę eius materia, quod nam decretum de eius reuelatione. quando & quorum præconio promulgatum sit.

Rom. 1. Euangelium est δύναμις θεοῦ potentia Dei ad salutem omni credenti, ab efficientia. Et eodem capite à materia & argumento illud definiens, air, esse Dei Euangelium, per Prophetas olim in Scripturis promissum, de Filio Dei, nato ex semine Dauidis secundum carnem, declarato filio Dei potenter, per Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis, per quem accipimus gratiam, & fidei obedientiam.

Historicam Euangelii finitionem tradidit Paulus, κατ' ὑπόθεσιν de Christo loquens. 1. Tim. 3. Et sine controuersia magnum est pietatis mysteriũ: Deus patefactus est in carne: (ἀνθρωπότης) iustificatus est in Spiritu: (θεότης) conspectus est ab Angelis (eminentia Christi etiã κατὰ σάρκα, præ Angelis. Hebr. 1.) Prædicatus est Gentibus (vocatio Gentiũ) fides illi habita est in mundo: credunt quotquot præordinati sunt ad vitam Act. 13.) receptus est in gloria ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. Act. 3.

THESES DE S. THEOLOGIA, AC PRIMVM,
Disputatio 1. in qua respondit Hermanus Petri 11. Iulij 1577.

De Deo quib. verè constet.

QVOD de Israele iã olim Moses Propheta testatus est, ostensum ipsi vt sciret, quòd Iehouah sit Deus, & quòd non esset præter eum, Deut. 4. Id etiam de omnibus veris & in occulto Israelitis quorum laus apud Deum est, intelligi debet. Sciunt enim hi quoque & reuocant ad corda sua, quòd Iehouah sit Deus ille in cœlo desuper & super terram deorsum, nec sit vltra. Ibidem. Etsi autem sunt λεγόμενοι θεοὶ: fidelibus tamen vnus est Deus, qui est Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. 1. Cor. 8.

2. Deus

2. Deus verò ille verus, qui se patefecit humano generi, & κατ' ἰδίαν interprete Spiritu sancto, iis, quos in Christo pro filiis habere dignatur, bifariam considerandus est, & ratione ea qua semper fuit, est, erit: & Operū eius, quæ illustria sapientiæ, potentiæ, bonitatis, iustitiæ eius documenta sunt, respectu. Sicut scriptum est: Ero qui ero. Sic dices Filijs Israël, Ero misit me ad vos. Exod. 3. Hoc dicto, Ichouæ, æternitas nullis seculorum periodis circumscripta, & αὐτοσία, tribuitur. Item, Deus fecit Mundum & omnia quæ in eo sunt: hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis Templis habitat. Act. 17. τὸ τῦ θεῦ γνωστὸν. Rom. 1.

3. Priore quidem modo Ichouah Elohim, si τὰ ἀόρατα eius respicias, quædam de essentia sua, quam Paulus vocat ἀΐδιον αὐτῦ δύναμιν καὶ θειότητα, Rom. 1. τὴν θεότητα, Col. 2. τὸ θεῖον, Act. 17. quædam etiam de Tribus hypostasibus, patefecit: quæ nobis omnibus gratis, sobriisque animis, citra πολυπραγμοσύνην, cognoscenda sunt: ne lucem cognitionis diuino beneficio refulgentem aspernemur & extinguamus. Testimonia. Gal. 4. Quũ ignoraretis Deũ seruiebatis iis, qui naturâ nõ sunt Dij. τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. At nũc postquam cognouistis Deum, &c. Et paulo superius: Deus Filii sui Spiritum misit in corda vestra, clamantem, Abba, Pater. De Essentia Dei.

4. Posteriore autem, quo omnia per eum condita sunt & consistunt, tum opera omnipotentiæ suæ: tum res productas à se (sunt hæc duûm generum, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, hoc est, visibilia & inuisibilia: quæ in cœlo sunt & quæ in terra. Col. 1.) magnificè commendat. Ioan. 5. Pater meus ad hoc vsque tẽporis operatur, & ego operor. Opera & effecta.

De æterno & vnico Deo.

5. Vtrumque autem in Scripturis diuinitus inspiratis nobis obseruandum est, & qualem esse Deum, & qualem eundem non esse, ἀναμφρήπτως testẽtur. Iehouah Deus noster, ὁ ὤν, ὁ λῦ καὶ ὁ ἐρχόμενος, à quo omnia quæ sunt, suum esse habent, est vnus, Deut. 6. est φύσει θεὸς, id est, natura Deus. Gal. 4. est æternus, Rom. 1. est Spiritus. Ioan. 4. Immensus. Ierem. 23. est sapiens. Pro. 8. Omnipotẽs. Gen. 17. est inuisibilis, habet immortalitatem, lucem habitat inaccessam. 1. Tim. 6. est verax & nescit mẽtiri. Tit. 1. Iustus. Psal. 119. Misericors, Rom. 9. 1. Tim. 1. &c. Et nos cùm progenies Dei simus, non debemus existimare, auro aut argento aut lapidi arte sculpto, & inuento hominis, Numen esse simile. Act. 17. Vnum esse Deum.

De Patre Filio & Spiritu sancto.

6. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. 1. Ioan. 5. Tres esse Personas in diuinis

Pater diligit Filium, dedit Filio vitam habere in semetipso, & eundem glorificat. Ioan. 5. 8. 17.

Filius, ἀμήτωρ, est in sinu Patris: est imago Dei inconspicui: est splẽdor gloriæ, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῦ, Ioan. 1. Col. 1. Hebr. 1.

Spiritus sanctus, est etiam Ichouah: & Patris ac Filii Spiritus. Act. 28. Gal. 4.

7. Demonstrationes de Sacrosancta Trinitate, seu de tribus Elohim,

Vnde petenda assertio Trinitatis.

qui tamen sunt vnus Iehouah, petendæ sunt, tum ex aliis propriis & illustribus diuinæ Scripturæ Testimoniis: tum ex Narrationibus de præclara illa τῇ θεοφανείᾳ, quæ facta est, & cùm in Iordane Iesus Christus Dominus noster baptizaretur. Matth. 3. & cùm in monte sancto gloriæ suæ specimen edidit. Matth. 17. Item, ex Baptismi nostri institutione. Credere enim nos oportet, sicut baptizati sumus: vt ait Basilius. In prima illa θεοφανείᾳ, Pater æternus patefecit se, edita voce, qua Filio in carne conspicuo, testimonium perhibuit. Spiritus sanctus autem, in specie columbæ apparuit. In Baptismi institutione, citra omnem τριτολογίαν mentio fit trium Personarum, Patris, Filii & Spiritus sancti.

Quomodo idem Deus Trinus & Vnus.

8. Omnem itaque πολυθεΐαν, seu Deorum turbam & pluralitatem, nobis execrandam ducentes: ac vnum verum Deum, treis autem hypostaseis credentes, nequaquam ἀσύστατα profitemur. Nam quem essentia, operatione & cultu vnum esse, eundémque rectè statuimus: eundem ratione Personarum, proprietatum characteristicarum & officiorum, Trinum esse, cum tota Ecclesia Veteris & Noui Testamenti, credimus & profitemur.

Quid Cõmune habeant 3. Personæ, & quæ peculiaria.

9. Vt enim Pater, Filius & Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι, συναΐδιοι καὶ ὁμότιμοι, id est, coessentiales, coæterni & eodem honore prosequendi sunt: & vnà operantur: Sic etiam realiter, non essentialiter, à seinuicem distinguuntur. Pater genuit Filium: Filius à Patre genitus est: ab vtroque procedit Spiritus sanctus. Pater, Filium misit in hunc mundum: Verbum caro factum est: Spiritus sanctus, in omnem veritatem ducit, regenerat & sanctificat nos.

10. Communia autem tribus Personis omnia esse, quæ ἐσιωδῆ sunt, ex gloriæ communione liquet, de qua Filius Dei: Nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsum, ea gloria quam habui apud te priusquam hic Mundus existeret. Ioan. 17. Tantùm è Sacris literis de Deo, hoc loco annotare visum est: Iam ad τὰ μεγαλεῖα illius accedemus.

De operibus Dei.

Disputatio 2. σὺν θεῷ habita 22. Augusti. 1577. in qua Matthias Cellarius Tig. Respondentis munere functus est.

11. Paulus, de operibus Dei loquens: Ex eo, ait, & per eum, & in ipsum sunt omnia. Rom. 11. Vnde liquet omnia à Deo condita, ab eodem ad gloriam opificis, administrari: siue actionem eius generalem, quam Theologi vocant, siue specialem, qua Electorum salutem efficit, spectes.

12. Idem quoque alibi docet, Patrem per Filium, & creauisse vniuersa, & instaurare Electos. Col. 1. Qui est imago Dei inconspicui, primogenitus omnis rei creatæ: nam per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates, omnia, inquam, per eum & eius respectu condita sunt: éstque ipse ante omnia, & omnia per eum consistunt: éstque caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, vt in omnibus primas teneat.

13. Proinde Opera Dei bifariàm considerabimus, & quà Deo, tanquam Deo tribuuntur: & quà eidem, in carne patefacto, & Mediatoris munere fungenti, adscribuntur. Sunt enim Opera quædam potentiæ & prouidentiæ Dei creantis & conseruantis Mundum hunc & omnia quæ eius complexu continentur: Sunt etiam opera Misericordiæ eiusdem, quærentis & instaurantis ea quæ perierant.

14. Priora

14. Priora illa, tum Actionum Dei, tum eorum quæ sunt ratione, accuratè expendere conuenit. Actiones enim sunt, Creatio, & rerum conditarum conseruatio, quarundam propagatio: omnium administratio. Creationem propriè sic dictam, rerum ἐκ τῶ μὴ προυπάρχοντος productionem, esse volunt: ὁμωνύμως autem sic dictam, qua res ex materia quidem aliqua producuntur, ita tamen quomodo à nulla virtute creata produci possunt. Conseruatio creationis perpetuatio (vt ita loquar) & continuatio est. Administratio rerum & vniuersalis & particularis est: secundum propositum voluntatis Dei. Testimonia: Ioan. 1. Omnia per eum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum sit. Psal. 102. Hebr. 1. Tu initiò Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt: Tu autem permanes: & omnes vt vestimentum veterascent: ac velut amictum circumuolues eos, & mutabuntur. Tu autem idem es, & anni tui non deficient.

15. In Deo itaque sumus, viuimus & mouemur: ipse fecit nos ex vno sanguine: ipse etiam τὰς ὁροθεσίας nostræ habitationi præstituit. Act. 17.

16. Quia verò, non hic primarius, ratione nostri, finis est, vt videlicet simus: sed vt vnum cum Christo Iesu, (qui via, veritas & vita nostra est) simus: Misericordiæ opera, quæ Mediator inter Deum & Homines, peregit: tum ipsius, tum nostri ratione, hoc est, ἐνεργητικῶς καὶ παθητικῶς, cognoscere maximum erit operæpretium.

17. Celebrantur enim Opera illa Personæ (quæ θεάνθρωπος est, & quam Paulus τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν, vocat. Heb. 12.) & Ecclesiæ (quæ mysticum Christi corpus est) respectu.

18. Si Personam spectes, Verbum caro factum, habitauit in nobis, & gloriam suam conspiciendam exhibuit. Ei hæc tribuuntur, 1. ἐνσάρκωσις, Incarnatio. 2. Δικαίωσις, quæ aliàs est ἔνδειξις seu declaratio Deitatis ipsius. 3. φανέρωσις. 4. κήρυγμα. 5. πίστις. 6. ἀνάληψις. Secundùm illud Apostoli: Et sine controuersia magnum est pietatis mysterium, Deus conspicuus factus est in carne: iustificatus in Spiritu: conspectus est ab Angelis: prædicatus est Gentibus: fides illi habita est in mundo: sursum receptus est in gloria. 1. Tim. 3.

19. Hæc duûm generum sunt. Alia enim ad Personam Mediatoris, duabus Naturis, diuina inquam & humana constantem: Alia ad eius Gesta & Exaltationem referri debent. Ad Personam pertinent, veritas vtriusque Naturæ, & earum hypostatica vnio: ad res gestas referuntur, patefactio coram Angelis, Prædicatio inter Gentes, Gentium fides, exaltatio ad dexeram Dei Patris omnipotentis.

20. Quod si respicias seriem Operum Christi Dei & Domini nostri, hæc illi tribui animaduertes: Primò, Creationem & conseruationem Mundi & omnium eius partium: Secundò, Patefactionem in carne, quam διακονία secuta est, (de hac Filius Dei ait: Non venit Filius hominis, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret: darétque animam suam in redemtionis pretium, pro multis. Matth. 20.) quam subdiuidere licebit, in λειτουργίαν, παθήματα, καὶ τὴν ἀνάληψιν. Ad illam pertinent, Promulgatio Euangelii, institutio Ministerii & dispensationis verbi & Sacramentorum, & eorum omnium quæ Noui Testamenti propria sunt: ad hæc ea quæ mortem Christi paulò ante præcesserunt, cum ea coniuncta fuerunt, & quæ eam secuta sunt. Postremò, Reditum in gloria, ad resuscitandos mortuos, iudicandos vniuersos, & Electos in possessionem regni Patris traducendos.

21. Ecclesiæ primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlo quid omnibus mundi temporibus præstiterit, is, qui hodiè, heri & in secula est, testantur hæc præclara illius beneficia, Vocatio, Iustificatio, Sanctificatio. Vtautem hæc Christi Iesu respectu ἐνεργητικῶς: (Vocat enim, iustificat & sanctificat suos) Ita ratione nostri παθητικῶς (Vocamur namque ad sortem sanctorum, iustificamur à peccatis, & sanctificamur, vt in nouitate vitæ ambulemus) accipienda sunt.

22. Fiunt autem hæc ideò, vt qui antea eramus naturâ filii iræ, caro, procul, ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ σύμφυτοι, id est, insititii Christi facti, dilecti simus in dilecto filio, & propinqui per sanguinem illius. Rom. 6. Eph. 1. & 2.

23. Nostra autem cum Christo Iesu coniunctio, non tantùm ὁμοουσίᾳ quã semen Abrahæ assumendo conciliare dignatus est (est hæc communis tum Electis, tum Reprobis) sed nostri cum eodem Christo Domino arctiore συζυγίᾳ, definienda est, de qua Apostolus: Quoniam membra sumus Corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius. Eph. 5.

24. Vocationi, qua à Patre tracti Filio dantur custodiendi, respondit Legis παιδαγωγία in Veteri Testamento: & Euangelij ἡ ἐλευθερία in Nouo Testamento: quod ab illo non rebus ipsis principalibus, sed tantùm Oeconomia liturgiæ differt. Idem enim Christus Mediator in vtroque Testamento celebratur, qui etiam vnam & eandem doctrinam fidei, spei & charitatis prædicari suis fidelibus voluit curauítque: licet aliàs maior eius lux esset, aliàs minor.

25. Filius Dei nos iustificat: dilexit enim nos & tradidit semetipsum pro nobis. Itaque non abrogamus Dei gratiam, quando si per Legem esset iustitia, tum Christus δωρεὰν mortuus esset: quod falsissimum est.

26. Dulcissimè autem de Iesu Christo nos sanctificante dicitur: Nam & qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno sunt omnes: quamobrem non erubescit fratres ipsos vocare. Vtrumque autem beneficium Christi, hoc est, iustificationem & sanctificationem συλλήβδην perstringens Apostolus, ait: Non ex operibus iustis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos, per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus Sancti. Tit. 3.

27. Vt autem Spiritu promissionis sancto, qui arrhabo est hæreditatis nostræ, ἔσωθεν à Christo obsignamur, posteaquam credidimus: Ita, tum viua voce Ministrorum Noui Testamenti, tum Sacramentorum Cœnæ Dominicæ & Baptismi vsu, ἔξωθεν nos velut sigillo impresso, certiores facit de salute nostra.

28. Certò autem persuasi sumus, futurum vt ἐν τῇ ἀναλύσει nostra, animas non minus suscipiat, quàm olim Stephani protomartyris, & vt in secũdo suo aduentu à mortuis resuscitatorum Corpora humilia transformet & conformia faciat glorioso suo corpori, pro ea efficacitate qua potest etiam subijcere sibi omnia. Phil. 3.

29. Vt igitur vita hac defuncti, Spiritibus nostris migrabimus ad Christum, ad quem peregrè hinc agentes tota vita cõtendere debemus: Ita in Resurrectione iustorum, toti cum eodem in æternum regnabimus.

30. Ac tum erit Deus omnia in omnibus, celebrabuntur Nuptiæ Agni, abstergentur lacrymæ ab oculis Sanctorum: fruemur possessione Regni & hæreditatis cœlestis in æternum. Tantum de Deo creatore repetere è Scripturis

pturis visum est: supereſt vt ad nobiliſſimam eius creaturam, Hominem ad Dei imaginem & gloriam conditum accedamus.

DISPVTATIO 3. IN QVA 26. SEPTEMBRIS respondit Huldrichus Stoltzius Tigurinus σὺν θεῷ.

31. Propoſitum autem nobis est ordine categorico, ea quæ de Homine diuinæ Scripturæ habent, κεφαλαιωδῶς tantũ repetere: & initium facere ab eius Subſtantia, in qua ἀπολογικῶς Hominis ortum & partes conſiderabimus.

32. Ortum eius quod attinet, celebrantur Cauſſæ externæ, Efficientes & Finales. Hominis primi ἄιτιον κύριον ἄμεσον est Deus, δημιουργὸς ſapientiſſimus & optimus, qui primum hominem condidit. Itaque Adam, Dei esse, dicitur, nõ progenitorum κατὰ σάρκα. Luc. 3. τοῦ Ἀδὰμ, τοῦ θεοῦ. Progenies autem & poſteritas primorum parentum, vt habet auctorem Deum, ita ei famulantes cauſas, τῶν σαρκὸς πατέρας, vt eos vocat Paulus, Hebr. 12. Itaque rectè Apoſtolus, Deus, ait, dat omnibus halitum, vitam & omnia. Condidítque ex vno ſanguine omne genus hominum. Per ipſum viuimus, ſumus & mouemur omnes: ſicut & quidam veſtratium dixerunt: Nam huius progenies etiam ſumus. Act. 17.

33. Fines gradibus diſtincti triuariàm conſiderantur, Dei videlicet, ipſius hominis & poſtremò proximorum eius reſpectu. Deus ad gloriã ſuam condidit & conſeruat genus humanum. Act. 17. Vt quærerent Deum, ſi fortè palpando eum inuenirẽt: quanquã profectò non longè abeſt ab vnoquoque noſtrûm. Iam verò nemo noſtrûm, niſi ſummo ſuo bono, Deum quęrit & colit: cùm in eius vera cognitione vita & ſalus noſtra æterna poſita ſit. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoſcãt te ſolũ verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Poſtremò, cũ alii aliorum membra ſimus, teſte Apoſtolo, hominis finẽ esse vt ſit κοινωνικὸς, & vt publico bono ſeruiat, & alios quoq; ad veram pietatem, quæ ad omnia vtilis est, tũ inſtitutione, tũ vitæ exemplo hortetur, nõ est dubium. Gal. 6. Alii aliorũ onera portate, & ſic Legẽ Chriſti cõplete. Et quod de ſeipſo Apoſtolus idẽ verè teſtatus est, id nobis omnibus dictum meminerimus. Nam cùm liber ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt plures lucrifaciam, 1. Cor. 9.

34. Partes hominis à ſe inuicẽ diſtinctas, ſcitè Apoſtolus Paulus his verbis complexus est. Ipſe autem Deus pacis, ſanctificet vos totos: & integer veſter Spiritus, & Anima & Corpus inculpatè in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur. 1. Theſſ. 5. Trium meminit, (quæ tamen διχοτομῆν licebit) Spiritus, Animæ & Corporis. Duæ autem ſunt principes partes hominis, Forma & Materia. Forma hominis est Anima intelligens, quam Paulus ſubdiuidit in Spiritũ (hoc loco notabimus, quod idẽ Apoſtolus, Deũ, πατέρα τῶν πνευμάτων vocat. Hebr. 12.) & Animam. Spiritum vocat τὸν Νῦν, Mentem: Exotericis, τὸ ἡγεμονικὸν vocare placuit. Animam appellat inferiores & organicas facultates vegetantem, ſentientem, & alias. Materia est, ipſum corpus humanum, quod conſtat partibus heterogeneis & homogeneis: quarũ ſitus, ſymmetria, motus, ornatus, vſúſque Architecti ſapientiam & bonitatem, mirificè commendat.

35. Animæ facultates & in allegato dicto, & ad Eph. 4. his verbis recẽſet Paulus: Hoc autẽ dico & obteſtor per Dominũ, ne amplius verſemini, ſicut reliquæ Gentes verſantur, in vanitate mentis (τῷ νοὸς) ſuæ. Cogitationem (διάνοιαν) habentes obſcuratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipſis, ex obduratione cordis (τῆς καρδίας) eorum. Mens, hoc

loco, τὸ ἡγεμονικὸν à Philosophis summopere celebratum: διάνοια, phantasiam, vim ratiocinantem & memoriam: Cor, affectus, quorum sedes est, significat. Vt autem formato protoplasti corpore, tanquam domicilio, animam insufflando rerum opifex ei communicauit, vt certò liquet ex historia Mosis: Ita eundem, Spirituum Patrem etiam nunc operantem, quotidie animas creare, ac principem harum facultatem ex traduce non esse, consentaneum esse iudicamus.

36. De corporibus humanis, (quæ si τὰ τῶν ἁγίων σώματα spectes, templa & domicilia Spiritus sancti sunt) & de eorum partibus, scitum est illud Apostoli: Vnum corpus est, membra autem multa habet, & hæc commendat, 1. ἡ χρεία, vsus. 2 ἡ ἀνάγκη, necessitas. 3. ἡ τιμὴ, honor. 4. ἡ εὐσχημοσύνη, decor. 5. ἡ συμπάθεια, mutua cõsentio. 1. Cor. 12. Quomodo autem vnum idémque substantia corpus, in hac animali vita, animale: in Spirituali autem vita quam exspectamus, Spirituale futurum sit qualitatum, non substantiarum ratione, suo loco si vsus erit docebimus.

Disputatio 4. in qua Georgius Iutzinus respondit.

37. Porrò Homo coniunctim consideratus, verè μικρόκοσμος & Mundi vinculum dicitur: quando ex spirituali & corporali natura compositus, cognatione quadam tum spiritibus, tum etiam corporeis substantiis, iungitur: & eius corpus sine Spiritu mortuum est. Iac. 2. Sed hac de re nunc non libet ἀκριβολογεῖν.

38. De Quantitate, etsi in hoc argumenti genere pauca è Scripturis in medium adferri posse videantur: illa tamen quæ ad commendandam Prouidentiam Dei, de hominis cuiusque statura, & de Numero hominum, Deo soli cognito, memoriæ prodita sunt, non est cur hoc loco repetere pudeat. Definitum diuinitùs cuiusque hominis staturæ μέτρον, ex hoc Seruatoris nostri dicto liquet: Quis autem ex vobis solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum vnum? Quasi dicat, Nemo. Mat. 6.

39. Demiurgo autem sapientissimo, in numero, pondere & mensura omnia facienti, capillos capitum numeranti, certò de hominum, qui vixere, viuunt & victuri sunt numero constare, quis non vel ex eo colligat quòd Liber vitæ ab eo conscriptus perhibetur, in quo exstant nomina eorum quos tanquam suos domesticos & Sanctorum conciues agnoscit? Placet illud Paulinum: Solidum fundamentum Dei stat habens sigillum hoc: Nouit Dominus qui sint sui: & Discedat ab iniustitia omnis qui nominat nomen Christi. Cæterùm in magna domo, non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac testacea: & alia quidem ad decus, alia autem ad dedecus. 2. Tim. 2. Nec potest aliquid Deo ignotum esse, cui nihil est absconditum, absens, præteritum aut futurum. Et cùm opus manuum eius sint omnes homines, ánne opifici de vasis suis omnibus exactè non constare, putabimus? Ne ita sit.

40. Qualitates Hominis trifariam, Originis videlicet eius, Corruptionis & Renouationis respectu, considerandæ sunt.

41. De Origine hominis & eius qualitatibus, prolixè agit Moses, Gen. 1. & 2. Summa huc redit, teste Sapiente: Deus fecit hominem rectum Eccles. 7. Creauit itaque Deus hominem ad imaginem suam. Genes. 1. Creauit Deus hominem ad immortalitatem, eúmque ad imaginem propriæ similitudinis fecit. Sap. 2.

42. Etsi

42. Etsi autem Deus qui solus immutabiliter bonus est, hominem mutabiliter bonum condidit, (neque enim Deum, sed hominem: & quidem δωρεὰν, condere ipsi placuit.) Tamen summa fuit omnium in homine virium (ratione creaturæ rationalis, non autem Dei. Stat enim illud: Nunquid homo Deo iustior erit? num factore suo mundior erit vir? Ecce in seruis suis non posuit stabilitatem, nec in Angelis suis posuit lumen. Iob. 4.) ἀταξία, τελείωσις ϗ συμφωνία, ad Dei gloriam.

43. In mente fulsit eximia lux cognitionis, non tantum physiologiæ, cuius specimen edidit Adam quando nomina Animalibus imposuit: & totius Ethicæ doctrinæ, cuius vsus est in societate honesta hominum: sed etiam rerum diuinarum, cultus diuini, qui præcipuè in vera obedientia erga Deum positus est.

Voluntas hominis, virtutum Moralium ornamentis excellens, ad Deum conuersa, in eo solo, tanquam summo bono, acquiescebat. In corde erat ardentissimus & purissimus amor erga Deum, coniunctus cum affectibus Deo gratis fide, timore filiali, &c. Corpus, immortale erat, & licet animali vita tum frueretur, propter procreationis benedictionem & φυσικὰς δυνάμεις: tamen habebat immortalitatis certissima adminicula & præsidia in arboris vitæ fructibus. Genes. 2.

44. Homo itaque ad Dei imaginem conditus, sapientia, iustitia, sanctitate, bonitate &c. referebat conditorem suum, cuius est infinita sapientia, iustitia, sanctitas & bonitas. Et erant hæc ingentia bona in homine, χαρίσματα & imagines θείας φύσεως: & sententia eruditorũ, accidentalis forma hominis: cùm alioquin in Deo, sapientia, iustitia, bonitas & alia, sint ipsa Deiessentia.

45. De hominis corruptione, quam τῇ στερήσει seu priuatione bonarum qualitatum, ϗ τῇ ἀλλοιώσει definire licebit, nemo rectius pronunciauit quàm Paulus Apostolus noster, cuius hæc verba sunt: Per vnum hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum Mors: & ita in omnes homines Mors transiit, in quo omnes peccarunt. Rom. 5. Item, Gentes versantur in vanitate mentis suæ, cogitationem habent obscuratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, ex obduratione cordis eorum. Qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos dediderunt proteruiæ, ad certatim patrandam omnem impuritatem. Ephes. 4.

46. Ex his dictis liquet, primùm à quo auctore Originarium peccatum propagatum sit in totam posteritatem, & quæ sit eius pœna: deinde quid sit: videlicet non ipsa mens, διάνοια & cor: sed στέρησις bonorum quæ in illis esse debebant: mala positiua plurima, quæ Paulus commemorat: ἀταξία omnium virium, & ζυγομαχία erga legem Mentis, cum singulari contumacia coniuncta: postremò, quæ sint eius opera. Hæc autem fusè percensentur, Gal. 5. Manifesta autem sunt carnis opera, &c.

47. Hæc tristissima mala, vt sine scelere extenuari nequeunt (parùi enim fit Christi Iesu meritum, quãdo originarii mali lerna minoris fit, quàm deceat.) Ita cum Natura hominis & eius partibus confundenda non sunt, ne iniuria afficiatur Naturæ Opifex, cuius omnia opera valdè bona sunt. Aliud est homo, aliud peccatum quod illi adiacet: nec peccatum originis, cùm sit priuatio boni, quod in Natura nostra esse debebat, forma substantialis hominis, nisi per περιφρασιν potius, quàm ἀκυρολογίαν tantùm dici potest. Fatemur Naturâ nos filios iræ esse, cùm in peccatis concepti

simus & nati:agnoscimus naturam peccatricem esse: sed tamen inter naturam & eius corruptionem plurimum interesse,cum omnibus verè eruditis, adfirmamus.

48. Renouatio καὶ ἡ παλιγγενεσία hominis in inchoatam & absolutam subdiuidenda est, auctore Paulo, qui de priore ait:Nempe deponere quod ad pristinam conuersationem attinet,veterem illum hominem,qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur:Renouari verò Spiritu mentis vestræ, & induere nouum illum hominem,qui secundùm Deum conditus est, ad iustitiam & sanctimoniam veram. Ephes.4.

49. De intelligentia mentis hoc tenendum,sicut Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicātur:Ita spiritualis diiudicat omnia, & hæc quidem ex parte cognoscit,ex parte prophetat, sic tamen vt sufficiat illa τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσις ad salutem eius. Velle etiam adest renato, licet bonum quod vult non assequatur sic vt illud perficiat. Non facit bonū quod vult: sed malum, quod non vult,agit. Roman. 7. Est autem hoc gratiæ regenerantis argumētum certissimum,velle bonum:nolle malum. Mente itaque seruiens Renatus legi Dei,carne autem legi peccati,condemnationi se non esse obnoxium intelligit. Rom. 7. & 8.

Etsi autē terrenæ domus nostrę tabernaculū dissoluetur,scimus tamē nos ędificiū ex Deo habituros,domiciliū nō manu factū ęternū,in cœlis. 2. Co. 5.

DISPVTATIO 5. HABITA MENSE NOVEMBRIS 1577. In inferiore collegio, in qua respondit Leonhardus Pelicanus Tigurinus.

50. De cōsummata autē renouatione & regeneratione nostra, hæc dicta exstant:Cernimus nunc per Speculum & per ænigma,tūc autem coràm(cernemus:)nunc cognosco ex parte,tunc verò cognoscam prout edoctus fuero. 1. Cor. 13. Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. Dominus Iesus transformabit corpus nostrum humile,vt conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate,qua potest etiam subijeere sibi omnia. Phil. 3.

51. Relationē,triuariā expendere licebit,Ordinis videlicet Ecclesiastici, Politici & Oeconomici respectu: inter quos ὑποταξίας generis humani ordines,hoc interest,quòd postremi duo locū habent in animali tātùm vita:primus, demto Ministerio,perficietur in spirituali & æterna vita: nec vnquam abolebitur.

52. De Ecclesiastico ordine notādū,duplicis eum σχέσεως rationem habere,eius videlicet quæ est inter Creatorem & Creaturas:& eius quæ est inter Docentes in Ecclesia & Discentes. De priore hæc,inter multa alia,testimonia notāda. Reddite Deo,quæ Dei sunt. Matth. 22. Precor igitur vos, fratres,per miserationes Dei,vt sistatis corpora vestra hostiam viuam,sanctam, acceptam Deo,rationalem illum cultum vestrum. Roman. 12. Vos autē genus electum,regale sacerdotium,gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes prædicetis eius qui vocauit vos,è tenebris in admirabilem suam lucē. Qui quondam eratis non populus,nunc estis populus Dei. 1. Petri 2. De posteriore dicitur: Obedite ducibus vestris, & obsecundate. Vigilant enim pro animabus vestris. Heb. 13.

53. De Politico ordine, aduersus Catabaptistarum deliramenta, hæc

dicta obseruentur: Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto: non enim est potestas nisi à Deo: & quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Roman. 13. τὸν βασιλέα πιμᾶτε. 1. Pet. 3.

54. De Oeconomico ordine, qui ferè tripartitus esse solet, Coniugalis, Patrius, Herilis, exstant pręclara testimonia. Eph. 5. & 6. Col. 3. & 4. 1. Pet. 2. 3. Hos ordines, cùm ab auctore Deo profecti sint, magni facere, ac ἀταξίαν cum eis è diametro pugnantem fugere & damnare, pias mentes decet.

55. Iam verò quæ sit propria hominis actio & finis princeps, ex Scripturis non est difficile colligere. Constat enim ideo conditos esse homines & ideo redemtos, vt Deum agnoscant, diligant, reuereantur. Etsi autem piè à Melanchthone actiones hominis, voluntariæ inquam (sunt enim etiam physicæ quædam, de quibus non agemus) in Ecclesiasticas, ad quas Sacrificia & Sacramenta pertinent: in Politicas: & denique in Oeconomicas diuiduntur: Tamen, Dei, nostri & proximorum ratione habita, rectè in internas & externas distinguuntur. Internæ sunt, si Deum respicias, fidei obedientia, λογικὴ λατρεία ἢ εὐσέβεια: si nos ipsos, studium operandi salutem nostram, in timore & tremore: si proximos, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, εὐστοργία, φιλαδελφία & similes pii affectus, qui ad bene merendum de proximis nos hortantur. Externæ sunt, in primo ordine Sabbathi ceremoniarii obseruatio: in secundo, σωματικὴ γυμναστία: in tertio, humanitatis & modestiæ Christianæ officia. Propriæ hominis actiones.

56. Vt autem mortificata carne nostra, & Spiritu nostro viuificato, nosmetipsos abnegantes, σαββατισμὸν celebremus, & Deum in nobis Spiritu suo sancto agentem sentiamus: τὰ θεόπεμπτα πάθηματα, quæ mortificationem carnis & nostri abnegationem maturare solent, ingentibus animis ferre: & in mediis oppressionibus, quæ patientiam efficiunt, gloriari oportet: quando spes non confundit, & iis qui Deum verè diligunt omnia simul adiumento sunt in bonum. πάθήματα

57. Exstant autem testimonia diuina de cuiusque vitæ periodo & de seculi consummatione. Licet enim de momentis eorum à Deo definitis, nobis non constet (magno haud dubiè nostro bono, quando Deus pro infinita sua bonitate καὶ φιλανθρωπίᾳ ea omnia nobis patefacere dignatur, quæ nos scire, nostra interest:) satis tamen est, quòd χρόνους καὶ καιρὸς, id est, tempora & opportunitates, Pater in sua ipsius auctoritate posuit. Actor. 1. De vitæ humanæ terminis, ὡς ὄπὶ τὸ πολὺ, si sensum iudiciúmque hominum spectes, Psaltes, ait: Dies annorum nostrorum quibus (viuimus) 70 anni, & si in fortitudinibus 80 anni: & fortitudo eorum peruersitas & iniquitas. Psal. 90. Item, Scire fac me Iehouah finem meum, & mensuram dierum meorum quæ sit, sciam quàm temporalis sim. Ecce vt palmos posuisti dies meos, & æuum meum tanquam nihil coram te: profecto vniuersa vanitas omnis homo stans. Selah. Psalm. 39. De iudicio autem extremo & de consummatione seculi, Paulus ait: Temporibus ignorantiæ dissimulatis, Deus nunc annunciat omnibus vbique hominibus vt resipiscant, eo quòd statuit diem, quò iustè iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum quem definiit. Act. 17. χρόνος. Vitæ humanæ periodus.

58. Ad exilii autem, in quo è Paradiso electi, aduenæ in corpore, peregrè absumus à Domino, tædium & ærumnas leuandas & mitigandas plurimum conducit, quòd scimus non tantum gentibus, sed etiam priuatis hominibus, definitas tempestiuitates & positos terminos habitationis: sicut Vbi.

dulciſsimè ait Paulus: ἐποίησέ τε θεὸς ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, κατοικεῖν ἐπὶ παντὸς τοῦ προσώπου τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιρούς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν, ζητεῖν τὸν κύριον. Act. 17.

59. Vtinam verò, ſordibus & quiſquiliis huius Mundi neglectis, magno etiam animo ſpretis ταῖς φλυαρίαις καὶ θυμομαχίαις quib. exercemur: cum Chriſto reſurgentes, ſuperna quæramus, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Vtinam ſuperna curemus, non terreſtria. Nam & mortui ſumus, & vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Coloſſ. 3. Ac ſi terrena ſpectemus, veriſſimè, ſapientiſſiméque dictũ eſt: Vanitas vanitatum & omnia vanitas, Eccleſ. 1. Item, παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. 1. Corinth. 7.

60. Et cum habitus etiam noſter noſtri reatus, & diuinæ clemẽtiæ ſymbolicum documentum ſit, vt in tota vita modeſtiam, humilitatem, frugalitatem & alias eximias virtutes probare: ſic veſtitu ἱεροπρεπῆ (citra tamẽ ſuperſtitionem, & alios temerè damnandi κακοήθειαν μωροσόφοις familiarem) nos delectari: imprimis autem Nuptialem veſtem nobis gratulari decet: de qua Apoſtolus: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Gal. 3. Cal. Iulijs 1577. Baſileæ.

Sit nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti benedictum in æternum, Amen.

DE THEOLOGICO STVDIO, THESES

Propheticæ & Apoſtolicæ, Quæ diſputatione publica explicabantur in celeberrimæ Baſilienſis Academiæ Theologica Schola. 30. Ian. 1578. Reſpondente Bartholemæo Genathio Telamontio.

1 Quid ſit.

THEOLOGIA, quæ eſt Paulo Apoſtolo teſte, ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων καὶ καλὴ παραθήκη, id eſt, Exemplar ſanorum ſermonum, & præclarum depoſitum, quod per Spiritum ſanctum ſeruare oportet: verſatur circa ſapientiam Dei latentem in myſterio, id eſt, occultam illam, quam præfinierat Deus ante ſecula in gloriam noſtram. 2. Timoth. 1. 1. Corinth. 2.

2 Qui ad eã diſcendã idonei.

2. Eius nemo hominum (πρὸ τῆς παλιγγενεσίας καὶ τοῦ φωτισμοῦ hoc eſt, ante regenerationem & illuminationem) ſolidam cognitionem ſibi polliceri poteſt: ſecundùm illud Apoſtoli: Animalis autem homo (hunc opponit renato, & per Spiritum ſanctum illuminato) non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei. Sunt enim ei ſtulticia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur. At Spiritualis dijudicat quidem omnia: ipſe verò à nemine dijudicatur. Quis enim nouit mentem Domini, qui inſtructurus ſit eum? nos autem.

tem mentem Christi habemus. 1. Cor. 2.

3 Preces.

3. Cùm autem sit sapientia, à fonte & auctore Deo, precibus ex fide petenda est. Iuxta illud: Quod si cui vestrum deest Sapientia, postulet à Deo, qui dat eam omnib. benignè, nec exprobrat: & dabitur ei. Sed postulet cum fide, nihil disceptans. Iac. 1. Dulcissimè verò inuitat nos ad se Deus, Metaphora suauissima adhibita: Omnes, inquiens, sitientes venite ad aquas: etiam vos quibus non est argentum, venite, emite & comedite: venite inquã, emite absque argento, & absque vllo pretio vinum & lac. Isa. 55. Eodem capite ἐνέργειαν verbi sui commendans Iehouah Deus noster, Verbum, ait, meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed facit quod volo, & prosperatur in his ad quæ misi ipsum. Magno autem studio, Sapientiam nobis quærendam, & fide à Deo impetrandã, Sapiens scitè piéque monet, Pro. 2. Si quæsieris Sapientiam tanquam argẽtum, & sicut thesauros scrutatus fueris eam: Tunc intelliges timorẽ Iehouę, & cognitionẽ Dei inuenies. Quia Iehouah dat Sapiẽtiã, ex ore eius (egreditur) cognitio & intelligentia.

4 Ἀποκάλυψις opus esse.

4. Cúmque eadem sit in mysterio abscondita, opus nohis est Reuelatione diuina, quam Apostolus ἀποκάλυψιν vocat. Hæc autem duûm generũ est, ἄμεσος alia, alia autem mediata & ordinaria. Vtriusque meminit Paulus Gal. 1. Euangelium dicens, à me prædicatum, non est secundùm hominem. Neque enim ego ab homine illud accepi, neque edoctus sum: sed reuelante mihi (δι' ἀποκαλύψεως.) Iesu Christo.

5 Electi veri Theologi.

3. Ideo de Electis omnibus dicitur: ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ θεοῦ. Ioan. 6. Est scriptum in Prophetis: Et erũt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Isa. 54. Ier. 32. Licet fatendum sit maximam sanctorum partem mediatè per Ministerium verbi erudiri, & discere mysterium Regni cœlorum.

6. Quoniã verò instituti nostri ratio postulat, vt demonstremus quæ sint Studii Theologici adminicula, in eorũ qui ad Dei gloriã & Ecclesiæ instaurationem, toti in eo sunt vt fiant Scribæ edocti in regno cœlorũ, similes patri familiàs, qui profert è thesauro suo vetera & noua, Marth. 13. Primùm quo modo eos affectos esse: deinde, quid eosdem agere oporteat, indicabimus.

1 Quomodo Theologũ affectũ esse oporteat.

1 Timor Dei.

7. Hoc primo & præcipuè requiritur in S. Theologiæ Cãdidato, vt Dominum Deum suum ex toto corde suo reuereatur. Est enim timor Iehouæ initium sapientiæ. Pro. 1. & 9. Scitum est illud Sapientis: In animam malitiosam non introibit Sapiẽtia, nec in corpore peccatis obnoxio habitabit. Nam Spiritus disciplinæ sanctus fugit quod fictum est, atque à stultis cogitationibus recedit, túmque cognoscitur cùm iniquitas aduenit. Spiritus enim sapientiæ benignus est, &c. Sap. 1.

2 Aestimatio oraculorum Dei.

8. Deinde, tanti faciat diuinorum mysteriorũ cognitionem, vt non dubitet eam anteferre omnibus mundi huius opibus & thesauris. Ita fuisse cõparatum Dauidem, ex hisce eius verbis liquet: Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Melior est mihi Lex oris tui, quàm millia (talenta) auri & argenti. Dilexi præcepta tua magis quàm aurum & obrizum. Psal. 119.

3. Certitudo.

9. Tertiò, ne Academicis tentationibus locum det, ínque dubium vocari patiatur Oracula Dei. Memor sit dicti Seruatoris nostri: Cœlum & Terra præteribunt: sermones autem mei nequaquam præteribunt. Mat. 24. Nec potest Deus, qui est ἀληθὴς, maiore contumelia affici, quàm si eius Verbum, fingatur esse instar Sibyllæ foliorum, ambiguum & dubium: nec homines verè studiosi, ad eam doctrinam cognoscendam multum operæ & studii sibi impendendum iudicant, quam tanquam incertam & ambiguam, suspectam habent.

4. Scopus.

10. Quartò, non quæstus, non loci alicuius splendidi obtinendi, non aucupandæ magnatum gratiæ ergò: sed studio sanctum Dei nomen celebrandi, & Ecclesiam ædificandi: suæque saluti consulendi caussa, ii qui ad Theologiam addiscendam nati sunt, filios Prophetarum sese profiteri, & pari studio ad vitæ innocentiam, & rerum diuinarum peritiam contendere debent.

5. Virtutes Theologi

11. Quintò, meminisse debet Philotheologus, inter cæteras eximias veri Theologi virtutes, esse φιλαδελφίαν ἢ τὴν παπεινοφροσύνην. Itaque ne quid per contentionem & inanem ostentationem faciat, ne διχοστασίαν ἢ θυμομαχίαν, pestes Ecclesiæ modis omnibus exitiales, probet, iuuétque. Meminerit Christum non esse diuisum: non esse factiones fouendas in cuiusquam gratiam. Ne det locum Tyrannidi alienæ, aut τὴν ἀρχοπολιτείαν. Magni faciat etiam alios, etiamsi se inferiores, aut paucioribus donis ornatos, seu verè, seu per errorem sibi persuadeat.

6. Ne sit Gnosticus

12. Sextò, ne sit Gnosticus, seu admirandæ cuiusdam sapientiæ & doctrinæ suæ opinione fascinatus & inflatus. Verè enim Paulus Apostolus, dixit: Scientia inflat: charitas autem ædificat. Quod si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quicquid nouit sicut oportet nosse. Sed si quis diligit Deum, hic edoctus est ab eo. 1. Cor. 8. Est enim & ψευδώνυμος γνῶσις. 1. Tim. 6. Est & ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, Tit. 1. Illam deuitet, hanc sectetur filius Prophetarum, memor apostolici dicti: Ad hoc ipsum verò omni studio collato, adiicite fidei vestræ virtutem, virtuti verò scientiam, scientiæ verò temperantiam, temperantiæ verò tolerantiam, tolerantiæ verò pietatem: pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso charitatem. Hæc enim si vobis adsunt & exuberant, non inertes, nec infructuosos vos efficiunt ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem. 2. Pet. 1. Hoc vt omnibus fidelibus sic præcipuè iis, qui & exemplar bonorum operum aliis esse debent dictum meminerimus.

Scientiæ διαίρεσις.

7. Pacis studium.

13. Septimò, Quum pacis nuncium se esse profiteatur, ne vnquam animo suo excidere patiatur illud Pauli Apostoli: Seruum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos. Cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti: si quando, det eis Deus, vt resipiscentes agnoscant veritatem. 2. Tim. 2. Itaque à se modestè citra fundamenti salutis & fidei nostræ periculũ, dissentiẽtes ferre discat: nõ sæuis dictis exagitet, nõ magis alienos sua morositate faciat. Semper illud Apostoli alta mente repostum teneat: Quotquot igitur perfecti sumus, hoc sentiamus: quòd si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis patefaciet: πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Philip. 3.

8. Constãtia & Tolerantia.

14. Postremò, vt multa omittamus, ea sit animi magnitudine & moderatione, vt nec ingratitudine mundi offensus, manum aratro professionis Theologicæ admotam, retrahat: nec perpetuum applausum gratiámque hominum

minum sibi polliceatur : nec dubitet sua ignominia redimere sanctificationem diuini nominis: nec recuset precibus, lachrymis, iniuriarum tolerantia, pacem cum veritatatis ingenua confessione coniunctam redimere : vt τὰ πρωτεῖα aliis cedere, omnibus in bonum seruire, paratus sit : vt denique non recuset, Christi causa, infirmos assumere, docilem se præbere, omnibus omnia fieri, debitorem omnium se constituere &c. Vt τὰς ῥιθυρισὰς, καταλάλους, ὑπερηφάνους, contemnere, cum suis offuciis, assuescat & norit.

Quid Studiosos Theologię facere oporteat. 1. Preces.

15. Iam quid, eosdem studiosè & constanter, facere oporteat, vt per Dei gratiam diuinarum rerum præclaram cognitionem, cõsequantur, videamus.

16. Precibus assiduis Deum rogandum, vt ipse nos doceat, & Spiritu suo sancto in omnem veritatem nos ducat, exemplo Dauidis monemur. Doce me Iehouah viam statutorum tuorum, & custodiam eam vsque in finem. Da mihi intelligentiam, & custodiam Legem tuam, & custodiam eam toto corde. Deduc me per semitam mandatorum tuorum, quia in ea est beneplacitum meum. Psal. 119. Et Christus Dominus aperuisse dicitur mentem Apostolorum, vt intelligerent Scripturas. Luc. 24.

2. Auscultatio.

17. Et cùm nos alloquatur Deus, mediatè, per fideles mysteriorum suorum dispensatores (qui si quando docent, memores esse debent dicti Petri Apostoli: Si quis loquitur, loquatur vt eloquia Dei : ὡς λόγια θεοῦ. 1. Pet. 4. Non autem στομφισμῴοις μυθοις, aures quorundam auditorum prurientes mulcere debent. 2. Pet. 1. 2. Tim. 4.) hi quoque diligenter & assiduè & cum iudicio audiendi sunt. Nam & fides (est hæc ὑπόμνησις τῆς ἀληθείας. 1. Tim. 2.) ex auditu est. Rom. 10. & Spiritus nobis subministratur, & efficiuntur in nobis virtutes, non ex operibus Legis, sed ex auditu fidei. Gal. 3. Ad fructuosam autem auscultationem, requiritur διακρισία & diiudicatio Spirituum. Etenim, non nisi fidei analoga audientes amplecti & probare debent. Iuxta hæc dicta. Prophetæ autem duo aut treis loquantur, cæteri autem diiudicent. 1. Cor. 14. Prophetias ne aspernemini. Omnia probate, quod bonum fuerit tenete. 1. Thess. 5.

Prælectiones Theologicæ.

18. Idem autem iudicium est & de Prælectionibus Theologicis, quas non minus quàm sacras Demegorias, fidei analogas, Methodicas, in loco adductis selectioribus Scripturæ diuinæ testimoniis & exemplis, authenticas & illustres : alienas ab omni profano fuco & apparatu : ad vsum Practicum vitæ Christianæ accommodatas esse oportet.

3. Lectio.

19. Accedat autem attenta & frequens Lectio, cum qua coniungenda est meditatio, καὶ ἐρεύνησις nobilissimi margariti, hoc est, Euangelii de Christo Iesu: secundum illud Pauli: Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Ne negligito donum quod in te est, quod datum est tibi ad prophetandum cum impositione manuum presbyterii. 1. Timoth. 4. Et Paulus cum fructu Epistolas suas à fidelibus legi posse, affirmat, Eph. 3. Deus per reuelationem notum mihi fecit mysterium illud (sicut ante scripsi paucis: ex quo perlecto potestis intelligere quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi) quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum &c.

Lectionis autem fines & vsum Apostolus indicat his verbis : Tota Scriptura diuinitùs inspirata & vtilis ad doctrinam (veri) ad redargutionem (falsi) ad correctionem (vitæ) ad institutionem quæ est in iustitia (ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήθδην πᾶσ' ἀρετή' στιν.) Vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum

perfectè instruct'. 2. Ti. 3. Itē, quæ antè scripta sūt, ad nostrā doctrinā scripta sunt: vt per patientiā & consolationē Scripturarū spem habeamus. Rom. 15. Vt autē hosce fines assequamur, nec ab eis aberremus, principalis scopus sem per ob oculos sit oportet, de quo dicitur Ioan. 20. Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.

4. Progymnasmata.

20. Exercitium autem Theologicum tum παθητικὸν, tum ἐνεργητικὸν mirificè conducit ad rectè intelligendam veritatis doctrinam. De hoc ait Paulus Apostolus noster: Per omnia teipsum præbens exemplar bonorum operum, in doctrina integritatem & grauitatem: ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα. Tit. 2. Item, Iuueniles autem cupiditates fuge: sectare autem iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui inuocant Dominum ex puro corde. 2. Tim. 2. De illo autem dicitur: Bonum est mihi quòd afflictus fuerim: vt discam statuta tua. Psalm. 119. Vexatio dat intellectum. Quæ nocent, docent. τὰ παθήματα, μαθήματα. Et 2. Tim. 2. Σὺ οὖν κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης τῦ χρισῦ.

5. Professio.

21. Cæterùm, secundùm illud Psaltis: Credidi, propter quod & loquutus sum: ego autem humiliatus sum valde: quæ cuique aperuit Dominus, aliorum quoque vsibus & institutioni seruire debent. Corde enim ad iustitiam credimus, ore autem profitemur ad salutem: ídque non tum solummodò, quando hostes fidei nostræ, eius quæ in nobis est spei rationem à nobis exigunt: verùm etiam, quando alii tum vitæ exemplo, tum institutione sancta, erudiendi sunt. Stude, ait Paulus, teipsum probatum sistere Deo, operarium qui non erubescat, & qui rectè sermonem veritatis secet. 2. Tim. 2.

6. Disputationes.

22. Si Disputationes, verè Theologicæ, hoc est, de iis rebus quarum cognitio vtilis, necessaria, & ad pietatem docendam accommodata est, adiungantur, & in ijs summa habeatur gloriæ Dei & veritatis ratio, mirificè suscitabitur douum Dei in philotheologo iuuene, & crescet discendi cupiditas cum eruditione, formabitúrque iudicium de multis magnis, scitúque dignissimis rebus. Stultæ autem & ineruditæ quæstiones, quæ pugnas pariunt, reiiciendæ erunt. 2. Tim. 2. Memoria etiam tenendum illud eiusdem Apostoli: Si quis diuersam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ, is turget, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones & verborum pugnas (περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας) ex quibus nascuntur inuidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ, παραδιατριβαὶ, id est, peruersæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui priuati sunt veritate, & quæstui habent pietatem: secede ab his qui eiusmodi sunt. 1. Tim. 6.

7. Sermo Theologicus.

23. Vt autem Rerum, sic Sermonis Theologici accurata ratio habenda est. Primùm enim, de rebus diuinis, optimi dicendi magistri, Spiritus videlicet sancti, sermone à Prophetis & Apostolis, velut illius amanuensibus, præscripto, vtē dū. Præstat sanè de fidei doctrina cum Paulo loqui, quàm Lōgolii exēplo, cū Cicerone: licet huius eloquētia, verba de rebus huius mūdi facturo, exoptāda sit, sētēcia Lactātij. Deinde κενοφωνία parit ἑτεροδιδασκαλίαν, quę sanę & orthodoxę Theologiæ studiosis, sūmo studio vitāda est. Rectè Apostolus noster: Cęterùm, ait, profanas vocum inanitates prętermittito: ad maiorem enim proficient impietatem, & sermo illorum vt gangræna pastionem habebit. 2. Tim. 2.

DISPV-

DISPVTATIO 2. IN QVA RESPONDIT SEBASTIANVS Kypferlingus Bernauiensis 20. Martij 1578. in Aula Theologorum.

24. De Theologorum, tum veterum, tum Neotericorum auctoritate & Scriptis, quibus secundas tribuimus (primas enim partes S. Bibliis deberi, extra omnem controuersiam est.) Augustini sententiam, veritatem amantibus probatam, recitabimus, vbi prius Christi Iesu præceptum proposuerimus: Ne vocemini doctores: vnus enim vester est doctor, nempe Christus. Matt. 23. Itaque Paulus neminẽ de suo, aut Cephæ, aut Apollo nomine gloriari voluit: additis grauissimis rationibus quòd Christus diuisus nõ sit; quòd nemo Apostolorum pro fidelibus esset crucifixus: quòd nemo in Apostoli nomen baptizatus esset. 1. Cor. 1. Ergo, vt sacrilega audacia foret, de suo nomine alios denominari velle: cùm omnes nos Christianos & esse & dici oporteat: sic maximè illiberalis, planè verò Monachalis superstitionis, de hominis adamati nomine sibi placere, vel etiam hoc, Christiano, tanquã vulgari, adiungere. Libros quod attinet (eos semper excipio, qui Satyras potius, & conuitiorum plaustra, & diras imprecationes & anathematismos, quàm formam sanorum sermonum, complectuntur: & hac tempestate vespertilionum & aliarum infaustarũ auium more, cum obscœno & ominoso stridore prouolitantes, turbas dant, classicum canunt in διχοστασίαις) exegeticos, didacticos, polemicos & alios vtilem doctrinam cõtinẽtes, eos verò diligẽter nobis legendos, & ad Scripturam διάπυρσον tanquam Lydium lapidẽ examinandos, iudicamus, secundum hoc præclarũ B. Augustini dictũ: Alios ita lege, vt quantalibet sanctitate & doctrina prępolleant, non ideo verum putẽ, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Epist. 19. Idem. Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonicę auctoritatis, veteris & Noui Testamenti. Sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur: etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longè tamen est impar auctoritas. Tamen liberum ibi habet Lector, auditorúe iudicium, quo vel approbet, quod placuerit, vel improbet, quod offenderit. Contra Faustum lib. 11. cap. 5.

8. Theologorũ Scripta.

25. Cauendum autem est ne τὸ παράεργον ἔργον fiat, hoc est, ne tantum temporis, studiique in Patribus insumamus, vt in S. Bibliis præcipuam adhibere diligentiam, non vacet. Præstat enim Sapientiæ diuinæ gustum, ex ipso fonte sacrarum Literarum, Berhœensium illorum exemplo, petere, quàm ex riuulis, aut etiam lacunis. Et cum admodum angustis finibus ingenium cuiusque nostrum circumscribatur, vitáque nostra breuis sit, nec facilè sit Patrũ διαφωνίας omnes, omneis salebras cõciliare & ἐπεικῶς interpretari: ne nobis, & iis quos nobis erudiendos dedit Dominus, vspiã desimus, instituenda erunt studia Theologica, secundũ Canonem Apostolicum: Habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui attendentes rectè facitis, velut lucernę lucenti in obscuro loco vsque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Si illũd primum noueritis, nullam prophetiã Scripturæ esse propriæ explicationis. 2. Pet. 1.

26 Coronidis vice addam, esse non tantum (vt quidam loquuntur) doctæ ignorantiæ, sed etiam obedientiæ fidei, cognitione ex parte contentum, quædam diuinitùs non reuelata, libenter nescire, & circa Sapientiæ Dei abyssum μὴ πολυπραγμονεῖν. Notũ est illud Apostoli: Ex parte cognoscimus, &

ex parte prophetamus. Aſt vbi venerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur. Quum eſſem puer, vt puer loquebar, vt puer ſentiebam, vt puer cogitabam: & vbi factus ſum vir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc verò cognoſcam quemadmodum edoctus fuero. 1. Corint. 13. Non tamen eſt, cur ad hanc ſententiam, tanquam ad ſocordiæ & imperitiæ ſuæ πρησφύγετον & prætextum, homines ignaui & indocti confugientes, diſtitent: Bene habet, non igitur attingemus ſuperiora illa cœleſtis doctrinæ capita, Prouidentiam, Prædeſtinationem, Sanctorum perſeuerantiam &c. Aliud enim eſt audaciam humani ingenii, retundere: ne maieſtatis diuinæ curioſus ſcrutator opprimatur à gloria: Aliud inertiam & ingratitudinem hominum, pia & diligente lectione & meditatione Oraculorum Prophetarum & Apoſtolicorum, non ſtudentium ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τῦ θεῦ, ſed talentum quod à Domino acceperunt, defodientium, plauſibili modeſtiæ & animi à curioſitate alieni prætextu, fouere & excuſare. Vult Deus, nos, eò vſque in ſcrutandis Scripturæ ſacræ myſteriis progredi, quò ipſe nos manu ducit, per Spiritum fidei. Nobis etiam, qui regali ſacerdotio fungimur, dictum ſciamus: Gloria Dei eſt celare verbum: & gloria Regum ſcrutari verbum. Prou. 25. Non tamen in ea inueſtigatione, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, hoc eſt, vltra ſepta tranſilire licet, quando nos decet, vt dulciſſimis loquendi formulis vtar: τὰ τῦ θεῦ φρονεῖν. Mat. 16. μὴ ὑπὲρ φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. Rom. 12. μὴ ὑπὲρ ὁ γέγραπται φρονεῖν. 1. Cor. 4. τὸ ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ, ἐν κυρίῳ φρονεῖν Phil. 2. & 4.

27. Vtinam verò vt in Theologiæ ſtudio, ſic etiam in tota vita nobis omnibus cordi ſit illud ſanctiſſimum & ſaluberrimum Apoſtoli Pauli, imò Domini Dei noſtri, mandatum: Quod reliquum eſt, fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque accommoda, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate: quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiiſtis & vidiſtis in me: hæc facite, & Deus pacis erit vobiſcum. Phil. 4.

28. Legent autem Studioſi cum fructu magno ea, quæ de Studio ſacræ Theologię Eraſmus, Chytræus, Hyperius, & multi alii eximii viri memoriæ prodiderunt. Mihi enim propoſitum fuit, διὰ βραχέων ea tantùm delibare, inque medium adferre, quæ tum alibi in S. Bibliis, tum præcipuè in Epiſtolis Pauli occurrunt: & quorum maximus eſt vſus.

29. Velim autem docentes in Scholis noſtris & diſcentes prudenter obſeruare quibus ſucceſſerimus & in quæ tempora inciderimus. Vixerunt partim Patrum, partim noſtra ætate, & regni Chriſti negocium ſumma fide egerunt, pietate, doctrina, facundia, zelo pro gloria Chriſti, linguarum peritia, celeberrimi viri, & eorum ξυμπαραδόται, qui præclarum cœleſtis doctrinæ depoſitum, quaſi lampada in curſu poſteris tradiderunt. Meminiſſe itaque decet horum διαδόχως, non ſatis eſſe tenere loca ſummorum virorum, ſed etiam virtute ſumma τὴν διακονίαν δοξάζειν quemque oportere, & ſuã cuique ſtationem defendendã, aduerſus eos imprimis, qui ſeu ſcientes, ſeu inſcii veritati Euangelicę cõtradicunt: quorũ res ad Triarios, eos qui de Societate Ieſu eſſe gloriãtur, rediere. Etſi autẽ hi nunquã malã ſuam cauſam tã bellè acturi ſunt, vt offuciis ſuis præordinatis ad æternã vitã fucũ faciant: his enim vnctio Spiritus nunquã deerit, quæ ne in pernicioſos errores Pontificiorũ relabantur, præſtabit: Tamẽ, cùm nõ pauci in eo ſodalitio ingeniis, philoſophię cognitione,

gnitione, facundia, multa lectione, cognitione linguarum excellant, & multum negotii facessere queant, minus à diuinarum rerum coguitione instructis: vt optandum est, ne ornamentis illi suis & facultate dicendi, aduersus Christum, sed pro Christo potius & eius Euangelio vtantur: sic danda opera, ne eorum, quibus tectum est Euangelium & qui veritatem non diligunt, artibus, chrestologiis & pithanologiis nostri circũuecti in errores seducãtur.

30 Dominus noster, & magnus ille Ouium per sanguinem testamenti æterni Pastor, Iesus Christus, sedens à dextris virtutis, det dona Ecclesiæ, & extrudat operarios bonos in Messem suã copiosam: colligere pergat in hac effœta & languida Mundi senecta Ecclesiam, eámque protegat & gubernet: dissipet consilia mala & reprimat arma eorum, qui διομαχίαν exercent: confundat σοφισομανίαν omnem cum Logodædalis: flectat amicos Principum & Magistratuum vt sint nutritij Ecclesiæ. Ipsi gloria in æternum, Amen. Basileæ. 3. Iulij. 1577.

Dauid.

Iustus vt Palma florebit.

CHARACTER CHRISTIANORVM.

SEV,

DE FIDEI, SPEI ET CHARITATIS DOCTRINA, Theses, è S. Biblijs depromtæ: de quibus in gratiam sacræ Theologiæ Candidatorum, in Disputationibus ordinarijs, Mensibus æstiuis Anni 1578. actũ est, præside IOANNE IACOBO GRYNÆO, sacræ Theologiæ Professore in inclyta Academia Basiliensi.

Psal. 55.

Proiice super Iehouam pondus tuum, & ipse sustentabit te: nec dabit in seculum nutationem iusto.

ORNATISSIMO IVVENI, D. CHRISTOPHORO ANDREÆ, Magnifici, Sapientissimíque Viri, CHRISTOPHORI FABII IVLII, I.C. Clariss. &c. F. amico suo,

S. D. P.

ETSI fatendum est, Ornatissime D. Iuli, verè dictum, Nimium altercando amittitur veritas: Theologicis tamen Disputationibus sacrarum literarum Candidatis, opus est, tum quia sæpissimè δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν, vt ille dixit: tum quia pia & erudita Disputatio, Pico teste, verè cribrum est veritatis, quam Philosophia quærit, Theologia inuenit, Religio possidet.

Quum enim duplex sit docendi ratio: Altera Demonstratiua, qua vera, hoc est Spiritus sancti oraculis consentanea, docemus & probamus: Altera ἐλεγκτικὴ, quæ tota in refutandis falsis & absurdis occupatur: non est cur alteram tantùm sequamur & excolamus, negligamus alteram. Vtriusque sanè modi pulcherrima exempla

tum passim in Scripturis, tum grauissimis de rebus in 22. cap. Matthæi, occurrunt. In Disputatione de Censu dando Cæsari, docet Saluator noster, libertatis spiritualis priuilegio, non tolli seruitutem ciuilem, confutata Pseudoiudæorum aduersus Romanos rebellium, opinione. In sequente Disputatione, de Carnis Resurrectione, primùm ἐλέγχῳ Paralogismum Sadducæorum, eam impiè negantium, confutat: & ignorantiam eorum redarguit: postea, τῇ ἀποδείξει, probat, cùm Deus viuorum Deus sit, non esse cur de carnis resuscitatione dubitemus. In Disputatione de Messia Domino & Filio Dauidis, annon ostendit eum verum Deum & verum hominem esse, & confutat Iudaici populi, fingentis Messiam hominem solùm fore, errorem? Lucæ 18. capite ἐλεγκτικὴ Disputatio est, in qua diuitis Adolescētis de Iustificatione operum, opinio, solidè confutatur. Plura exempla adducerem, si viros intelligentes, & amantes veritats & pacis suffragatores me habere, dubitarem. In sacris tamen Colloquijs, quæ ad inquirendam & illustrandam veritatem, & ad confutanda falsa dogmata instituuntur, Canones Apostolicos accuratè obseruandos arbitror.

1. De rebus veris & vtilibus disputandum. Iuxta illud Pauli Apostoli: Stultas & ineruditas quæstiones reyce, sciens eas párere pugnas. 2. Timoth. 2.

2, Si aduersarii sint hostes veritatis, tum ora eis graui confutatione sunt obstruenda. Secundum illud: Sunt multi refractarij, ματαιόλογοι, & mentium deceptores: maximè ij qui sunt ex Circumcisione, quibus oportet os obturare. Tit. 1.

3. Si verò negocium sit cum ijs, qui errore quidem fascinati sunt, veritatis tamen cognoscendæ studio afficiuntur, cum lenitate erudiendi erunt: ecquando det eis Deus vt resipiscentes agnoscant veritatem 2. Timot. 2.

4. De finibus sacrarum Disputationum idem Apostolus pronunciat: Timothee, dicens, depositum serua, & auersare profanos de rebus inanibus sermones, & oppositiones falso nominatæ scientiæ.

Etsi autem certum est, diiudicationem Spirituum, seu censuram veri & falsi esse donum Dei: tamen, cùm is velit, nos donum, quod ab eo accepimus, ἀναζωπυρεῖν, visum est materiam piarum colloquutionum, non iis qui

Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ij sciunt:

sed studiosis Adolescentibus subministrare, & eadem opera officio meo satisfacere. Existimo enim me, exemplo Clarissimorum doctrina & pietate virorum, qui ante me in hac nostra schola Theologica docuerunt, & quorum aliqui magna cum laude & fide adhuc docent, non tantùm Veteris Fœderis Libros pro gratia mihi data, interpretando, sed etiam de rebus necessariis placidas συμφιλολογίας & colloquia instituendo, sapientissimi nostri Senatus voluntati, Academiæ huius legibus, & Candidatorum Theologiæ desiderio, aliqua ex parte satisfacturum. Deum æternum oro, vt & meos & aliorum conatus & studia, benedictione sua prosperare dignetur, vt noster labor ipsius gloriæ, & multorum institutioni seruiat.

Tuo autem nomini, amicissime D. Compater, Theses hasce Theologicas inscribere visum est, tum quia te ijs animi & corporis dotibus ornatum video, vt & præclara omnia de te mihi pollicear, & ad religiosæ τῆς φιλοφροσύνης officium mihi meisque præstandum nuper te delegerim: tum etiam quia in Academia nostra publicè priuatimque cum laude συμφιλολογεῖν cœpisti, ac te vtilissimo eruditè disputandi exercitio, mirificè delectari, testatus es. Ego sanè vt non tantùm parentibus & propinquis tuis, generis splendore, sapientia & meritis præstantibus, sed etiam Patriæ tuæ, dona quæ à propitia Dei prouidentia accepisti, ex animo gratulor: ita toto pectore eundē precor, vt studijs tuis benedicere, & te, tuósq; propinquos clemēter gubernare & tueri, pergat.

gat. Tu iam in Domino bene vale, & ſemper meditare illud Antiſthenis: τὸν αὐτὸν λόγον ἔχεις τὸν καὶ ἐναρέτους. *Baſileæ. Calendis Iunij.* 1578.

Ioannes Iacobus Grynæus.

CHARACTER CHRISTIANORVM:

HOC EST,

FIDEI, SPEI ET CHARITATIS DOCTRINA, è Scripturis diuinis depromta, Theſibus comprehenſa, & ad diſputandum propoſita in inclyta Academia Baſilienſi. Anno Domini 1578.

DISPUTATIONIS PRIMÆ THESES.

I.

APOSTOLVS Paulus, gentium doctor fideliſſimus, totius Chriſtianiſmi characteres ſeu notas minimè fallentes, ac pietatis quam profitemur ſummam, complexus eſt ὡς ἐν τύπῳ in hiſce dictis: Gratias agimus Deo ſemper de vobis, mentionem facientes veſtri in precibus noſtris: indeſinenter memoria repetentes efficacem veſtram fidem, & laborioſam charitatem, & tolerantem illam ſpem, in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſitam, coram Deo & Patre noſtro: vt qui ſciamus, fratres dilecti, à Deo eſſe vos electos. Item: Nunc verò manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maxima autem harum Charitas. Et Filius Dei: Ex hoc, inquit, cognoſcent omnes, quòd Diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis alii in alios. 1. Theſſ. 1. 1. Cor. 13. Ioan. 13.

II.

Qui hæc dona & decora à Deo Patre luminum (à quo omne donum perfectum & bonum proficiſcitur, eóque ex fide petendum eſt) acceperunt, vt Deo primùm quæ Dei ſunt, ac deinde ſibiipſis & proximis debitum amorem & officia, præſtare: ſic abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, piè, iuſtè viuere ſtudent, etiam in præſenti ſeculo. Iac. 1. Matth. 22. Tit. 2.

III.

Tria autem ſunt, de quibus ordine agemus. 1. Quænam hæ treis virtutes Theologicæ habeant communia. 2. Quid vnaquæque habeat proprium & peculiare. 3. Cùm etiam Pontificii glorientur ſe profiteri Symbolum Apoſtolicum, quid inter illorum & noſtram de Fidei doctrina profeſſionem interſit.

IIII.

Si heroicarum illarum virtutum ἄπορ κύειον ſpectes, vnicus illarum auctor eſt Deus Pater, qui propter Filiũ (qui eſt Deus in carne patefactus) virtute & vnctione ſancti Spiritus, de gratia ſua & iuſtificatione vitæ, de redẽtione noſtri ab omni malo, déque amore mutuo, nos erudiẽs: fidẽ, ſpẽ & charitatẽ in Efficiens princeps.

Rom.11. nobis efficit, fouet, auget, conſeruat: ſecundum ἀμεταμέλητον ſuum propoſitũ, & quidem ad gloriam ſuam, & inſtaurationem noſtri.

V.

τὸ ὑπόκειμενον. Si autem reſpicias Subiectum: fiduciam de gratia Dei, hoc eſt, de eius erga nos beneuolentia: ſpem de mitigatione ærumnarũ, & futura liberatione ab omni malo: non ſimulatã dilectionẽ Dei & proximi, in puro renati hominis

Rom.10. Matt.22. Rom.8. corde ſedẽ habere animaduertes. Faciũt huc illuſtria dicta: Corde creditur ad iuſticiã. Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde: & proximũ vt temetipſum. Si verò quod nõ videmus ſperamus, nẽpe per patientiã exſpectamus.

VI.

Eſt autem mira quædam & dulciſſima, Virtutũ iſtarum, fidei inquam, ſpei

Hebr.11. & charitatis συμφωνία, ſeu conſenſio & veluti conſpiratio religioſa. Etenim fides ὑπόστασις, ſubſtãtia eſt rerũ ſperandarum, & ἔλεγχος hoc eſt, euidẽs & animum conuincens argumentum, eorum quæ non videtur. Charitas autem o-

1.Cor.13. Matt.10. mnia credit, omnia ſperat (ſic tamẽ vt cautioni ſanctæ: Eſtote prudẽtes, ſicut

1.Pet.3. Iac.2. ſerpentes: locum ſuum relinquat) omnia ſuſtinet. Spes denique, fidẽ, etiam in medijs tentationũ paroxyſmis, fouens & recreans, ſæpè pro illa ſumitur. Fides etiã ſine charitate, mortua eſt & ὁμωνύμως dicta fides: non viua & iuſtifi-

Gal.5. cans, quæ per Charitatem operatur.

VII.

Rectè igitur eas retuleris inter principes Chriſtianiſmi notas. Iuxta hæc

Rom.11. 1.Ioan.4. dicta: Tu per fidẽ ſtas. Deus charitas eſt: qui manet in charitate, in Deo ma-

2.Theſſ.1. net. Gratias agere debem⁹ Deo ſemper de vobis, fratres dilecti, vt dignũ eſt, quòd vehementer augeſcat fides veſtra, & abũdet mutua vniuſcuiuſq; omniũ

Ad Phil. ver.4.&5. veſtrũm charitas. Gratias ago Deo meo, ſemper mentionẽ tui faciẽs in precibus meis, quòd audiam tuam charitatem, & fidem quam habes erga Dominum Ieſum & erga omnes Sanctos.

VIII.

Porrò, cum dicit Apoſtolus, ea manere, ſubſtãtialia eſſe hæc dona, & ab iis

1.Cor.13. diſtincta, quæ nec omniũ ſunt tẽporũ, nec omnibus fidelibus neceſſaria, (vt linguarum donum, διαμαλτυρία & alia) perſpicuè oſtendit.

IX.

Nullum tamẽ iſtorum donorum, nos καθ' ἀυτὸ iuſtificare, certiſſimum eſt. Neq; enim Charitas, quia maior eſt, ideo iuſtificat: cùm ne quidem fides, niſi quatenus Chriſtum Ieſum Mediatorem, cum omnibus eius meritis apprehendit & applicat credenti, iuſtificare dicatur.

X.

2.Cor.13 Charitas ſanè omnium virtutum præſtantiſſima eſt, καθ' π. Quia enim nũquam abolebitur, ſed magis magísque perficietur in vita ęterna, maior dicitur. Eadẽ tamẽ, originis ſuæ reſpectu, effectus eſt fidei iuſtificantis: ſic tamen vt ſimul ſint tempore. Vnicè enim Deum diligimus, à quo gratis nos à peccatis iuſtificatos, ſeu abſolutos, credimus & lætamur. Iuxta dictum: Remit-

Luc.7. tuntur ei peccata multa: nam dilexit multum.

DISPVTATIO SECVNDA.

XI.

SVpereſt vt ſpeciatim de virtutibus iſtis agamus, & quid ſingulæ proprium habeant, fideliter & perſpicuè indicemus: initio à Fide, ſine qua fieri nequit vt quiſquam Deo placeat, facto.

XII.

XII.

Cum Fidei vocabulum ὁμώνυμον sit, secundum Logices præceptum, significata eius præcipua enumerabimus, vt de qua Fidei specie agamus, manifestum fiat. 1. Fides significat, principes Articulos Religionis nostræ, quos fidei Regulam Augustinus, Paulus Apostolus ἀναλογίαν, proportionem fidei appellat, Rom.12. 2. Euangelij doctrinam. Inde Phrasis, Euangelizare fidem, Act.6. Galat.1. 3. Reuelationem plenam eorum quæ sub legalibus typis latebant. Priusquam, ait Paulus, veniret fides, sub lege custodiebamur concluſi, in eam fidem quæ reuelanda erat. 4. Veritatem immotam & cõstantiam in dictis & factis, seu Dei, seu hominum. Nũquid incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Fidem bonam ostendentes. 5. Facultatem miraculorum effectricem. Si habuero omnem fidem, adeò vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. 6. Fiduciam certã de Dei gratia. Habete fidem Dei. Ratiocinamur fide iustificari hominem. 7. Noticiam solùm historiæ de Christo, expertem fiduciæ. Dæmones credunt, & contremiscunt. 8. Historiæ noticiam, assensionem & persuasionem de Dei erga homines beneuolentia & amore: sed temporariam, vt quæ in Christo radices non agat. Qui verò super petram, ij sunt qui cùm audierint, cum gaudio excipiunt sermonem: sed isti radices non habent, qui ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt.

Gal.3. Rom.3. Tit.2. 1.Cor.13. Matt.17. Marc.11. Rom.3. Iac.2. Luc.8.

XIII.

Omissis autem omnibus aliis Fidei formis, de ea nunc agemus, quæ non est omnium hominum: sed Electorum tantùm. ac vt Definitionem eius Caussalem constituere possimus, præcipuas caussas tam internas quàm externas, adductis diuinæ Scripturæ Testimoniis, enumerabimus.

2.Thess.3. Tit.1.

XIIII.

Efficiens princeps est Deus Pater luminum, cuius præclarissimum donum est fides. Iuxta hæc dicta: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Credere in Christum: & Venire ad Christum, idem planè significant. Sed non omnes obediuerunt Euangelio: Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro: Et brachium Domini cui reuelatum est? Brachium Iehouæ vocat Dominum nostrum Iesum Christum, ac negat hunc omnibus reuelatum, hoc est, omnibus datum vt in Christum credant. Paulus autem passim & sibi & aliis fidei donum gratulatur, & eius caussa Deo gratias agit, ac precatur à Deo incrementa fidei & perseuerantiam in fide.

αἴτιον κύριον. Ioan.6. Rom.10. Isa.53. Rom.1. 1.Cor.1. Eph.1.

XV.

Caussa προηγουμένη in Deo, fidei donum suo cuique tempore largiente, est gratuita Electio nostri. Credimus enim, quia electi sumus in Christo, antequam iacta essent Mundi fundamenta: non autem ideo electi sumus, quia Deus præuidit (præuisionem à decreto non seiungimus) nos aliquando credituros. Pendet igitur ab electione fides, vt effectus à sua caussa: non contrà à fide, pendet electio. Stat enim illud: Gentes autẽ gauisæ sunt, & glorificabãt sermonẽ Domini: & crediderunt quotquot erãt præordinati ad vitã æternã.

Eph.1. Act.2. Act.13.

XVI.

Caussæ προηγουμεναι exteriores, quæ Deum summè misericordem (nemini

tamen nisi spontanea promissione gratiæ obligatum) χῳ συμβεβηκὸς mouere poterant, sunt peccatum peccans, cum suis effectis, operibus carnis, caligine mentis, auersione voluntatis à Deo summè bono, confusione ἢ ἀταξίᾳ omnium in homine virium: quibus malis, in Deum ipsum contumelios is, nemo alius, quàm is qui sua caussa hominem condidit, mederi poterat, ad illustrandam gloriam gratiæ suæ, & ad restitutionem nostri in integrum. Iuxta hæc dicta: Populus positus in tenebris, vidit lucem magnam: & positis in regione & vmbra mortis, lux exorta est. Gratia seruati estis per fidem: idque non ex vobis. Dei donum est. Excitare qui dormis, & surge à mortuis, & illuceset tibi Christus. Ex hisce & similibus testimoniis liquet, nulla esse opera bona præparantia ad iustificationē: (nisi fortè peccata sunt προπαρασκευὴν quædam ad iustificationem) nullum etiam meritis hominum locum reliquum. Nam si ex gratia, non ex operibus: alioquin gratia non foret gratia.

Eph. 1. Isa. 9. Matt. 4. Eph. 2. & 5. Rom. 11.

XVII.

Etsi autem fides ἀμεταμέλητον donum est & opus Dei ad extra, commune toti sacrosanctæ & indiuiduæ Trinitati: tamen, cùm Personæ eius distinctæ sint, & sua cuique propria munia & beneficia tribuantur, piè dicimus, Patrē quidem miserendo, ínque gratiam nos recipiendo: Filium autem, se nobis patefaciendo, ac meritis suis pro nobis intercedendo: Spiritum denique sanctum, illuminando & obsignando, fidem in nobis efficere.

XVIII.

Eph. 1. Eo enim nomine Apostolus noster grauissimè monet, Deum Patrē Domini nostri Iesu Christi, benedixisse nobis omni benedictione in cœlestibus, in Christo. Ad hanc autem benedictionem refert Electionem & Adoptionem, Vocationem, Redemtionem, exuberantiam sapientiæ & intelligentiæ, fidem, & alia multa χαρίσματα Dei. Addit quoque, nos obsignari Spiritu promissionis sancto, qui sit arrhabo hæreditatis nostræ.

XIX.

Caussæ organicæ. Proposito autem Dei optimi & sapientissimi, inseruiunt Caussæ Instrumentales, famulantes: si, inquam, spectes ordinariam dispensationem & communicationem donorum Dei. Vt tamen Enthusiastis μεμψιμοίροις damus, Posse Deum, si ita ipsi placeat, immediatè & extraordinariè fidei donum alicui conferre: vt olim Paulo: sacri tamen Ministerij hostibus aut contemtoribus, de Dei Cooperariis illud Apostolicum dictum opponimus: Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi Ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? Item: Sic de nobis reputet homo, vt de Ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. Qui vos, ait Filius Dei, audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui verò me reiicit, reiicit eum qui me misit.

1. Cor. 3. & 4. Luc. 10.

XX.

Operæpretium autem erit, & distinguere causas instrumentales, & earum cum internis caussis συστοιχείωσιν & analogiam delineare. Quędam Caussæ sunt ἐνεργητικαὶ, vt vox & actio Ministri euangelizantis & Sacramenta administrantis: quædā verò παθητικῶς sese habent, vt verbi diuini auditus, & Sacramen-

Sacramentorum adſpectio & vſus. Illarum vis in offerendo, harum in recipiendo, elucet. Etenim ad inſtitutionem & inſtaurationem noſtri, Deus adhibere dignatur, verbum tanquam Dei verbum annunciantis vocem: religioſas & à ſe præſcriptas actiones, vt aſperſionem aquæ in Baptiſmo: & denique res viſibiles, quæ tamen Dei verbo expreſſo & vſu ſanctificantur, vt ſint Sacramenta.

XXI.

Vox euangelizantis ἔξωθεν, & loquentis ad cor Ieruſalem, ſeruit Filio Dei, per Spiritum ſanctum ἔσωθεν nos alloquenti: verba vitæ æternæ annuncianti: & in omnem veritatem nos ducenti. Iſa.40. Ioan.6. & 16.

Et ne Euangelij litera (ne quidem Diabolis ignota) aureis noſtras ſola, ac ſine fructu, feriat: eiuſdem Spiritum nobis reuelat Pater, vt mentes noſtræ illuminẽtur, fiátque nobis Euangelij prædicatio fragrantiſſimus odor, vitæ, ad vitam: quando ex eo diſcimus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum factum nobis à Deo Patre ſapientiam, iuſticiam, ſanctificationem & redemtionem. Ideo etiam dicitur Euangelium δύναμις θεῦ, virtus Dei (à ſingulari ſua efficacia) ad ſalutem omni credenti. 2.Cor.2. 1.Cor.1. Rom.1.

XXII.

Vt autem ij, quibus hoc à Deo datum eſt, auribus verbum externum hauriunt: ſic etiam iidem interni verbi ſemen corde honeſto excipiunt & retinent, fructúmque adferunt per patientiam. De his pronunciat Chriſtus ipſe, κατ' ἀντίθεσιν eorum, qui verbum internum non audiunt: Vobis, ait, datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per Parabolas loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Fatemur tamen idem eſſe ſpecie verbum internum & externum (neque enim decet Miniſtros Spiritui ſancto contradicere: ſed eidem συμφωνεῖν & accinere) non diuerſum. Hoc enim volumus, eſſe mutuum conſenſum inter vocem Euangelij extrinſecus ſonãtem, & eiuſdem internam vocem quæ cor ferit & ſuauiſſimè afficit & recreat: differentiæ autem rationes ducimus à diuerſitate τῆς οἰκονομίας ſeu diſpenſationis. Etſi autem ſolus Chriſtus Ieſus per Spiritum ſanctum loquitur ad Cor Ieruſalem, id eſt, alloquitur verbis gratię fideles: Iuxta illud: Dominus Iehouah dedit mihi linguam eruditorum, vt ſciam (dicere) in tempore ſitibundo verbum. Miniſtris tamen Noui Teſtamenti hoc grauiter iniungitur vt ad cor Ieruſalem loquantur: ea nimirum ratione qua peccata remittere, vel retinere, auditores etiam ſuos ſaluos facere, iubentur. In hiſce dictis inſtrumento tribuitur, id quod efficientis cauſſæ proprium eſt. Luc.8. Iſa.50. Iſa.40. Ioan.20. 1.Tim.4.

XXIII.

Eodem planè conſilio in Sacramentis, quę, Auguſtino teſte, Viſibilia Dei verba ſunt, Actio & Symbola, & erudiunt nos, & veluti impreſſo ſigillo, iuſticiam fidei in nobis obſignant. Verbi gratia, Baptiſmus aquæ, Spiritus Baptiſmum analogicè repræſentat, & ei ſeruit. Immerſio in aquam ſymbolicum teſtimonium eſt, quod monet, Sanguinis Chriſti, quod ab omni peccato emundat, aſperſione nos ſanctificari. Tam autem certum eſt, nos cum ex Deo renaſcimur, pretioſiſſimi ſanguinis Agni illius immaculati, qui peccata Mundi tollit, participes fieri: quàm non eſt dubium, in Baptiſmo Aquæ, aqua nos perfundi & abluí. Ioan.1. & 3. Ioan.1.

Etenim vt hoc liberè addamus, Aquæ Baptiſmus, ſine Baptiſmo Spiritus, & ſine aſperſione pretioſi illius ſanguinis, nihil aliud eſt, quàm Baptiſmus

Rom.2. literæ,& ieiunum mundi Elementum. Vt enim Pseudoiudæi, licet in carne circũcisi,immò concisi essent,tamen,quòd destituerentur Spiritus & Cordis circumcisione,cuius laus apud Deum est,ἀπερίτμητοι,id est,incircumcisi, Actor.7. à Stephano Protomartyre dicti sunt,quòd eorum Circũcisio in pręputium Rom.2. Ephes.4. versa esset,vt Apostolus loquitur. Sic etsi vnum est Baptisma, si quis tamen Aqua tantùm à Ministro externo abluatur, non autem à Christo baptizatus Actor.8. fuerit spiritu & igni,pro non baptizato non iniuriâ habetur.Talis olim erat Simon ille magus, qui licet à Philippo aqua baptizatus esset, & credidisset, seu gustum temporarium boni Dei doni accepisset: expers tamen fuit Baptismi spiritus,cùm homo auarus & malitiosus, in felle amarissimo & nexu iniusticiæ positus esset. Quis sanus dixerit eiusmodi hominem Spiritu sancto & igni baptizatum? Asseuerationis huius non est obscura ratio,Pretium sanguinis Christi & eius adplicatio, non cum Symbolo præcipuè iungitur (nisi κατὰ σχέσιν) sed cum sua caussa, hoc est, cum sanguine Christi: cuius si qui participes fiunt,fructus eius & meritorum participes fieri, quis dubitet?

XXIIII.

Rerum sanè visibilium,à Deo sanctificatarum,aspectio & vsurpatio,seruit contemplationi & fruitioni rerum inuisibilium & cœlestium:& quidem non tantùm ἀναλογίας & relationis,sed etiam participationis respectu. Non enim adumbrantur solùm cœlestia dona:sed etiam repræsentantur, & verè conferuntur ijs,quibus diuinitùs destinata sunt, tum in Verbo, tum etiam in Sacramentis:quæ sunt illius σφραγίδες.

XXV.

Nasci itaque Fidem ex auscultatione diuini Verbi,cum Prophetis, Christo Domino,& Apostolo ac Gentium doctore,statuimus.Eorum hæc dicta Zach.8. sunt:Hæc dicit Iehouah exercituũ,In diebus illis,in quibus apprehendẽt decem homines ex omnibus linguis Gentium,fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum:audiuimus enim quòd Iehouah vobiscum sit.Verba, in- Ioan.17. quit Filius Dei ad Patrem,quæ dedisti mihi,dedi eis:& ipsi acceperũt. Quo- Rom. 10. modo audient sine prędicãte? Ergo fides ex auditu:auditus autem per verbũ Coloss. 1. Dei.Euangeliũ,quod peruenit ad vos,sicut & in vniuerso mundo est,& fructificat & crescit,sicut & in vobis, (Colossenses alloquitur Paulus) ex ea 1.Tim.3. die qua audistis & cognouistis gloriam Dei in veritate. Prędicatum est pietatis mysterium Gentibus,fides ei habita est in mundo.

XXVI.

De Materia acturi, duo indicabimus: Materiam videlicet circa quam, & Materiam in qua. De priore dignum est relatu & memoria dictum D. Lu- Obiectũ. theri:Fides intuetur verbum rei:spes autem rem verbi. Sic tamẽ vt illud firHebr.11. mum maneat:Fides est substantia rerum sperandarum, & argumentum eorum quæ non videntur.

Versatur Fides circa veritatem promissionis gratiæ: & quia ab eo profe- Iac.1. ctam statuit,qui est ἀψευδής,& apud quem non est transmutatio, aut cõuersionis obumbratio,suauissimè in ea acquiescit. Cum autem gratiæ promissio inęstimabilia bona nobis annunciet & adferat,vnà cũ vnico eorũ auctore,promo & condo,Domino nostro Iesu Christo,circa illa quoque obiecta & Chri-

& Christum præcipuè, fides rectè dicitur occupata, cùm eius adiunctum sit, Christum crucifixum cum suis meritis apprehendere & applicare credenti.

Credimus itaque, & vera ac certa esse ea omnia, quæ Deus Pater per & propter Filium Mediatorem nobis pollicitus est, & ipsum & Christum vnà cum plenitudine bonorum, saluti nostræ seruientium, nostrum esse: ac vtrũque firmiter statuentes pacem habemus. Huc nimirum faciunt illa Pauli verba: Secundum fidem Electorum Dei, & agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem: ad spem vitæ æternæ, quã promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis, sermonem illum suum, per prædicationem, quæ concredita est mihi. Nequaquam autem separanda est fides in Deum Patrem, & in vnigenitum eius filium: vt faciunt impij Mahometistæ. Stat enim illud Christi: Creditis in Patrem, & in me credite. Si nosseti me, Patrem etiam meum nosseti. Rom. 5. Tit. 1. Ioan. 14.

XXVII.

Materiam in qua, dicimus esse eos, quibus datum est credere in Deum illum, qui est in carne patefactus. Neque enim Deus in omnibus hominibus, fidei lumen accendit, & fiduciam perpetuò fouet alítque. Consilio, iudicióque iusto, nobis tamen non perscrutando, suis discipulis, nõ mundo se Christus conspicuum exhibet. Clamat Paulus, auctoritatem allegans: Sed non omnes obediunt Euangelio, (id est, non omnes credunt.) Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui reuelatum est? Item: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, (non videntes oculos, lumine priuat, nec mollia corda indurat: sed spiritum sanctum eis non dat, qui discutiat caliginem luce gratiæ inducta, & corda adamantina mollia ac carnea reddat) vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanẽ cos. Hinc rectè colligimus, eos tantùm credere, qui sunt ouiculæ Christi: de quibus inter multa alia, hæc dicta exstant: Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Non omniũ est fides. Est Electorum. Iis, inquit Petrus Apostolus, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. Lucas ait, Paulo euangelizãte apud Antiochiam Pisidiæ, credidisse quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Propterea dixi vobis, inquit Saluator noster ad Pseudoiudæos, neminem posse venire ad me (πεῖφρασις est fidei) nisi fuerit ei datum à Patre meo. Item: Sed vos non creditis: non enim estis ex ouibus meis, sicut dixi vobis. Subiectũ fidei. Ioan. 14. Rom. 10. Isa. 53. Ioan. 12. Isa. 6. Phil. 1. 2. Thess. 3. Tit. 1. 2. Petr. 1. Act. 13. Ioan. 6. & 10.

XXVIII.

Forma fidei huius est, πληροφορία seu certitudo, non tantùm historicæ Noticiæ de Iesu Christo, qui est Deus ille in carne patefactus, in spiritu iustificatus, Angelis visus, &c. nec assensionis solùm de Thesi, quæ statuit Deum Patrem per & propter Filium vnigenitum quibusdam hominibus esse propitium: sed etiam fiduciæ de hypothesi, qua singuli, testimonio spiritus sancti confirmati, gloriantur, quòd Dominus Iesus ipsis factus sit à Patre sapiẽtia, iusticia, sanctificatio & redemtio: vt in eo glorientur. 1. Cor 1. Ier. 9.

XXIX.

Nec est cur fidem hanc in Deo conditore cœli & terræ generaliter so-

lùm,non etiam ſpecialiter in Deo Redemtore (cuius ſerenam & benignam faciem,Chriſtus Ieſus ἀνθρωπος conſpiciendam exhibet) acquieſcere putemus.Nemo enim in Deum vniuerſorum Conditorem verè credit, niſi qui in Chriſtum crucifixum credit : vt etiam nemo Patrem honorat(honos hic cultu & obedientia fidei præcipuè conſtat:quando quicquid non fit ex fide, peccatum eſt,eóque nomine Deo ingratũ) niſi qui filium honorat. Ideo & Paulus inquit : Per fidem intelligimus conſtructum fuiſſe mundum verbo Dei,vt quæ cernimus non ſint ex apparentibus facta. Loquitur autem de fide iuſtificante, quam paulò antè definierat, poſtea verò Abelo, Enocho, Noaho,Abrahæ & aliis tribuerat,& ſine qua Deo neminem placere teſtatus erat.Etſi igitur Iudæi & Turci iactitant,ſe credere in Deum cœli & Terræ conditorem:quia tamen in Filium Dei,à quo omnia condita ſunt& conſeruantur,non credunt,immò eum blaſphemant, non eſt profectò cur eos rectè veréque gloriari opinemur.

Ioan.5.

Heb.11.

XXX.

Finis. Quis ſit fidei finis,liquet ex præclaro hoc & omni exceptione ſuperiore

Ioan.20. Teſtimonio:Hæc ſcripta ſunt vt credatis, Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei:

Ioan.6. & vt credentes habeatis vitam per nomen eius.Item : Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me,vt omnis qui videt Filium,& credit in eum,habeat vi-

Gal.2. tam æternam:& ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.Item : Vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſe-

Abac.2. Rom.1. metipſum pro me.Iuſtus ex fide viuet.

XXXI.

Definitio fidei. Eſt ergo Fides,opus & donum Dei Patris,quod per Filium, Spiritus ſancti virtute(cui inſeruiunt auditus verbi & Sacramentorum vſus) efficit, auget & confirmat in cordibus Electorum:vt non tantùm toti pietatis myſterio,ipſis patefacto,aſſentiantur:ſed etiam fiducia firma in eo acquieſcentes, firmiter ſtatuant Ieſum eſſe Chriſtum,ac ſe per eius nomen vitam æternam habere.

XXXII.

Ea quæ ad Quæſtionem διότι, & Cauſſalem finitionem conſtituendam faciunt,vtcunque delineauimus:ſupereſt vt etiam illa,quæ propria ſunt Quęſtionis πῶτον expendamus. Dicimus igitur cum Scriptura diuina: 1. Quòd

Luc.18. hæc Fides rara ſit.Notum eſt enim illud : Filius hominis cum venerit, num

2.Theſſ.3. reperturus eſt fidem? Item : Et eripiamur à proteruis & ſceleratis hominibus:non enim omnium eſt fides. 2. Quòd ſit vna.Vnus Deus,inquit Apo-

Eph.4. ſtolus,vna Fides, vnum Baptiſma. 3. Quòd etſi eius lumen interdum in

Rom.11. Sanctis obſcuretur,non tamen prorſus exſtinguatur. Nam dona Dei (inter hæc excellit fides)& vocatio eiuſmodi ſunt,vt eorum Deum nunquam pœniteat.Oraui pro te,inquit Chriſtus ad Petrum,ne deficiat fides tua.Ne du-

Luc.22. Ioan.17. bitemus etiam pro nobis orauiſſe Chriſtum, & impetrauiſſe à Patre idem

Phil.1. beneficium,vt quod in nobis cœpit opus bonũ,perficiat vſque in diẽ Chriſti.

XXXIII.

Fidem quarto loco,dicimus eſſe efficacem & operoſam, vt quæ primò,

Gal.5. per Charitatem efficax ſit.In Chriſto Ieſu nec Circumciſio eſt aliquid, neque præputium:ſed fides per charitatem agens. ſecundò, Filios Dei nos fa-

ciat. Omnes, ait ille, filij Dei estis, per fidē in Christo Iesu. tertiò, Obediētiā Deo probet. Ad obediētiā fidei in cunctis gentibus. quartò, Purificet corda. Fide purgatis eorum cordibus. quintò, Nos seruet. Fides tua te saluā fecit. sextò, Iustificet. Colligimus fide iustificari hominē, absq; operibus legis. Etsi autē hæc & similia χαπορθώματα & beneficia, propriè à Deo, omnia secūdum beneplacitum suum peragente, perficiuntur & conferuntur: fidei tamen, vt instrumento, cuius ἐνέργεια in apprehendendo & applicando posita est, adscribuntur, vt eius dignitas & vsus conspiciatur.

Gal. 5. Rom. 1. Act. 15. Luc. 7. Rom. 3.

XXXIIII.

Porrò, cùm fidei tribuatur quòd iustificet, quomodo id intelligendū sit, videamus. Deus iustificat impium: sed eum pro quo mortuus est Christus: & qui non operatur, sed credit: Fide ad iusticiam imputata, absque operibus legis: Vt is gratia seruetur per fidem, (non ex seipso, cùm Dei donum sit) non ex operibus, ne glorietur. Itaque non propter fidem, sed fide iustificatur, vt secundum gratiam firma sit promissio vniuerso semini. Nec propter opera legis, seu moralia, seu ceremonialia, seu alia, iustificatur: sed propter Christum Iesum. Iam verò nec præcedentia iustificationem opera, nec eam seu comitantia, seu subsequentia, dici possunt caussæ iustificationis præparātes & consummantes. Nam quæ præcedunt iustificationem, peccata sunt, cum Deus impium iustificet: quæ comitantur & subsequuntur iustificationem, dona Dei, & iustificationis effecta sunt, non eius caussæ.

Rom. 4. & 5. Gen. 15. Gal. 3. Eph. 2. Rom. 3. & 4. Act. 10. & 15.

XXXV.

Vt autem vno fasce ἐν συλλήβδην plurima complectamur, dicimus. Sine fide neminem Deo placere. Fidem dari, augeri & conseruari à Deo. Etiam languidam in Christum fidem, veram esse fidem: cum magis & minus non mutent rerum species. Fidelem sua, non aliena fide viuere. Nunquam sine aliis virtutibus (cum earum fœcunda mater sit) esse fidem. Non esse hominibus subiectam. Non dominamur fidei vestræ: sed adiutores sumus gaudij: nam fide statis. Eam suos habere oculos. Non contemplantibus nobis ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Suam denique (vt plurima omittamus) probationem habere. Vt probatio fidei vestræ multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Iesu Christi.

Hebr. 11. Luc. 17. & 20. Abac. 2. Iac. 2. 2. Cor. 1. 2. Cor. 4. 1. Pet. 1.

DISPVTATIO TERTIA, IN QVA DE *Spe agetur.*

XXXVI.

DE Spe acturi, primùm vocabuli significata: deinde caussas, & ex eis exstructam Definitionem: postremò, ea quæ de illa in Scripturis prędicantur, ἀμφότερον ἐν σαφέστερον indicabimus & expendemus.

τί ἔστιν. τὸ διότι. τὸ ὅτι.

XXXVII.

Spes biuariam sumitur in Scripturis diuinitùs inspiratis, Metaphoricè & Propriè. Metaphoricè triuariam: aliàs enim Fidem significat: cùm hæc non tantùm Noticia, sed etiam Fiducia constet, ac singularem quandam cum spe

Hebr.6. cognationem habeat. Testimonia. Cupimus autem vt vnusquisque vestrûm
1.Petr.3. idem ostendat studium ad plenam spei persuasionem ad finem vsque. Parati
semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis
Gal.5. Col.1. est, spe. Aliàs per Metonymiam spes res speratas denotat. Testimonia. Nos
enim spiritu ex fide, spem iusticiæ exspectamus. Propter spem quæ reposita
Tit.2. est vobis in Cœlis, quam audiuistis in verbo veritatis Euangelij. Exspectantes beatam spem, & aduentum glorioſum magni Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi. Aliàs denique Spes translatè sumta, præcipuum hominis præsidium, quod is, seu in Creatore vniuersorum, seu in Creaturis habere se, sibi
Psal 65. & 142. Isa.20. persuasit. Testimonia. Deus est spes omnium finium terræ. Dixi, tu es spes mea & turris mea. Confundentur ab Æthiopia spe sua. Hæccine, dicent, erat spes nostra?

Propriè autem acceptum Spei vocabulum, significat durabilem cordis affectum, à Deo excitatum, quo bona exspectamus, ardua quidem & difficilia, attamen possibilia: hoc est, eiusmodi quibus non sine causſa benè sperans potiri queat.

XXXVIII.

αἴτιον κύριον Rom.15. 2.Thess.2. Spei causſa efficiẽs principalis est Deus: cuius ea donũ est. Iuxta hæc dicta: Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. Item: Ipse autẽ Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, &c.

XXXIX.

Quemadmodum autem fides nostra, ex Dei fide (interueniente verbi diuini auscultatione) nascitur: ita si proximam causſam spectes, spes ex fide ortum ducit. Cum enim de fide Dei certò persuasi sumus, verbo eius, in quo ingentia bona nobis pollicetur Dominus, assentimur: ac bona illa definitis
Hebr.11. à Deo tempestiuitatibus nobis communicanda, speramus nos accepturos. Eo sanè nomine Paulus ait, fidem esse ὑπόστασιν rerum sperandarum, & argumentum eorum quæ non videntur.

XL.

Obiecta. Rom.8. Circa quæ obiecta versetur Spes, ostendit idem Apostolus, hisce verbis: Spe seruati sumus. Spes autem si cernatur, non est spes. quod enim quis cernit, quomodo speret? Duo heic colligimus. Alterum est, spem versari circa res absentes & futuras. Alterum, eam constare fiducia, de eis, secundum Dei consilium acquirendis & possidendis. Etsi autem illud parit tristiciam aliquam: hoc tamen, eandem mitigat, & alacritatem ac desiderium fouet & conseruat.

XLI.

Subiectũ. Tit.1. Act.13. Heb.6. Eorum autem est spes, quorum est & fides: cuius vt est effectus, ita comes, toto vitæ hominis Christiani spacio. Electorũ autẽ est fides. Credunt enim in Christum quotquot sunt præordinati ad æternam vitam. Itaque iisdem tribuenda est etiam spes: quam nos veluti animæ anchoram habemus tutam & firmam, & ingredientem vsque in ea, quæ sunt intra velum.

XLII.

Forma. Forma eius est fiducia, à Spiritu sancto excitata, de mitigatione præsentium

tium ærumnarum,de liberatione ab omni malo, de hæreditate regni cœlorum:quam ſibi præclarè ſperantes pollicentur.

XLIII.

Spei finis eſt,expectare donec ſecundũ Dei beneplacitum,promiſſa bona nobis exhibeantur.Notum eſt illud Prophetæ dictum : Si moram fecerit, exſpecta eum:quoniam certò veniet,& non tardabit. Finis. Abac.2.

XLIIII.

Spem itaque dicemus eſſe donum Dei Patris,quod is fulciẽdæ fidei ergò, in fidelibus ſuis, per Spiritum ſanctum operatur, fiducia de futuris bonis conſtans,qua animati non dubitant,futurum vt aliquando liberati ab omni malo,potiantur æternis bonis in cœlorum regno. Finitio Spei.

XLV.

Spei Chriſtianæ in monumentis Prophetarum & Apoſtolorum, hæc & alia multa tribuuntur. τὸ ὅπ.

1. Quòd in Deo ſolo inclinata recumbat.In te,inquit Pſaltes regius,ſperaui:ne confundar in æternum.Dominus ſpes populi ſui eſt. Pſal.31. Ioel.3.

2. Quòd in hominibus & aliis Creaturis non acquieſcat. Maledictus qui confidit in homine,& ponit carnem brachium ſuum. Ier.17.

3. Quod galeæ inſtar nobis ſit.At nos,inquit Apoſtolus,qui ſumus diei, ſimus ſobrij,induti thoracem fidei & charitatis:& pro galea,ſpe ſalutis. 1.Theſſ.5.

4. Quòd probationem per aduerſa comitetur.Probatio parit ſpem. Rom.5.

5. Quòd Sanctos exhilaret.Spe gaudentes. Rom.12.

6. Quòd memoria acceptorum à Deo beneficiorum, præcipuè tamen diuinarum ſcripturarum lectione & meditatione,confirmetur. Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Gen.32. Rom.15.

7. Quòd ad finem vſque durare debeat.Si inquit diuus Paulus,fiduciam & ſpem illam,de qua glõriamur,ad finem vſque firmam tenuerimus. Hebr.3.

8. Quòd ſit viua.Deus,ait Petrus,ex multa miſericordia, regenuit nos in ſpem viuam,per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis,in hæreditatẽ quæ nec perire poteſt,nec contaminari,nec marceſcere,nobis ſeruatam in cœlis. 1.Pet.1.

9. Quòd non confundat.Spes,dicit Paulus,non confundit:quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris,per Spiritum ſanctum. Rom.5.

10. Quòd hominum metu liberet.In Deo ſperaui,non timebo quid faciat mihi caro. Pſal.56.

11. Quòd felices efficiat.Beati ſperantes in Iehouah. Pſal.84.

12. Quòd vna ſit.Vocati eſtis in vnam Spem vocationis veſtræ. Breuitatis ſtudio cætera,quæ de ſpe dicuntur,omitto. Eph.4.

DISPVTATIO QVARTA IN QVA doctrina charitatis explicabitur.

XLVI.

CHARITAS erga Deum & proximum,ea inquam, quæ finis eſt præcepti,primùm,eſt Dei donum.Iuxta dictum:Pax fratribus,& charitas cum fide,à Deo Patre noſtro,& Domino noſtro Ieſu Chriſto. deinCauſſæ efficientes. 1.Tim.1. Eph.6.

συναίτιον Galat.5. συνέργον.

de,est fructus spiritus. At fructus spiritus est charitas,gaudium,pax,benignitas, bonitas,fides,&c.postremò est ex fide. Bonum enim quod fides agnoscit, id charitas diligit. Est itaque fides veluti parens Charitatis, ac ex his duabus virtutibus nascitur spes.

LXVII.

Subiectũ. 1.Tim.1. Coloss.3. Ephes. 4. Ephes.3. Ephes.2.

Porrò,Charitas ex puro corde,conscientia,bona, & fide non simulata,iis demum tribuitur, qui ea necessitudine,quam Paulus vocat σωὐδεσμον τ τελειότητος, vinculum perfectionis, arctissimè coniuncti, studeant seruare vnitatem spiritus per vinculum pacis. De his loquitur: Ex Christo,dicens, tota familia in cœlis & in terra nominatur.Item:Quoniã vtrique per ipsum aditum habemus per vnum Spiritum ad Patrem. Nempe igitur nõ amplius estis hospites & inquilini,sed conciues Sanctorũ & domestici Dei.In Christo autem capite nostro nos omnes, qui viua eius membra sumus,iungi per charitatem,elegante imagine adhibita,his verbis docuit Apostolus: Sed veritatem sectantes cum charitate,prorsus adolescamus in eum per omnia,qui est caput,nempe Christus:ex quo totum Corpus congruenter coagmentatum,& compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente,pro mensura vniuscuiusque membri,incrementum capit corpori conueniens,ad sui ipsius exstructionem per charitatem. Est itaque Charitas discipulorum Christi nota minimè fallens.Iuxta illud Sernatoris nostri dictum:

Ephes 4. Ioann.13.

Ex hoc cognoscent omnes,vos esse discipulos meos,si charitatem habueritis alij in alios.

XLVIII.

Finitio.

Dicimus Charitatem esse donum Dei,& ardentissimam dilectionem,qua ob iustificationis beneficium per gratiam nobis præstitum, eum prosequimur,ei obedire studemus:ac fratribus, quibus peccatorum veniam gratulamur,fraternam charitatem,Dei caussa,probamus.Augustinus dicit,esse virtutem qua diligenda diligimus.Testimonia. Remittuntur illi peccata multa:nam dilexit multum.Meritò Deum diligimus,à quo nos iustificatos lętamur,Item:Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei,cum nos Deum diligimus,& mandata eius seruamus. Hæc est enim charitas Dei,vt mandata eius seruemus:& mandata eius grauia non sunt.

Epist 29. Luc.7. 1.Ioan.5. Rom.13.

Si quod est aliud mandatum, in hoc sermone summatim comprehenditur,nempe:Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Charitas proximum non afficit malo.Itaque expletio legis est charitas.

XLIX.

1.Cor. 13.

Eius propria nemo rectiùs expossuit, quàm ipsemet Spiritus sanctus, per os selectissimi organi sui,Pauli Apostoli.Charitas,inquit ille,patiens est, benigna est:charitas non inuidet:charitas non agit perperam:non inflatur,non agit indecorè, non quærit quæ sua sunt,non irritatur, non cogitat malum, non gaudet iniusticia:gratulatur autem veritati:omnia suffert,omnia credit, omnia sustinet,omnia sperat.

Det nobis omnibus Dominus & Deus noster Iesus Christus,vt toto vitæ nostræ curriculo,memores ideæ huius,secũdum charitatem ambulemus: ne vnquam radix amarulentiæ & odij in cordibus nostris locum habeat.

L.

κὸ ὅτι

Superest vt ea,quæ ad quæstionem τὸ ὅτι pertinent,recitemus.

I. Cha-

1. Charitas iustificationi iam perceptæ, testimonium perhibet. Iuxta illud Christi Domini nostri: Remittuntur ei peccata multa: nã dilexit multũ. Luc. 7.

2. In hac vita, perfecta non est charitas: perficietur autem in nobis, cum erimus in cœlesti patria. Charitas nunquam excidit: sed & prophetiæ abolebuntur, & linguæ cessabunt, & cognitio abolebitur. 1. Cor. 13.

3. Ordinata est, siue domesticos fidei, siue cæteros homines spectes. Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei. Galat. 6.

4. Timorem seruilem foràs emittit charitas, ne sit impedimento in ijs quæ ferenda & facienda sunt. Metus non est in charitate: expleta charitas forâs eijcit metum: quoniam metus cruciatum habet. qui autem metuit, non est perfectus in charitate. 1. Ioan. 4.

5. Charitas Actionum Adiaphorarum seu indifferentium canon est. Vt testantur Acta Synodi Hierosolymitanæ, Circumcisio Timothei, & alia gesta in primitiua Ecclesia. Factus sum infirmis vt infirmus, vt infirmos lucrifaciam. Omnibus factus sum omnia, vt omninò aliquos seruem. Actor. 15. 1. Cor. 9.

6. Est finis mãdati. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua. Istud est primum & magnũ mãdatum. Secundum autem est simile huic, Diliges proximum tuũ vt teipsum. 1. Tim. 1. Matth. 22.

L I.

Charitas, fide superior & inferior est: sed diuerso respectu. Inferior quidẽ est iustificationis, originis & mensuræ suæ ratione. Fide enim iustificamur, non charitate: & ex fide est charitas, non econtrà ex charitate est fides. Charitas quinetiam fidei mensura æstimatur. Superior autem est Charitas, primùm quia perpetuò vigebit, & in æterna vita nõ abolebitur, sed magis perficietur: deinde, quia beatum est magis dare, quàm accipere. Fides autem à Deo promissa & oblata bona accipit: charitas, bona quibus pollet alijs communicat. Postremò, quia in incoata iusticia, quæ Sanctificationis & Regenerationis propria est, excellit charitas, præ fide. Matth. 20

L II.

Negamus autem Charitate nos ideo iustificari, quia maior sit Fide & Spe. In iustificatione enim, non qualitates istarum virtutum æqua lance ponderantur, vt quænam magis ad iustificãdum hominem faciat, cognoscatur: sed officium Fidei, quod est oblatam in Euangelio Christi iusticiam apprehendere & credenti applicare, celebratur: hoc enim fides præstat, quod charitas præstare nequit. Secus qui sentiunt, & ita argutantur: Charitas potior est fide: Ergo iustificat. multipliciter sophisticantur. Primùm petũt principium, cum virtutum istarum merito & dignitate nos iustificari, præsupponunt. deinde in Antecedente, committunt Paralogismum à dicto secũdum quid, ad dictum simpliciter. Non enim simpliciter maior est fide charitas, vt pridem demonstratum est: sed durationis & iusticiæ incoatę respectu. Postremò, isti Sophistæ perinde nugantur in re seria, ac si quis (libet enim instãtijs diluere Sophisma) ita argumentetur: Caput dignitate præcellit pedes. igitur non pedibus insistimus & iter facimus: sed capite. Oculi præstantiores sunt auribus. Itaq; illis sonos & voces percipimus. Cor dignitate antecellit nares. Corde igitur olfacimus & odores discernimus. Vt dem aliquid esse dissimi-

litudinis in exemplis istis, tamen hoc firmum manet, Vt suum cuique sensui & eius organo obiectum & officium: ita sua & distincta munia fidei, spei & charitati assignanda esse, ne nostra ἀμετρολογία ea confundamus, quæ Deus distincta esse voluit.

LIII.

Negamus etiam Charitatem esse Fidei formam, hoc est, sic perfici fidem à charitate, quemadmodum materiã perfici à sua forma credimus. Ne quidem imaginabile est, quòd vnius & distinctæ qualitatis forma sit alia qualitas finitione ab illa distincta. Sanè fidei forma, in intelligẽda & apprehendenda promissione gratiæ: Charitatis autem forma, in amore boni, elucet: & vtraque ex sua vi & natura agit. Porrò genitum gignentis formam esse, quis sanus & intelligens dixerit? Fides autem Charitatem & Spem gignit, & est earum caussa propinqua. Itaque neutra harum virtutum, illius forma dici debet. Denique vt virtutes Morales, non sunt formæ virtutum Intellectualium: ita nec charitas, neque spes, forma fidei dici debet.

LIIII.

Quàm sit autem nobis necessarium Charitatis donum, ex hisce liquet.

1. Quòd ne quidem eximia dona & decora, vsum & dignitatem suam retinẽt: si absit charitas. Si linguis, ait ille, hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13.

2. Quòd absque ea nulla societatis hominum tranquillitas esse potest: Odium, inquit Salomon, suscitat rixas, vniuersa delicta operit charitas. Item. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum non est in eo. Prou. 10. 1. Pet. 4. 1. Ioan. 2.

LV.

Charitatis alia ratio olim erit in patria, alia fidei. Illa enim perficietur & maior fiet, non mutata specie, (magis enim & minus nõ mutant rerum species) hæc autem cum rei præsentis & iam reuelatæ aspectu permutabitur. Cernimus enim nunc per speculum & per ænigma, tunc autem coràm cernemus: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout edoctus fuero. 1. Cor. 13.

LVI.

Abolebitur autem & spes: sublato videlicet à nobis omni malo, & absterfis lacrymis ab oculis nostris: & præsentibus ijs bonis, quæ nunc sperando prosequimur. Spes enim, vt pronunciat diuinus Apostolus, si cernatur, non est spes. Quod enim cernit quis, cur speret? Si verò quod non videmus, speramus, nempe per patientiam exspectamus. Vt igitur spe nunc possidemus promissam illam hæreditatem, quam Petrus Apostolus incontaminatam & immarcessibilem fore prædixit: ita olim Christi videlicet cohæredes re ipsa ea potiemur & perfruemur in æternum. Rom. 8.

LVII.

Fidei, Spei & Charitatis doctrina, διεξοδικῶς in Libris Prophetarũ & Apostolorum exposita, ἀφοριστικῶς, comprehensa exstat in Capitibus Catechismi. Vt enim é Symbolo Apostolico & Dominica Oratione, doctrina Fidei & Spei: sic è Decalogo, charitatis doctrina, nobis petenda est.

LVIII.

LVIII.

Quæcunque cum hisce Catechismi Capitibus pugnant, ea tanquam διεστραμμένα & pernitiosa, vitanda nobis sunt. Nam & sanorum sermonum exẽplar nobis retinendum est, præclarúmque illud depositum seruandum per Spiritum sanctum: & auersandi nobis profani de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsò nominatæ scientiæ. 2. Tim. 1. 1. Tim. 6.

DISPVTATIO QVINTA, IN QVA AGETUR de Discrimine fidei nostræ & Pontificiorum, circa primum Symboli Articulum, qui ita habet: Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli & Terræ.

LIX.

SED enim cùm etiam Pontificij glorientur, se quoque Symbolum Apostolicum totum amplecti & profiteri, Quæstionem mouere visum est, Sítne ingens discrimen inter illorum & nostram fidei Confessionem? Priusquàm ad Antithesin accedamus, illud testatum esse volumus, nos non sumere nobis iudicium de ijs idiotis qni in Pontificia Ecclesia versantur, & magna sacrarum rerum ignorantia laborant, non tam sua culpa, quàm eorum qui cùm clauem scientiæ & potestatem interpretandi scripturas se habere glorientur, tamen suos auditores, vel non erudiunt in doctrina pietatis, quam ipsimet ignorant: vel eos seducunt sua ἑτεροδιδασκαλίᾳ: vel ad bis mutos Magistros, idola videlicet, tanquam Laicorum libros, relegant. Precamur Dominum, vt istos in tenebris sedentes luce sua illustret, & ad participationem sortis Sanctorum in lumine vocet. De doctrina solùm agemus, ac per gratiã Christi istud euincemus, non satis esse, si quis Prophetarum & Apostolorum libros, & Symbola Ecclesiæ se retinere & probare iactitet, & interim affingat humana commenta, stabiliat Idolomaniam horrẽdam, & discedat multis modis ab analogia & regula fidei. Sed eos demum Scripturas sacras & Symbola retinere & profiteri, qui (secundum pręclarum & illustre Pauli dictum) retinent ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον, id est, in doctrina integritatem, grauitatem, sermonem sanum, qui damnari non possit. Tit. 2.

LX.

Plurimum sanè interesse inter nostræ fidei professionem, & inter Pontificiam, quã nunc Romana Ecclesia venditat, duæ res præcipuè testantur, videlicet ἡ διανοια καὶ ἡ τελείωσις, id est, natiua sentẽtia, & perfectio doctrinæ fidei.

Nos enim, per gratiam Dei natiuam omnium capitum Symboli Apostolici (quod historico ordine conscriptum est) sententiã, congruentem cum Propheticis & Apostolicis Concionibus, retinentes: tantam eius doctrinæ perfectionem esse statuimus, vt planè nihil ei addendum vel detrahendum iudicemus, cum omnia ad salutem scitu necessaria in eadem vt breuissimè, ita fideliss imè comprehensa sint.

Romana Ecclesia, & articulos plurimos aliter quàm fidei regula permittit, interpretando corrumpit: & Appendices, de Inuocatione Sanctorum,

de eorum Interceſſione, de Miſſa, de Purgatorio, déque multis alijs affingit.

LXI.

Itaque non eſt cur quiſquam λογομαχίαν ſolùm eſſe, & de re leuicula contentionem, dicat. Agitur de rebus maximis, quæ propriè pertinent ad æterni Dei gloriam & cultum, ad meritorum Domini noſtri Ieſu Chriſti demõſtrationem, ad ſalutem noſtram. Etſi igitur nos omnibus omnia fieri decet, 1. Cor. 9. & pacis cauſſa multa ferenda ſunt: errores tamen pugnantes è diametro cum fundamentis fidei Chriſtianæ, extenuare & ἡσύχῳ ποδὶ præterire ij minimè Zach. 8. debent, quibus cordi eſt illud Propheticum: Diligite veritatem & pacem. Impietas eſt, errores contumelioſos in Deum, & Eccleſiæ filij Dei pernitioſos, non improbare, eáque negligentia, quàm non magnifacias diuinę veritatis lumen, teſtari.

LXII.

Credo Nos fidem veram, nõ cum Academica dubitatione κατ' ἐποχήν: ſed cum vera certitudine καὶ πληροφορίᾳ, coniungendam ſtatuimus. Pontificij autem, quotieſcunque dicunt, Homini fideli non eſſe certò ſtatuendum, quòd propter Chriſtum in gratia ſit apud Deum Patrem: non minus impiè loquuntur, quàm ſi dicerent, eidem non eſſe credendum, vnum Deum eſſe, & tres hypoſtaſes.

LXIII.

in Deum. Nos Deum, vnum illum, æternum, omnipotentem, ſummè iuſtum & ſummè miſericordem eſſe, credimus.

Pontificij autem, cum Iuſticiæ eius, humanis traditionibus & ſatisfactionibus, ieiuníſque mundi Elementis, ſatisfieri fingunt, imperfectionis eam inſimulant. Rurſum, eiuſdem Miſericordiam imperfectam ſtatuunt, cùm docent eam ſupplere tantùm ea, quæ in hominum meritis iurè deſiderantur. Non colit autem verum illum Deum, niſi qui immenſam eſſe eius ſapientiam, bonitatem, iuſticiam, miſericordiam, ex toto corde ſuo credit.

LXIIII.

Nos, in quem credimus, eundem & adoramus. Iuxta dictum Apoſtolicũ: Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Credimus autem, ſicuti & baptizati ſumus, in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, ὁμουσίους, coæternos & eodem cultu venerandos. Itaque Patrem æternum, in nomine Filij, Deuter. 6. Mediatoris vnici, vnà cum Spiritu ſancto inuocamus, ſecundum illud: Do- Matth. 4. minum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies.

At verò Pontificij, primùm eos etiam adorant, in quos non credunt, & in quorum nomina non ſunt baptizati. De Sanctis loquor, (in quos ſi ſe, ita vt in Deum credere dixerint, ἀνθρωπολάτραι erunt) ijs qui ex hac vita migrauerunt: Iſa. 63. de quibus Eccleſia veteris Teſtamenti, dicit apud Prophetam: Tu es Pater noſter: Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Deinde & præter rerum ſeriem, oratione ſua ad Virginem matrem conuerſa, precantur: Pater noſter, qui in cœlis es. Interdum ipſummet Dominum Ieſum Chriſtum ſalutantes: Aue, dicunt, Maria, gratia plena. Dicunt ligno, Pater meus Ierem. 2. es tu: & lapidi, Tu genuiſti me. Tertiò, cultum Deo debitum, transferunt ad Exod. 20. res inanimatas, Idola videlicet tam picta, quàm ſculpta, cõtra expreſſam Dei Iſai. 42. legem, Non facies tibi ſculptile, neque imaginem, &c. Non coles ea. Item:

Ego Ie-

Ego Iehouah,hoc est nomen meum:gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Quòd si dixerint,se nõ tanto in pretioLibros(quos ineptè vocant) laicorum,habere:rogandi erunt , Primùm ne & suæ conscientiæ & maiorum suorum confessioni , & ipsi etiam experientiæ contradicant:deinde, quare idolorum causſa sumtus tantos faciant , cur in Templis ea prostituant ad cultum?Postremò , cur tot viuas Dei imagines & Spiritus sancti templa,fideles,inquam , homines,pio zelo Idololatriam improbantes,nefariè hactenus interfecerint?Anne illis religio non est,Idolorum vanissimorum causſa,fideles homines necare?

LXV.

Nos,secundum diuinas Scripturas,vnius Patris cœlestis filios , per adoptionis gratiam,nos esse gloriamur : nec alium spiritualem & omnipotentẽ Patrem & dominum agnoscimus.Nota enim sunt nobis dicta:Nunquid nõ Pater vnus omnium?Nunquid non Deus vnus creauit nos? Vnus est Pater noster,qui est in cœlis.Quicunque spiritu Dei ducuntur,hi sunt filij Dei. Patrem omnipotentem. Malach.2. Matth.23. Rom.8.

Pontificij,sagenæ suæ sacrificantes, & per ἀποθέωσιν , & Canonizationem, deos tutelares sibi creãtes,plurimos Patres & Patronos sibi fingunt. Vt igitur olim questus est Ieremias Propheta:Iuxta numerum Ciuitatum tuarum erant Dij tui ô Iehuda : Ita Romanæ Ecclesiæ asseclæ secundum fanorum, artium,morborum,regionum & aliarum rerum,numerum , minorum gentium Deos tutelares cõfinxerunt: & demum eò dementiæ progressi sunt, vt in locum Ethnici παν θεῶν,substituerent παν άγιον pseudochristianum. Vt ex infinitis propè, vnum aut alterum exemplum adducam.Quis nescit Pontificios,Catharinam,tanquam alteram Mineruam , bonarum literarum præsidem agnoscere,& barbarico versu precari : Sancta Catharina sis mecum in doctrina:Arti Medicæ,Lucam Euangelistam,Cosmam & Damianum, Aesculapij & Apollinis loco : Iurisprudentiæ , Iuonem quendam inglorium: Theologiæ,B. Augustinum præfeciſſe ? Cætera omitto,breuitatis causſa. quis enim fando omnia enumerare posset? Ieremi. 2.

LXVI.

Nos eidem vero & omnipotenti Deo tribuimus,Creationem & conseruationem Mundi,& eorum,quæ eius systemate comprehenduntur. Iuxta dicta:Deus fecit mundum , & omnia quæ in eo sunt. hic cœli & terræ cùm sit Dominus,non habitat in templis manu factis. Pater meus vsque adhuc operatur,& ego operor. Creatorẽ cœli & terræ. Act.17. Ioan.5.

Pontificij,in gubernatione mundi & Ecclesiæ,eos Deo ceu Collegas adiungunt,quos conditores rerum non esse,intelligunt. Itaque beneficia ea à dijs suis fictitijs petunt,& se accipere dicunt , quæ à prouidentia diuina solùm dependẽt. Quasi verò Deus solus , rerum vniuersarum administratione defungi,vel nolit,vel non possit?Non nescimus Deum mediatè,multa prẽstare & efficere:sed num ex eo sequitur , administros Dei etiam superstites (ne quid de defunctis,qui particularia,quæ heic fiunt, planè ignorant) nobis adorandos,ceu Dei Collegas in mundi gubernatione?

LXVII.

Nos de gratia Dei, testimonio sancti Spiritus edocti & confirmati , cum Paulo Apostolo gloriamur in Domino: Nõ accepisse nos spiritũ seruitutis, Rom.8.

iterum ad timorem: sed adoptionis, per quem clamemus, Abba, Pater. Nos
Eph.3. filios, & proinde hæredes Dei, cohæredes Christi esse. Nos per Christum ha
Hebr.4. bere audaciam, & aditum cum fiducia, quæ est per fidem illius. Nos accede-
re cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & gra-
tiam inueniamus.

Trid. Synod. Sess. 6. cap. 9. Pontificij econtrà: Neque illud, aiunt, asserendum est, oportere eos qui verè iustificati sunt, absque vlla omninò dubitatione apud semetipsos sta-
tuere, se esse iustificatos, neminémque à peccatis absolui ac iustificari, nisi
cum, qui certò credat se esse absolutum & iustificatum, atque hac sola fide
absolutionem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei
promissis, déque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam si-
cut nemo pius, de Dei misericordia, déque Christi merito, déque Sacramen
torum merito & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum, suámque
propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare
Nota Sophisma ὁμωνυμίας in vocabulo, Gratia. & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest
subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

LXVIII.

Iam verò quod attinet ad Dei cultũ, Nos eum operibus à Deo præceptis,
internis præcipuè & externis, videlicet fidei obedientia, charitate non ficta,
inuocatione, pietate denique, constare dicimus. Iuxta dicta: Deus spiritus
Ioan.4. est. Veri igitur adoratores Patrẽ adorabunt in spiritu & veritate. Exhibeatis
Rom.12. corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, cultum vestrum
1.Tim.4. rationalem. Pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissiones habeat, huius &
æternæ vitæ.

Pontificij, Traditionibus humanis Deum coli, docent, contra expressum
Matt.15. Christi Iesu dictum: Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt man-
1.Tim.4. Gal,5. data hominum. Si iuxta illud Apostoli, Corporalis etiam exercitatio parum
prodest: si in Christo Iesu neque Circumcisio quicquam valet, neque Præ-
Deut. 12. putium, sed fides per charitatem agens: si denique quod Iehouah nobis præ-
cepit, custodiendum vt faciamus: nec addendum ad illud, nec diminuendum
ex eo: quid, te quæso, pronunciabimus de Pontificia Missa, de Monachatu &
votis papalibus, de peregrinationibus ad delubra Sanctorum, de amburbiis
in festo Corporis Christi oberrationibus, de Indulgentiis, quas pias fraudes
quidam vocant: de impuro Sacrificulorum, Monachorum & Monacharum
Cœlibatu, déque multis aliis, relatu indignis, τῆς ἐθελοθρησκείας formis? Anne
delectatur Dominus, nouo quodam Iudaismo & Ethnicismo?

SEXTA DISPVTATIO IN QVA AGE-
tur de altera parte Symboli: Credo in Iesum Christum filium eius vnigenitum, Dominum nostrum, &c.

LXIX.

Credo in Iesum Christum filiũ eius vnicum. NOs cum Prophetis, Apostolis & Chalcedonensi Synodo, totáque
orthodoxa Ecclesia, vnum eundémque cõfitemur filium, Dominum
nostrũ Iesum Christũ: & concorditer docemus omnes, perfectum in
diui-

diuinitate,& perfectũ in humanitate:verũ Deũ,& verũ hominẽ,eundẽ ex rationali anima & corpore,coëssentialem Patri secundum deitatẽ,& coëssentialem nobis secundum humanitatem,per omnia nobis similem, dẽto peccato,&c. Agnoscimus etiam, hunc solum esse Mediatorem inter Patrem & nos,quibus datum est in ipsum credere : Regem nostrum,cui data sit omnis potestas(hæc cùm sit officij,& per consequens Personæ, non est inscitè cõfundẽda cũ omnipotẽtia,quę est ipsa Dei essentia)in cœlo& terra:& Apostolum nostræ Confessionis,vt qui Euangelium promulgârit,Sacramenta duo instituerit, & œconomiam ministerij Ecclesiastici, militanti Ecclesiæ accommodatissimam,instituerit. 1.Tim. 2. Matt.28. Hebr.3.

Põtificij,etsi de Persona Immanuelis, & de vnione hypostatica litẽ nobis nõ mouent,in his tamẽ grauissimè peccãt.Primùm, q̃ & Christo, qui vnica pro peccatis nostris oblatione,nostra peccata expiauit, Collegas adiungunt Sacrificulos,quos fingũt Sacrificium incruẽtum in Missa,pro peccatis viuorũ mortuorúmq; offerre:& quòd Vnico Mediatori & intercessori Christo, plurimos Mediatores & Mediatrices adiungunt. Hanc impietatem,& eius σοφὸν φάρμακον quo nunc Romanenses vtuntur,Diuus Ambrosius improbans : Solent,inquit,pudore passim neglecti Dei misera vti excusatione,dicentes, per istos posse ire ad Deum,sicut per Comites peruenitur ad Regem.Age nunquid tã demens est aliquis, aut suæ salutis immemor, vt honorificentiã Regis vindicet Comiti,cùm de hac re si qui tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis?Ideo ad Regem per Comites & Tribunos itur, quia homo vtique est Rex,& nescit quibus Rempub.debeat credere. Ad Deum autem(quem vtique nihil latet,omnium enim merita nouit)promerendum suffragatore non opus est,sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei respondebit illi. Ambros. in Rom. 1.

Secundò,in eo peccant,quòd Sanctorum tutelę se suáque omnia superstitiosè commendant,& quòd prætoriam,immò regiam potestatem sibi arrogant,nouas leges condendi,(verbi gratia,vsum vnius speciei in Cœna Domini sanciendi,quod ausa est Constantiensis Synodus) Scripturas interpretandi,sic vt Lesbię regulę instar seruire cogatur personis malè pronunciãtibus.

Postremò,quòd & doctrinæ Christi multa de suo assuere (Lymbum Patrum & Puerorum,Purgatorium,& alias nugas) multa in ea pro sua libidine peruertere:Sacramenta quinetiam septem(cum duo solùm sint, Baptismus & Cœna Domini)confingere : ac Ministerij Ecclesiastici à Christo institutam Oeconomiam peruertere,ínque eius locum partim Iudaismum, partim Ethnicismum referentem liturgiam,introducere sunt ausi.

LXX.

Nos Iesum Christum Dominum & caput nostrum,agnoscimus, & eúm Ecclesiæ suæ vsque ad consummationem seculi ádfuturum non dubitamus. Iuxta hæc dicta : Non est nomen aliud sub cœlo datum hominibus,in quo oporteat non saluos fieri. Verbum misit Deus filiis Israel,annuncians pacẽ per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus. Et cùm Iesus Christus sit hodiè,heri,idem & in secula,Ecclesia Christiana nullum aliud Caput agnoscit, nec vicario eius opus habet. Vt enim vir,caput est mulieris : sic etiam Christus,caput est Ecclesiæ. Dominũ nostrum. Matt.28. Act.4. Act.10. Hebr.13. Eph.5.

Pontificij, Christo Papam vicarium, sine omni diuini verbi auctorita-

Sigiſm. Neap. te,faciunt:fingunt hunc poſſe diſpenſare contra quatuor prima Concilia:itẽ contra quatuor Euangelia:licet non contra mentem: (ô cœlum non ſudas? ô terra non tremiſcis?) recénsque à ſe creatum papam hiſce verbis compellant:Tu es Sacerdos magnus,& Pontifex ſummus.Tu princeps Epiſcopo-rum,& hæres Apoſtolorum,in primatu Abel,gubernatu Arca Noe,Patriarchatu Abraham,ordine Melchiſedec,dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel,zelo Helias,mãſuetudine Dauid,poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus.Notum eſt illud:

Papa ſtupor mundi ſolus qui maxime rerum,
Nec Deus es,nec homo,quaſi neuter es inter vtrumque.

LXXI.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: natus ex Maria virgine.

Deut.6. 1.Tim.2. & 6.

Nos ὁμοδυμαδὸν fatemur,Dominum Ieſum Chriſtum, conceptum de Spiritu ſancto,natum ex θεοτόκῳ virgine Maria.Ac de hac reuerenter,vt par eſt,ſentientes & loquentes,ſanctam virginem,θεότοκον,benedictam inter Mulieres, meritis & ſanguine Filij ſui redemtam ſtatuẽtes, eius fidem,obedientiam erga Deum,& alias virtutes nobis imitandas iudicamus. Adorandam verò, pro Mediatrice apud Deum,pro regina cœli & ſpe noſtra habendam, citra contumeliam,pernegamus.Nam Deum ſolùm adorare, & Chriſtum Ieſum tanquam vnicum Mediatorem agnoſcere, & Regem vniuerſorum Deum credere,ex ſacris Dei viuentis oraculis didicimus. Credimus etiam Filium Dei, ſecundum carnem,fratribus ὁμοίσιον & per omnia, peccato excepto, ſimilem eſſe.

Pontificij hyperduliam D.Mariæ deferentes, Templa in honorem eius ædificantes,eam adorantes & eidem multa accepta referentes, tantum cultui Deo ſoli debito detrahunt,quantum Mariæ virgini præſtant.Iidem Chriſto affingunt corpus facticium,non ex ſemine Abrahæ & Dauidis,ſed ex pane in Miſſa Pontificia,vi verborum conſecrationis tranſſubſtantiato.

LXXII.

Paſſus ſub Pontio Pilato,Crucifixus, mortuus, ſepultus. Ioan.1. 2.Cor.5. Hebr. 10.

Credimus Chriſtum Ieſum, ſemel in carne paſſum & Agnum illum qui peccata mundi tollit,oblatione vnica pro multis peracta,non amplius moriturum,nec ſæpius offerri.Iuxta hæc teſtimonia:Ecce Agnus Dei,qui tollit peccata mundi.Eum,qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum, vt nos fieremus iuſticia coram eo.Chriſtus vna pro peccatis oblata victima,in perpetuum ſedet ad dexteram Dei. Chriſtus vnica oblatione, conſecrauit in perpetuum eos,qui ſanctificantur.

Hebr.6.

Pontificij,Filium Dei, quantũ in ipſis eſt, ἀνασταυροῦντες καὶ παραδειγματίζοντες, id eſt,rurſum crucifigentes & ad ignominiam exponentes, in Miſſa à Sacrificis ſuis,Patri ceu victimam piacularem offerri,& eius merita,ex opere operato,tam celebranti Miſſam, quàm iis,quorum cauſſa celebratur, adplicari, fingunt.Deinde,quibuſdam locis,non tantũm in Templis Crucifixo adhibito,& pro concione hiſtrionicè repræſentato:ſed etiã ludis ſcenicis, mortem, ſepulturam & reſurrectionem Chriſti, (haud maiore cum deuotione, quàm ſi Sophocleam Tragœdiam, Mimis in proſcenium introductis, agerent)ſummo cum piorum ſcandalo ἐνδιατρίζειν ſolent.

LXXIII.

Deſcẽdit ad. infernа. Actor.2.

Dolores inferni,noſtra cauſſa Chriſtum ſuſtinuiſſe & ſuperauiſſe,credimus.

Infer-

Infernum autem, & in eo ignem inexstinguibilem Diabolo præparatum & reprobis, non dubitamus. Matt. 25.

At Pontificij miras fabellas, de locali Descensu Christi ad inferna, de Patrum & Puerorum sine baptismo decedẽtium Lymbo, de Purgatorio igne, è Virgilio & aliis depromtas, affingunt Symbolo Apostolico.

LXXIIII.

Nos tertia die postquam passus esset, Christum, solutis doloribus mortis, propter iustificationem nostri resurrexisse: ac eius beneficio & virtute, nos in hac quidem vita spiritualiter resurgere, vt in vitæ nouitate ambulemus: olim autem resuscitandos esse ad æternam vitam, firmiter statuimus. Tertia die resurrexit à mortuis. Rom. 6. 1. Cor. 15. Ioan. 5.

Pontificij etsi ista non negant, tamen contumelia afficiunt Regem gloriæ Christum Iesum, quãdo in die Resurrectionis eius, Idolum ceu ficticiũ Christum, è monumento attollunt, & histrionicen populo Dei indignã exercẽt.

LXXV.

Nos Christum Iesum, quadragesimo die post resurrectionem, in cœlos ascendisse, credimus. Caussam ascensionis ipsemet indicauit: Proficiscor, dicens, paraturus vobis locum. Et cum profectus fuero, & parauero vobis locum, rursus veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ipse, & vos sitis. Item: Qui descendit, ipse etiam ascendit longè supra omnes Cœlos, vt impleret omnia. Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos, &c. Ascendit in cœlũ. Ioan. 14. Eph. 4.

Quis autem sanus & intelligens non miretur Comœdorum instar, Pontificios, seu Idolum, seu Sacrificum, spectantibus ignota lingua benedicentem, func ad Templi testudinem vsque attollere, & isto ludo irridere Christi Iesu in cœlum Ascensionem? Itáne hoc est decenter & ordinè in Ecclesia omnia agere? 1. Cor. 14

LXXVI.

Cum Dauide dicimus: Dixit Dominus Domino mẽo, Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Memoria etiã repetimus illud Pauli: Itaque si resurrexistis cum Christo, superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superna curate, non terrestria. Sedet ad dexteram Dei Patrisomnipotentis. Psal. 110. Colos. 3.

Pontificij, Christum in Theatrica circumgestatione se circumferre & eũdem in Ciborio se asseruare fingũt: eãmque ob caussam prouoluti in genua, adorant Panem tanquam Deum. Quis hanc ἀρτολατρείαν, qua profanatur Cœna Dominica, non exsecretur?

LXXVII.

Nos Dominum nostrum Iesum Christum, reducem & vniuersorum Iudicem exspectamus. Iuxta hæc dicta: Hic Iesus (dicebat Angelus) qui assumtus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Omnes sistemur apud tribunal Christi. Deus statuit diem, quo iustè iudicaturus est orbem terrarum, per eum virum, quem definiit, &c. Inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Act. 1. Rom. 14. Act. 17.

Pontificij etsi ista non negant, in eo tamen peccant, primùm quòd Christo, tanquam absenti vicarium Papam substituunt, & quicquid ipsi arridet, id sanctum haberi volunt: deinde quòd eius personam sibi sumunt, qui dicit: Cunctatur Dominus meus venire: ac non desinit conseruos percutere Matt. 24.

& occidere, edere quinetiam & bibere cum ebriis. Est igitur cur ij, qui non resipiscunt, eandem cum seruo illo pœnam se subituros, sibi certò persuadeant.

DISPVTATIO SETPIMA, IN QVA DE Spiritu sancto, & de Ecclesia, agetur.

LXXVIII.

Credo in Spiritum sanctum.

CREDIMVS etiam Spiritum sanctum, esse tertiam personam in sacrosancta illa Triade: Patri & Filio coessentialem & coæternum, vt qui vtriusque essentialis virtus sit: & ab vtroque procedens, vtriusque spiritus sit & dicatur. Credimus etiam hoc inspirante loquutos esse sanctos Dei homines, & adhuc loqui. Ei etiam regenerationem & renouationem no

Matt.28. Ioan.15. Rom.8. 2.Pet.1. Ioan.3. Tit.3.

strari acceptam ferimus: nec aliud volumus quàm id quod hæc dicta demonstrant: Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Quum venerit ille Consolator, quem ego mittam vobis à Patre (spiritus inquam ille veritatis, qui à Patre emanat) ille testabitur de me. Quòd si quis spiritum Christi non habet, non est eius. Non hominum voluntate allata est prophetia: sed spiritu Dei loquuti sunt sancti Dei homines. De regeneratione autem dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Non ex operibus nostris, sed ex misericordia sua, seruauit nos, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

Consule Decreta Synodi Tridentinæ.

Vtinam verò tandem desinant Pontificij contristare Spiritum sanctum, & eidem repugnare, quando non tantùm ea opinionum suarum commenta de Peccato Originis, de Iustificatione, de vsu integri Sacramenti, &c. ei affin gunt, quæ in oraculis Prophetarum & Apostolorum, disertè damnauit: sed etiã anniuersario ludibrio in festo Pentecostes, sparsis oblatis, igne & emissa Columba, nequaquam ex fide, œconomiã effusionis illius in Apostolos, traducunt. Annon contumelia afficit spiritum veritatis, qui ἀσύχατα decreta ei tribuit, qui hominum deliramenta & mendacia ei affingit? In superstitioso autem ritu, quantum mali inest? Sed non libet pluribus hæc tractare.

LXIX.

Credo sanctam Ecclesiã catholicam, Sanctorũ communionem.

Ecclesiam Catholicam, sanguine Filij Dei redemtam, à Spiritu sancto regenitam, vnicum Caput habere, & arrhabone Spiritus sancti, & vinculo fidei, vsu etiam verbi & Sacramentorum, discerni ab infidelibus, statuimus. Iuxta hæc dicta: Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Christus caput est

Actor.20. Ephes.5.

Ecclesiæ, quam dilexit, & rradidit semetipsum pro ea, vt eam sanctificaret, purgans lauacro aquæ per verbum: vt sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta & inculpata. Profecti docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine

Matt.28.

Patris, Filij & Spiritus sancti: docẽtes eos seruare omnia quæ præcepi vobis.

1.Cor.11.

Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis. de Cœna Domini loquitur.

At Pontificij particularem Romanam Ecclesiam, pro Catholica venditant: Papam quoque Ecclesiæ Caput fingunt: & successionem ac potestatẽ Episcoporum suorum, inter alia pro notis Ecclesiæ habent.

LXXX.

Sceptro verbi diuini Ecclesiam regi, cum Prophetis & Apostolis profitemur. Iuxta dicta: Si quis aliud Euangelium, præterquàm id quod vobis euangelizauimus, prædicauerit, Anathema sit. Ad legem & ad testimonia, si non dixerint iuxta verbum hoc non orietur eis lux matutina. Scrutamini Scripturas, nam hæ testantur de me. Huius studij exemplum de Berrhœensibus, exstat in Actis Apostolorum. Psal. 45. Gal. 1. Isa. 8. Ioan. 5. Act. 16.

Pontificij, Traditiones humanas, decreta Paparum Romanensium, consuetudines suas obseruandas esse contendunt, & secundum hominum mandata Ecclesiæ regimen instituunt. Vbi, inquit Papa, est maioritas, ibi est præcipiendi auctoritas: reliquos manet obediendi necessitas.

LXXXI.

Ecclesiæ notas præcipuas esse dicimus Fidem, Spem, Charitatem, Spiritus sancti arrhabonem: proximas autem, vsum verbi & Sacramentorum, qui communis esse potest (si externa spectes) fidelibus & hypocritis. Testimonia de non fallentibus notis suprà adducta sunt. Itaque de Secundariis, vnicum tantùm enunciatum adducemus. Non qui est in propatulo Iudæus Iudæus est: nec ea quæ est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Iudæus est, & circumcisio cordis, id est, in spiritu, non litera: cuius Iudæi laus non est ex hominibus, sed ex Deo. Idem de Christianismo dici potest. Rom. 2.

Quis autem ignorare potest, eos demum pro Christianis & Catholicis à Romanæ sedis assectis haberi, qui se baptizatos gloriantur, etiamsi nulla interim Sancti spiritus in ipsis habitantis testimonia proferunt: qui præmissa confessione scrupulosa suorum peccatorum, in feriis Paschalibus truncata Cœna vtuntur: qui Missas, à se non intellectas, superstitiosè frequentant: qui successionem Episcoporum, non iam dicam qualium, magnificiunt: qui denique placitis Papæ stántque cadúntque?

LXXXII.

Nos Scripturæ interpretationem, Regulæ fidei congruentem, esse donũ Dei, statuimus. Iuxta illud Pauli dictum: Sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis varia, siue prophetiam, iuxta analogiam fidei. Rom. 12.

Aduersarij, potestatem interpretandi Scripturas, Episcopis suis etiam ἀναλφαβήτοις affingunt: cùm tamen maxima horum pars sit bonarum literarũ, nedum S. Theologiæ, ignara: ac tantùm non pudeat Episcopos illos concionari in Templis, pigeat etiam versari apud commissum ipsorum fidei gregẽ. Itaque de iis cogitanti, non potest non in mentem venire illud propheticũ: Speculatores eius cæci, vniuersi ipsi nihil norunt: vniuersi ipsi Canes muti, qui non valent latrare, dormitantes, iacentes, diligentes dormitare. Canes autem fortes anima non nouerunt saturari, & ipsi pastores non norunt intelligere, vniuersi in viam suam reuersi sunt, quisque ad auaritiam, in termino suo. Venite, inquiunt, accipiamus vinum, & inebriemur sechar: erítque sicut hæc, dies crastina, vel maior multò cum excellentia. O pastor idolum, qui derelinquit gregem suum, &c. Isa. 56. Zach. 11.

LXXXIII.

Nos Episcopos Ecclesiarum Ministros, promos & cõdos oraculorum &

Sacramentorum Dei esse debere, non dubitamus.

Luc.22. Episcopi autem Pontificij, exemplo Papæ, Principes huius mundi & Satrapæ esse malunt. contra expressum Seruatoris nostri dictum: Reges Gentium dominantur eis: & qui potestatem habent, benefici vocantur. Vos autem nõ sic: sed qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est. Quid igitur sibi volunt, tot dignitatum formis & titulis, cùm eorum sit, modò officium facere velint, seruire, non dominari, clero Domini?

1.Pet.5.

LXXXIII.

Norma diiudicãdi Cõtroversias de Religione. Ioan.5. 1.Cor.2. Actor. 15. & 17.

Nos vnicam diiudicandi Controuersias de Religione Normam, sacram videlicet Scripturam (cui Symbola adiungimus, Apostolicum imprimis, Athanasianum, Nicenum, &c.) agnoscimus: memores mandati: Scrutamini scripturas, nam hæ testantur de me. Item: Spiritualibus spiritualia coniungentes. Ita enim Synodus Ierosolymitana diiudicauit controuersiam de legalibus Ceremonijs, adhibitis Scripturæ Testimonijs, & ijsdem ritè expensis. Laudatur etiam Berrœensium pium studium, qui generosiores ijs qui Thessalonicę erant: vt qui receperint Sermonem cum omni alacritate, quotidiè scrutantes Scripturam, an hæc ita haberent?

Vellem sanè Pontificios vel nunquam in Deum contumeliosos fuisse dictitando, Scripturam sacram non iudicis vocem, sed litis materiam esse: Eãdem ambiguam, obscuram, &c. vel nunc tandem vnà nobiscum precari ex animo: Inclina corda nostra ad testimonia tua, & non ad auaritiam. Melior est Lex oris tui, quàm multa millia talenta auri & argenti. Placet enim nobis illud Petri Apostoli, apud Clementem Alexandrinum: ὃδον ἄπερ γραφῆς λέγομεν.

Psalm.119

LXXXV.

Nos Ecclesiæ Noui Testamenti, Sacramẽta esse dicimus Baptismũ & Eucharistiam, de quibus illustria testimonia exstant. Baptizate eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti. Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu, nõ intrabit in regnum Dei. Hoc facite in mei commemorationem. Ego à Domino accepi, quod tradidi vobis.

Matt. 28. Ioan.3. Matt. 26. Luc.22. 1. Cor.11.

Pontificij quinque alia Sacramenta addunt, videlicet Confirmationem, Pœnitentiam, Matrimonium, Ordinem, Vnctionem extremam.

LXXXVI.

Confirmationem & institutionem Catechumenorum, vsitatam in vetere Ecclesia, & in nostris Ecclesijs quasi postliminij iure restitutam, modis omnibus probamus. Necessaria est enim accessuris ad Cœnam Domini, Catechetica institutio in doctrina fidei & charitatis.

Confirmatio autem papalis, (quam illi Sacramentum esse fingunt, cùm tamen nec promissione, nec Dei mãdato, nec Elemẽto diuinitùs sanctificato, constet) quid, quæso te, aliud est, quàm ludus scenicus & irrisio religiosi exercitij Catecheseos in vetere Ecclesia? Episcopus (aut huius vices gerẽs) pedo pastorali, bicorni mitra, totáque panoplia episcopali ornatus, sedens in loco excelso, vnctione & alapa, omissa Catechesi peragit tremendum hoc mysterium: vt gratiam quæ in Baptismo collata fuit ad innocentiam, in Cõfirmatione augeat ad pugnam. Verbis conceptis, dum frontem vngit & cruce signat, hisce vtitur: Signo te Paule, vel Paula, signo sanctæ Crucis, & cõfirmo te

Polydorus Virgilius.

mo te chrismate salutis, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: vt replearis Spiritu sancto, & habeas vitam æternam. Postremò, alteram infantis malam, leuiter manu tangit: si verò sit adultus, grauius verberat, vt eius mysterij reddatur perpetuò memor, dicens: Pax tecum. Quid verbis opus est? Negant verè Christianum, qui chrismate Episcopali non est inunctus. Colaphus reminiscentiæ seruiens.

LXXXVII.

Conuersionem ad Deum, quam vulgò κατάνυξιν καρδίας Pœnitentiam vocant, dicimus esse donum Dei, quod & iugi mortificatione carnis & viuificatione spiritus constat. Paulus alia Metaphora vtens: Nempe, inquit, deponere, quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: renouari verò spiritu mentis vestræ, & induere nouum hominem, qui secundum Deum conditus est, &c. Pœnitentia. Ephes. 4.

Pontificij Pœnitentiam, inter Sacramenta malè recensentes, sic perperam definiunt: Est contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis. Est plangere præterita delicta, & plangenda non facere. Requirunt etiã ea quæ simpliciter impossibilia & absurda sunt, videlidet perfectam Cõtritionem, quæ desperationis mater est: omnium peccatorum enumerationem: & plenam pro omnibus Satisfactionem: quam cum à nemine prẽstari norint, Indulgẽtiarum pias (si credere fas est) fraudes exercent, & accepta pecunia, remittunt Satisfactiones. In promulgatione quinetiam Absolutionis, peregrino Idiomate vtuntur: id quod non minus absurdum est, quàm si Magistratus noster de iure rogatus à subditis Germanis, gallica lingua ipsis ignota respondeat. Ecquando tandem illis in mentem veniet Pauli Apostoli: Linguæ igitur sunt signum, non ijs qui credunt, sed infidelibus: Prophetia verò non infidelibus, sed credentibus. Linguæ peregrinę vsus. 1. Cor. 14.

LXXXVIII.

Matrimonium honorabile, & thorum impollutum probamus, & eis qui dono continentiæ destituti sunt, vt in Domino matrimonium contrahant, suademus: nec matrimonium vlli hominum ordini interdicimus. Matrimonium. Hebr. 13. 1. Cor. 7.

Pontificij, nunc Matrimonium inter Sacramenta (sed malè) recensent: nunc ceu profanum & carnale vitę genus Monachis & Clericis interdicunt, dæmoniorum doctrinam profitentes: de qua Paulus: Spiritus autem diserte dicit fore, vt posterioribus, temporibus, desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscięntia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus. 1. Tim. 4.

LXXXIX.

Ordinem docentium & discentium in Ecclesia, agnoscimus, & Filiũ Dei sedentem ad dextram Dei, dona dare hominibus, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores & Doctores: extrudere Operarios in messem suam, minimè dubitamus. Ordo. 1. Cor. 14. Ephes 4. Matth. 9.

Pontificij non tantùm falsò inter Sacramenta Noui Testamẽti Ordinem referunt, (quasi nullus in Ecclesia veteris populi fuerit) sed etiam luculẽto, si Deo placet, auctario, numerum Sacramentorum augent. Propter

septiformem gratiam Spiritus sancti, septem Ordines esse aiunt, quorum primus sit Sacerdotum, secundus Diaconorum, tertius Subdiaconorum, quartus Acoluthorum, quintus Exorcistarum, sextus Lectorum, postremus Ostiariorum. Sacerdotem definit Eccius, personam quæ habet potestatem consecrandi corpus Christi verum, & absoluendi corpus Christi mysticum. Non videt Sacerdotij honorem in Nouo Testamento, soli Christo, qui & Sacerdos est secundum Ordinem Melchisedec, & se Patri, victimam propitiatoriam obtulit in ara crucis, cõpetere: & de omnibus qui sunt in Ecclesia dictum: Vos estis genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta. Sacerdoti etiam recens inaugurato, non tam ministerium docẽdi in Ecclesia verbum Dei, quàm sacrificandi pro viuis & mortuis potestas, demandantur.

Sacerdos.

1. Pet. 2.

Diacono, cùm is creatur, imponitur stola, & offertur Postillarum liber, manúsque ei imponit & verba quædam concepta Suffraganeus pronunciat.

Subdiacono traditur Calix, Patena & Vrceus aquæ lustralis.

Exorcistæ, destituto potestate eijciendi dæmones, traditur Exorcismorum liber: Lectori, liber: Ostiario, Claues, exhibentur. Cætera quæ illi adiungũt, tum dicta tum facta, non est cur pluribus exponamus.

X C.

Olim vigente adhuc in Ecclesia sanationum dono, vnctio medica adhibita fuit à Noui Testamenti Ministris ad sanandos ægrotos: vt est videre apud Marcum Euangelistam, & in Epistola Iacobi. Apostoli, inquit ille, egressi, prædicabant vt resipiscerent (homines), & dæmonia multa eijciebant: vngebántque oleo multos ægrotos, & sanabant eos. Hic autem dicit: Infirmatur quis inter vos? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei seruabit laborantem, erigétque eum Dominus: quòd si peccata commiserit, remittentur ei.

Vnctio extrema.

Marc. 6.

Iac. 5.

Sacrificuli, ægrotos animam iam agentes, & cum morte luctantes (vt & nascentibus, & viuentibus, & morientibus sint molesti) inungunt fœtido oleo, ac recitant hæc verba: Per istam sanctam vnctionem & pijssimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quicquid peccauisti per visum, auditum, olfactum, gustum & tactum.

X C I.

Baptismus est, non sordiũ carnis depositio, sed lauacrum renouationis & regenerationis Spiritus sancti, qui inuocatur vnà cum Patre & Filio: in quo etiam fit stipulatio bonæ conscientiæ per Iesum Christum, quem initiati inque Dei fœdus cooptati, induunt, vt cum eodem resurgentes in nouitate vitæ ambulent, de adoptione in filios Dei plenè persuasi.

Baptismus

1. Pet. 3.
Tit. 3.
Gal. 3.
Rom. 6.

Dicimus Baptismum vnum esse: quem tamen Elemento Aquæ seu signo visibili ad eam rem sanctificato: & re Signata, hoc est, aspersione Sanguinis Christi, à quo emundatio à peccatis, adoptio & alia effecta dependent, constare, cum sancta Scriptura agnoscimus. Inde Aquæ & Spiritus Baptismus: de quibus suprà egimus.

Eph. 4.

Pontificij, etsi substantialia, quæ vocant Baptismi retinent, ea tamen turpissimè conspurcant, adhibitis Exorcismis, (quibus opus est, cum Energumeni & obsessi à malo Dæmone sunt curandi: non cùm filij fœderis & testamenti, sunt baptizandi) fœtida saliua & sputo, puluere & alijs sordibus, &

super-

superstitiosis ritibus. Peccant etiam, cùm ignota Ecclesię & parentibus, qui liberos suos baptizãdos offerunt, lingua hæc sacra peragunt: non expendentes illud Apostoli: Sed in Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui, vt & alios instituam quàm decem millia verborum lingua. 1. Cor. 14.

XCII.

Tres errores de Cœna Domini, nobis vitãdos indicamus. Primus est eorum, qui negant & tollunt è medio Signa, Panem videlicet & vinum Domini. Secundus error eorum est, qui Rem signatam (Rem sacramenti vulgò vocant) negant: hoc est, qui tollunt è Sacra Cœna nucleum, seu potius id quod omnium est pretiosissimum, videlicet κοινωνίαν pro nobis traditi Corporis Christi, próque nobis fusi sanguinis Christi. Tertius eorum est, qui vsum Dominicæ Cœnæ peruertunt, & in rem & actionem toto genere diuersam, conuertunt. Eucharistia.

Pontificiorum Missa, in qua verè ὄλεθρον ὑγιὲς esse dixeris, omnes istos, quos modò enumerauimus, errores complectitur, ac pugnat cum Substantia & vsu Cœnæ Dominicæ.

Primum enim errorem profitentur Missæ assertores, cum Transsubstantiari panem in Corpus Christi, vinum in sanguinem Christi, accidentibus tantùm illorum Elementorum manentibus, dictitant. Noti sunt ridiculi versus Thomæ Aquin. 1. Transsubstantiatio tollit signa.

Dogma datur Christianis,
Quòd in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Præter rerum seriem.

Pugnat autem hoc eorum commentum, & cum integritate & analogia Sacramenti & Rei signatæ, & cum naturæ ordine: accedentia enim sine subiecto quî possunt subsistere?

Tollunt etiã Pontificij rem Sacramenti, cum dicunt illud corpus in Missa sua offerri Deo & percipi in Cœna, quod per transsubstantiationem vi verborum Consecrationis ex pane est productum. Atqui panis quem frangimus, est communicatio Corporis Christi, quod ex semine Dauid, conceptum est de Spiritu sancto, & natum ex Maria Virgine. 2. Eadem affingit Christo corpus ex pane cõfectum.

Porrò, qui ad vsum salutarem Cœnæ Domini, opus operatum solùm requirunt, fidémque non esse necessariam fingunt, Cœna Domini vtentes, Re cœlesti, (ad quam non sensus & eorum instrumenta, sed fides sola pertingit) frui negant. At verò Caietanus Cardinalis in Comitijs Augustanis, Anno Domini 1518, Ecclesię Romanæ caussam agens, vitio dedit D. Luthero, quòd docuisset, fide opus esse ad salutarem vsum Dominicæ Cœnæ. Quis igitur non videat, eos rem Sacramenti tollere, cum in operatum opus tantùm respiciunt, quod seruit signo & eius perceptioni? Annõ autem lõgè absurdissimum est, fingere Christum & eius merita applicari alijs opere operato Sacrificuli: cum Iustus fide sua viuat? 3. Negans fidem requiri, negat rem Sacramẽti percipi. Rom. 1.

Substantiam etiam Sacramenti truncauerunt. Dominus Iesus enim Cœnam instituens, dixit: Hoc facite in mei memoriam. & de Poculo: Bibite ex hoc omnes. Reclamat furenter Synodus Constantiensis, & dicit: Immò soli Sacrifici, qui barbas non alunt, & quorum dignitati consulendum est, bibãt 4. Mutilatio Sacramenti. Matth. 26. 1. Cor. 11.

è poculo Domini. Laici autem altera ſpecie ſint contenti: & meminerint Concomitantiæ: ſciant Carnem non eſſe ſine ſanguine. Annon hoc eſt os impudens in cœlum attollere, & θεομαχεῖν.

5. Sacrificium eſſe fingunt.

Iam verò, ſi actionem & vſum ſpectes, ex Sacramento Pontificij fecerunt Sacrificium Propitiatorium, quod pro viuis & mortuis oblatum, gratiam & iuſtificationem, liberationem è Purgatorio & omnibus periculis, impetrare ſomniant. Necdum tamen Pontificiis conuenit de ſpecie Sacrificij: aliis Euchariſticum, aliis Propitiatorium eſſe dicentibus.

6. Sacramentum extra vſum.

Addunt iam adnotatis & multis aliis erroribus hunc quoque, Extra vſum ſigna habere rationem Sacramenti: eóque nomine Panem Ciborio incluſum tanquam numen, adorant & aſſeruant: & eo abutuntur ad ſuperſtitioſos & impios ritus.

7. Miſſa quibus proſit. Bonauēt. lib. 4. diſt. 12.

Mortuis etiam prodeſſe Miſſam fingunt, ac pro iis offerunt Panem: quem in tria fruſtula cur comminuant, & quid ſibi ritu illo velint, hi verſus Bonauenturæ teſtantur:

Hoſtia diuiditur in partes, tincta beatos,
Planè ſicca notat viuos, ſeruata ſepultos.

XCIII.

Vt multos & graues errores prętéream, coronidis loco addam Etymologiam Miſſæ, traditam ab eo viro, qui Romanæ Eccleſiæ addictus fuit, & ingenuè fatetur ab Ethnicis præſtigiis homines χαιροζήλους Miſſæ appellationem ſumſiſſe: & adducit ad hanc rem idoneum teſtimonium Apulei, qui Aſini ſui Aurei lib. 11. cùm dicit, ſe interfuiſſe ſacris Iſidis Deæ, addit, ea concluſa fuiſſe his verbis: λαοῖς ἄφεσις. Exin, ait, gaudio delibuti populares, talos, verbenas, corollas ferentes, exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argẽto formata, ad ſuos diſcedunt lares. Idem mos, inquit Polydorus, à noſtris ſeruatur, vt peractis ſacris, per Diaconum pronuncietur: Ite, Miſſa eſt. quod idem eſt quod ilicet, id eſt, ire licet.

Polydorus Virgilius, de Rerum inuentoribus lib. 5. cap. 12.

XCIIII.

Ex animo autem veræ Eccleſiæ Confeſſionem repetimus, quam Apoſtolus Petrus his verbis complexus eſt: Ieſu Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. De remiſſione peccatorum propter Chriſtum promiſſa & præſtita, negamus dubitandum: ſed illud Patris fidelium elogium meditandum: Aduerſus promiſſionem Dei non diſceptauit infidelitate: ſed robuſtus factuseſt fide, data gloria Deo.

Credo Remiſſionem peccatorum. Act. 10.

Rom. 4.

Pontificij econtrà, Si quis, aiunt, dixerit, omni homini, ad remiſſionem peccatorum aſſequendum, neceſſarium eſſe vt credat certò, & abſque vlla hęſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.

Concilij Trid. Seſſ 6. Can. 13.

XCV.

Nos peccata à Deo per gratiam nobis remitti credimus, nec alium Iuſtificationis noſtræ modum agnoſcimus, quàm eum de quo Paulus: Omnes peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei. Iuſtificantur autem gratis, id eſt, ipſius gratia, per redemtionem factam in Chriſto Ieſu. Colligimus fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis.

Rom. 3.

Pon-

Pontificij operibus legis,& traditionum humanarum obseruatione, hominem iustificari,adfirmant: varios expiandi peccata modos venditant. Notum est ipsorum distichon:

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per hæc venialia pono.

XCVI.

Quemadmodũ animas nostras,quas immortales esse lætamur, vbi è Corpore,à Patre spirituum, euocatæ fuerint, in Paradisum ad Christum Iesum traduci non dubitamus : ita speramus corpora nostra resuscitanda in nouissimo die & illustri Christi Iesu aduentu. Iuxta hoc dictum Saluatoris : Ne hoc miramini:nam veniet hora,qua omnes qui in monumentis sunt, audiẽt vocem Filij hominis.Et prodibunt , qui bona fecerunt,in resurrectionẽ vitæ:qui verò mala egerunt,in resurrectionem condemnationis. Ego sum resurrectio & vita:qui credit in me,etiamsi mortuus fuerit,viuet. Et quisquis viuit,& credit in me,non morietur in æternum. Credo carnis resurrectionẽ. Luc.23. Phil.1. Ioan.5. & 11.

Pontificij,etsi non cum Sadducæis negant resurrectionem Carnis,tamen non nesciunt,quæ fuerint quorundam Paparum de Animæ immortalitate, opiniones.Ioannes XXII.Animas vnà cũ corporibus exstingui , & cũ eisdẽ suscitandas putauit.Leo X.voluptatibus ebrius, cum Philosophos de Animæ immortalitate differentes audiuisset,recitauit versiculum Galli:

Et redit in nihilum, quod fuit antè nihil.

Sed omitto illa particularia de Personis,quas iudicabit Deus. Illud tantùm moneo, credibile non esse, eos benè de Carnis suscitatione à mortuis sperare,qui de animæ immortalitate ἐποχὴν & Academico more contendere audẽt:& interea voluptatibus dediti,Christũ persequuntur in membris suis.

XCVII.

Etsi autem,cum datur ipsis occasio, hostiliter nos persequuntur Pontificij,& publicè in Synodo sua Anathema nobis pridem denunciârunt, multósque è nostro cœtu diuersis suppliciorum formis, in præcipuis Europæ Regnis,Germania,Gallia,Italia,Hispania, Britannia & aliis in locis affecerunt:tamen credimus nos vitæ æternæ hæredes, & Christi Iesu cohæredes fore.Nec metuimus eos qui possunt occidere corpus:animam verò occidere non possunt.Maledicent illi,at Deus nobis benedicet. Non temerè dixit Filius Dei: Beati qui persequutionem patiuntur iusticiæ caussa : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.Beati eritis cùm conuitiati fuerint vobis, & persequuti fuerint, & dixerint quiduis mali aduersus vos, mentientes propter me.Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.ita enim persequuti fuerunt Prophetas,qui fuerunt ante vos. Credo vitam æternam. Rom.8. Matt.10. Matt.5.

XCVIII.

Cum hac fidei doctrina (quæ in S.Bibliis historico ordine descripta exstat) pugnantia dogmata, & omne pharisaicum fermentum,omnem ἑτεροδιδασκαλίαν,nobis fugiendam,iudicamus.Iuxta dictum:Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis , præter id quod vobis euangelizauimus, anathema esto. Gal.1.

OCTAVA DISPVTATIO IN QVA

exponuntur & declarantur Pontificiorum nonnulli errores, cum DECALOGO *manifestè pugnantes.*

XCIX.

QVEMADMODVM doctrina Papæ & assectarum eius, multis modis pugnat cum doctrina Fidei, quæ tradita est in Symbolo Apostolico: multa etiam πάρεργα eidem affingit: Ita quoque multipliciter pugnat cum doctrina Charitatis, cuius summam Decalogus complectitur. Eius διαφωνίας quædam exẽpla recensebimus, si in genere illud testati fuerimus, toto cœlo pontificios errare, quando externis operibus legi satisfieri posse, putant. Item, cum dicunt esse Consilia, quæ tamen præcepta sunt, & mandatorum Dei declarationes secundum Circumstantias. Mat.5.6.7

C.

Cum primo præcepto Decalogi hæc pugnant: Fiducia iusticiæ operum: dubitatio de promissione gratiæ: hyperdulia Mariæ Virginis: dulia Sanctis præstita: figmentum de Mediatoribus & intercessoribus aliis, præter Christum: ἀρτολατρεία, quæ exercetur quando celebratur Missa.

CI.

Sed cum præcepto secundo pugnat multiplex Pontificiorum Idololatria, quam exercent circa Reliquias Sanctorum, Picturas & statuas Crucifixi & mortuorum hominum, quibus abominationibus Templa & domos replent & contaminant. Item, cultus panis consecrati, quem magna cum pompa gestant, & includunt Ciborio, adorant. & si quæ sunt huiusmodi abominationes aliæ.

CII.

E diametro autem aduersantur tertio præcepto, Exorcismi, quibus profanatur Baptismus. Consecratio Magica panis, lardi, olei, ouorum, &c. Baptismus Campanarum. Cœmeteriorum consecrationes. Ridiculi exorcismi, quibus stolidi quidam Exorcistæ, illudente eis Satana, ad energumenos curandos, ad spectra fuganda, vtuntur. Rosaria, horæ Canonicæ, εὐπολογίαι in precibus. Inuocatio Sanctorum, qui è viuis excesserunt. Iusiurandum in nomine creaturarum præstitum, &c.

CIII.

Cum Sabbati sanctificatione pugnant, profanatio Dominicæ diei, quæ fit cùm celebrantur Missæ, & peraguntur ritus superstitiosi, aut etiam impij: plurimæ illæ feriæ & dies festi in honorem hominum instituti: intermissio Concionum sacrarum: Conciones ineptæ, scurriles, satyricæ, plenæ fermento pharisaico. Amburbiæ oberrationes, ad delubra Sanctorum nescio quorum. Inhibitiones Sacrarum Concionum, & impia edicta de hisce non frequentandis. Prostitutio Idolorum, quorum aspectio, animos hominum à verbi Dei auscultatione auocat.

CIIII.

Quinto præcepto, quod est de honorandis Parentibus, aduersantur Pontificia

tificia decreta,de clandestinis liberorum contractibus Matrimonialibus,parentum ea iurè improbantium causſa,non reſcindendis: de voto Monachiſmi,quod negant Parentum aut liberorum causſa,etiamſi his illorum cura & ἀυτιπελαργώσει ſit opus,irritum fieri debere. Placet enim Pontificijs hæc diui Hieronymi (Heliodorum ad vitam Monaſticam, qualis ea tunc temporis erat,amplectendam exhortantis) hyperbolica oratio.Recordare,ait ille,tyrocinij tui diem, quo Chriſto in baptiſmate conſepultus,in ſacramenti verba iuraſti:pro nomine eius non te Patri parciturum eſſe, non Matri. Ecce aduerſarius in pectore tuo,Chriſtum conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas,hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pendeat nepos:licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus,vbera quibus te nutrierat oſtendat Mater:licet in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis euola.Solum pietatis genus eſt, in hac parte eſſe crudelem. Hieron. Tom.1. Epiſtol.1.

CV.

Præceptum,Ne occidito,tranſgrediuntur Pontificij non tantùm quãdo Sanctorum,qui profitentur Euangelion regni, corpora crudeliſſimè occidunt:ſed etiam cùm imponunt onera δυσβάσακτα, difficilia portatu & grauia, quæ ipſi digito ſuo mouere nolunt:cùm claudunt regnum cœlorum, (inhibitionibus ſacrarum Concionum & exercitiorum pietatis) coram hominibus, nolentes ipſi introire, & introeuntibus reſiſtentes:cum deuorant domos viduarum,in ſpeciem vtentes lõgis precibus: cùm templa Dei viua deſtruunt,manibus hominum exſtructa venerantur: cùm carnificinam Conſcientiarum exercent,exactione voti de Cœlibatu,Confeſſionis auricularis & ſcrupuloſæ,Satisfactionum canonicarum,Contritionis perfectæ, obſeruationis Traditionum humanarum,&c. Matth.23.

CVI.

Præcepto,Non mœchaberis,aduerſatur decretum Pontificium de impuro Cœlibatu Monachorum,Monialium,& Sacrificulorum,(ab his quæ occultè fiunt,turpe eſt vel dicere) Abbatum,Epiſcoporum,& Paparum. Cardinalis Campegij hæc fuit vox,Anno Chriſti 1526, in Comitijs Noribergæ indictis:Quòd Sacerdotes fiant mariti,multò eſſe grauius peccatum,quàm ſi plurimas domi meretrices alant:nam illos habere perſuaſum,quaſi rectè faciant,hos autem ſcire & peccatum agnoſcere. Nec enim omnes ea eſſe, qua fuit Baptiſta Ioannes,continentia.Item,lex pontificia,quæ coniugio ob adulterium ſoluto,perſonæ innocenti tranſitum ad ſecundas nuptias denegat. Adulterium quinetiam ſpirituale, quod Pontificij exercent, cum operibus manuum ſuarum, cum defunctis hac vita Sanctis, cum Idolis & Fanis, & multis alijs Idololatriæ adminiculis. Epheſ.5. Sleidanus li.4.Commẽtariorũ de ſtatu Eccleſ. & Reip.

CVII.

Pugnant cum præcepto, Non furtum committes, multiplices Simoniacorum fraudes,quas exercent cùm Religionem queſtui ſeruire volunt, rémque faciunt vndecunque. Gratis neminem baptizant: gratis non audiunt confitentem ſua peccata: vendunt Miſſas, Indulgentias, Sepulcra:etiam à mortuis vectigal & farinas exigunt. Prælaturæ, quas vocant,venales ſunt apud ipſos. Quorum exemplo Simoniam tantam exerceant,vel ex hoc de Alexandro VI.diſticho liquet:

Vendit Alexander claues, altaria, Christum:
Emerat ille prius, vendere iure potest.

De Leone X.

Ac. Sanaz. *Sacra sub extrema, si fortè requiritis, hora*
Cur Leo non potuit sumere? vendiderat.

Item, Monachi & Sacrificuli, Testamentorum captatores, qui etiam legitimis hæredibus fraudatis, rem communem Cœnobitarum, aut suam priuatam augent: & multæ aliæ impostura, cum eodem præcepto pugnantes.

CVIII.

Cum præcepto, Non dices falsum testimonium, pugnant calumniæ illorum, quibus traducunt Ecclesias pia docentes. Vt cùm Nouam doctrinam eis affingunt: cùm dicunt contemni ab eis Mariam Virginem, Sanctos homines, Magistratus legitimos, Disciplinam Ecclesiasticam, &c.

CIX.

Cum præcepto, Non concupisces, ἐπιθυμήσεις pugnat Canon Pontificius: Hanc Concupiscentiam, quam Apostolus peccatum aliquando appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum nuncupari, quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccandum inclinat: si quis autem cõtrarium senserit, anathema sit. Quantò rectius Augustinus, Sicut, ait, cæcitas cordis, & peccatum est, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur: & caussa peccati, cùm aliquid cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobedientia contra dominatum mẽtis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis: & caussa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis.

Concil. Trident. Sess. 5. De peccato Originis, art. 5. Contra Iulian. lib. 5.

CONCLVSIO.

Cùm ex Antithesi doctrinæ Fidei & Charitatis, quam vestigiis Prophetarum & Apostolorum insistentes ipsi profitemur, & Pontificię ἑτεροδιδασκαλίας, manifestum sit de Religione controuersiam non esse λογομαχίαν, sed de summis Capitibus Christianæ fidei, de Mediatore vnico Christo, de Originis Peccato, de Viribus humanis, de Prouidentia & Prædestinatione, de Ecclesia, Sacramentis, Ministerio Verbi, & multis aliis maximi momenti rebus controuerti, hæc monenda duxi.

Primùm: non esse cur quisquam Euangelicæ doctrinæ professionem & defensionem, ac secessionem à Romana Ecclesia (qualis ea nunc est, & seculis aliquot fuit) nobis vitio vertat. Etenim & propter gloriam Dei, qui inenarrabili gratia lucem Euangelij accendit: & propter, salutẽ animarum nostrarum, oportuit nos, Christi crucifixi veram agnitionem, omnibus huius mundi rebus præferre.

Deinde, discernendos esse errores à Personis: & illos quidem refutandos, ne gangrenæ in morem serpant, partésque sinceras inficiant: homines autem qui contrario animo sunt, cum lenitate erudiendos: ecquando det eis Deus, vt resipiscentes agnoscant veritatem, & liberentur è laqueo Diaboli, à quo captiui

2. Tim. 2.

captiui tenentur.

Postremò, quod eos attinet regni Pontificij triarios, qui ingeniis, facũdia, philosophiæ cognitione, & sua promtitudine ad disputandum confisi, etiam eas Pontificiorum errorum sordes propugnant, quas multi nec quidem attingere solent, & quarum plurimos pudere cœpit, non est cur veritatis æternę testes perturbentur. Infelix enim est defensio mendacij: & non modò difficillimum est, malam caussam benè agere: sed etiam inutile. Verè enim Clemens Alexandrinus, diuinitùs veritatem propugnari docens, inquit: ἀνίκητος μὲν ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δ' καταλύεται.

Quod superest, toto pectore, per nomen Iesu Christi, oro Deum Patrem clementissimum, vt nos per veritatem sanctificare pergat, reuocet errantes in viam, seruet & protegat Ecclesiam suam, & pia agmina docentium & discentium, tum in inclyta hac vrbe Basilensi, tum etiam alibi: détque vt halcyoniis istis vtamur & fruamur quàm diutissimè, ad nominis diuini sanctificationem, Sanctorum instaurationem, & patriæ communis commodum, Amen. Perscriptum Basileæ, Cal. Iunij, Anno Domini M. D. LXXVIII.

IEREM. XV.

Sic dixit Iehouah: Si conuersus fueris, tunc conuertam te, & coram me stabis: & si eduxeris pretiosum à vili, tanquam os meum eris: conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos.

DE MAGNO PIETATIS MYSTERIO, in S. Bibliis tradito.

I.

PROPOSITVM nobis est, magni Pietatis Christianæ mysterij, Periochen, Scopum & Methodum, breuiter tamen, demonstrare.

II.

Periochę hęc esto. Et citra controuersiã magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in Carne: Iustificatus est in Spiritu: visus est Angelis: prædicatus est Gentibus: fides illi habita est in Mundo: receptus est in gloria. 1. Tim. 3.

III.

Scopus vero hic est: Iesus Christus factus fuit nobis sapientia à Deo, iustitiáque & sanctificatio, & redemtio: vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Cor. 1. Ierem. 9.

IIII.

Methodus, quę partim Historica est, partim Didactica, Syllogismo vtriusque Testamenti summam, seriémque complectente, perstringi in hunc modum potest.

V.

Maior Enunciatio, copiosè tradita in toto vetere Testamẽto. Iehouah in-

carne patefaciendus,per quem annis abhinc 5541 secula condita sunt, si eius hypostasin spectes,erit θεάνθρωπος,& Immanuel ex Virgine,semen Mulieris, Abrahæ,& Dauidis secundum carnem Bethlehemæ, sceptro iam à Iehuda sublato nascetur:qui ratione θεότητος altera in diuinis persona,Patri & Spiritui Sancto συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος est. Si autem officium respicias, primùm est Sacerdos secundum ordinem Malkizedek, superior Leuiticis Sacerdotibus, vnica piaculari victima semel oblata,sanctificabit omnes saluandos : vt Librorum Mosis pars maxima,partim ῥητῶς, partim τυπικῶς,docet:deinde , Rex æternus vniuersorum,cuius regnum piorum Iudicum, Regum, Ducúmque Israelis gesta & successus συμβολικῶς commendarunt : postremò & Propheta, quem , pacem Spiritu Pauperibus euangelizantem, omnes homines audire oporteat:vt magno consensu Libri Prophetarum docent.Si denique opera, παθήματα & beneficia eius consideres, Principem pastorum agens, Euangelium regni annunciabit,stupendísque miraculis doctrinæ fidē faciet : mortem pro Electis superabit,vt Filios Dei dispersos colligat : in cœlos triumphans ascendet, vt det dona hominibus , effundátque de Spiritu suo super omnem carnem:Ecclesiæ perpetuò aderit,donec resuscitatis ab ipso omnibus qui in puluere terræ dormiunt,& τῇ δικαιοκρισίᾳ peracta,eam in possessionem regni cœlestis,quasi postliminiò reducat.

VI.

Minor tradita in quatuor S.Euangelistarum libris.Iesus Christus, qui vsque modò cum Patre operatur,primùm θεάνθρωπος est, Immanuel ex Virgine Maria, Herodis magni tempore, natus: deinde , Sacerdos summus & vnicus secundum ordinem Malkizedek:Rex mansuetus & iustus:& Prophe ta,seu nostræ Confessionis Apostolus,quem Pater æternus nos omnes audire iussit:adeóque est hodiè, heri, idem & insecula. Vt autem in temporis plenitudine,nostra caussa venit humilis,legíque obnoxius factus,vt benedictionis auctor nobis esset:Euangelion, & viua sua voce promulgauit , & illud tum vitæ morúmque purissima sanctitate , tum salutari τῇ ταυματυργίᾳ, cõprobauit:mortuus deinde propter nostra peccata, resuscitatus verò propter iustificationem nostri:ascendit in Cœlos, Apostolis demandato reconciliationis Ministerio:Sic idem Dominus noster Iesus Christus,in consummatione seculi, redibit & apparebit glorioSus : resuscitabit vniuersos mortuos:iudicabit viuos & mortuos:Electos suos,in Regni Patris,ipsis inde vsq; à Mundi constitutione præparati,hæreditariam possessionem (Reprobis cũ Satana in æternum ignem relegatis)introducet : Regnum Deo & Patri tradet:vt is sit omnia in omnibus.

VII.

Conclusionem,(qua infertur, Ergo hic Iesus Nazarenus, est Iehouah in carne patefactus,est Christus & Mediator vnicus,& solus auctor est Restitutionis vniuersorum:)subiunxit Ioannes Euangelista : Hæc autem scripta sunt,vt credatis quòd Iesus sit Christus ille Dei Filius, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Ioan.20.Et Lucas: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum : Actorum 10. Et Dominus Iesus ipse hanc S.Biblion Conclusionem præclarè breuitérque commendans,ait:Hæc sunt verba quæ loquutus sum ad vos,quum adhuc essem vobiscum:quòd necesse foret impleri omnia,quæ scripta sunt in Lege Mosis,& Prophetis, & Psalmis

mis(habes heic veteris instrumenti librorum διαίρεσιν) DE ME. Tunc aperuit illorum mentem, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Sic Scriptum est,& sic oportebat Christum pati,& resurgere à mortuis tertio die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes,initio facto ab Hierosolymis. Luc.24.

VIII.

Vsum omnium istorum mysterij pietatis capitum,Paulus Apostolus passim in suis Epistolis indicans,demonstrat: Hominem in peccati originarij sordibus conceptum,natúmque:& natura filiũ iræ:animalem esse, nec percipere ea quæ Dei sunt:cor prauum habere, omnes in eo vires à Deo auersas καὶ διεσπαμμένας esse:fame & inopia rerum spiritualiũ contabescere: & τ' ἀγαθὸν frustra in rebus huius mundi(disciplinæ interim externæ fuco & perizomate sese efferentem)venari:denique,iniustum, ignarũ Dei esse, & destitutum gloria Dei,sub incredulitate conclusum teneri.Misericordia autem Dei Patris,& Iesu Christi eius Filij merito ac intercessione,virtutéque sancti Spiritus fieri,vt ij qui præordinati sunt iam olim ad vitam renati per Spiritum, per adoptionem ius filiorum Dei consequantur: Sanguine Christi emũdentur à peccatis:Spirituales facti,prælucente fide Deum agnoscant, gratiáque ab eo,sola fide,absque operibus legis iustificentur: corda munda accipiant, spiritúque recto innouati conuertãtur ad Deum, eíque in nouitate vitæ seruiant: Pane etiam qui de cœlo descendit,ad immortalitatem pasti, Spiritu Deum colentes,per huius vitæ militiam,Christo Iesu auspice καὶ χιλιαγωγῷ domum Dei Patris ingrediantur, & brabeum immortalitatis vnà cum glorię corona olim accipiant.

2.*Timoth.* 1.

Formam habeto sanorum sermonum,quos à me audisti cum fide & charitate quæ est in Christo Iesu.Egregium depositum seruato,per Spiritum sanctum qui inhabitat in nobis.

HOC AGE.

S. THEOLOGIÆ STUDIOSORVM, QVI IN ordinarijs Disputationibus,de Charactere Christianorum,& de Pietatis Mysterio,ordinè responderunt, nomina.

1. Bartholomæus Genathius,Telamontius.
2. Sebastianus Kypferlingius,Bernauiensis.
3. Matthias Cellarius,Tigurinus.
4. Hermannus Petri,Suollanus.
5. Michael Brothagius,Badenvvilius.
6. Philippus Strubinus,Rœtelanus.
7. Godefridus Schvveigusreuter,Rœtelanus.
8. Iacobus Guggerus,Iunior,Basilienſis.
9. Gregorius Brandmyllerus,Basilienſis.

MOSES.

Vtinam vniuersus populus Iehouæ prophetæ essent,darétque Iehouah Spiritum suum super eos. Num. XI.

SYNOPSIS

HISTORIAE HOMINIS: seu, DE PRIMA HOminis origine, eiusdémque Corruptione, Reconciliatione cum Deo, & æterna Salute, Theses ducentæ, haustæ è fontibus Israelis, libris videlicet Prophetarum & Apostolorum: de quibus disputatum fuit in Schola Theologica inclytæ Basiliensis Academiæ, Anno Nouissimi Temporis

M. D. LXXIX.

Auctore & interprete

IOANNE IACOBO GRYNÆO, S. THEOlogiæ ordinario Professore.

Accesserunt Theses Analyticæ Symboli Apostolici.

ILLVSTRI ET INCLYTO HEROI EGENOLPHO, DOMINO RAPPOLTSTEINAE, HOHENACKY, ET GEROLTZECKY AD VVASSICKVM, DOMINO suo plurimum colendo,

S. D. P.

CVm propria æterni sapientissimique Numinis prouidentia, ita comparatæ sint res humanæ, vt publici boni causa, gubernationi ciuili, multis in locis, præsint Heroici Viri, nati in illustribus familijs: operæpretium fuerit, omnes pios & amantes politici Ordinis, accuratè obseruare, quæ nam sint præcipua gentium nobilissimarum decora & adiuncta, & quæ reuerentia eis debeatur.

Ignobili imperitóque Vulgo persuasum est, Opum facultates, vt vsui maximo, sic præcipuo esse ornamento iis qui Reipub. administrant, eóque nomine in theatro generis humani, loco primario, conspiciuntur. Etsi autem hi pro sua tum prudentia, tum etiam vsu & experientia, ad necessarios Reipub. sumtus, & ad multarum pulcerrimarum virtutum exercitia & κατορθώματα, diuitijs mediocribus & reditibus sibi opus esse intelligunt: secundum illud Oratoris Attici celebre dictum: ἄνευ χρημάτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων: his tamen, non vt fastus & profusionis immodicæ adminiculis abutendum, ad ostentationem ἐν πολλῇ φαντασίᾳ, vt Lucæ vocabulo vtar: sed tanquam virtutum pulcerrimarum, beneficentiæ inquam, liberalitatis & magnificentiæ adiumentis, à Deo concessis & subministratis, sibi vtendum esse, rectè iudicant. Placet enim illis Artoxerxis Longimani, Persarum Regis, nobile dictum: Regalius est addere, quàm adimere.

Eidem Vulgo ad dignitatem Magistratus, Prouinciarum quibus is præest amplitudo, & subiectorum frequentia, plurimum facere videtur. Sed Viri prudentes, nõ quàm multis, sed quàm bene Princeps suis præsit, obseruare solent. Quis autem sanus & intelligens rerum Ciuilium, dubitat Isbosetho Saulis F. decem Tribuum regnum tenenti, homini imbelli & virorum fortium opera abutenti, anteferendum fuisse Tribus Iudæ Principem Dauidem, fortem magnanimúmque virum, de quo dici poterat illud:

Et causáque valet, causámque tuentibus armis.

Fatentur

Fatentur homines cordati, magnum esse decus heroici generis, vetustatem stirpis & prosapiæ. Ac verè Cicero: Omnes, inquit, boni semper Nobilitati fauemus, & quia Reipub. vtile est Nobiles esse homines dignos Maioribus suis, & quia valere debet apud nos senex clarorum de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum.

Sed tamen accedat oportet Militiæ tum bellicæ tum togatæ decus. Bellica enim fortitudo, iusticiæ, legum patriæ propugnatrix, Nobilitatis & libertatis priuilegium, etiam olim florente Israelitici populi Politia, viris fortibus conciliare poterat. Extat eius rei Exemplum in illa de Dauidis & Goliathi gigantis duello historia, in qua 1.Sa.17.v.25. *Israelitæ in hunc modũ loquẽtes introducuntur: Num vidistis virũ hunc, qui ascendit nã vt probris afficiat Israelẽ, ascendit. Qui autẽ percusserit ipsum ditabit eum Rex diuitiis magnis, & filiam suã dabit ei, & domum patris eius faciet liberam. Fuit autem insigne illud Dauidis facinus, quod deuicto in illa μονομαχίᾳ Goliatho edidit, nobilitatis & gloriæ illius principium, & gradus ad Regiam dignitatem obtinendam. Porrò, 2. Sam.23. occurrit Catalogus Commilitonum Dauidis, qui verè fortes viri fuerunt, præliáque Iehouæ, vt sacra Scriptura loquitur, præliati sunt: eóque nomine clarissimi fuerũt, quòd non sólùm, vt ille apud Comicum senex gloriatur, sibi ipsis rem & gloriam armis belli repererunt, sed pro aris & focis pugnando effecerunt, vt vox docentium legem Iehouæ in patria tutò resonaret, Respub. floreret, cœtus pia docentium & discentium non dissiparentur, vtq; omnia in Ecclesia decenter & ordinè, in Repub. νομίμως, peragerentur, & Oeconomiæ, quæ sunt veluti seminarium Ecclesiæ & Reipub. egregiè florerent.*

Quemadmodum autem, sententia Stratonici, Aliud est sceptrum, aliud plectrum: & vt ait Pindarus, ἄλλος ὁ ἐσάλλων πόλιν τεταγμένος: ita alij sunt militiæ labores, aliæ sunt ciuiles seu togatæ occupationes: ac Heroicorum virorum alij fortitudine bellica, togata alij, non ita multi vtraque excellunt. Vult autem Deus, vnumquenque eorum suæ vocationi (cuius χαρακτὴρ & nota Dei donum est) constanter & prudenter seruire. Dauidem, belli tempore pro aris & focis pugnare volebat. Verè enim dictum est in versu:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Vnum augurium optimum, propugnare patriam.

E contrà Salomonem, pacata iam pace & deuictis hostibus, Rempub. ornare volebat legibus, ordine, præsidijs, disciplina. Est quidem principis, etiam ædificijs necessarijs ornare ditionem. ac non immeritò celebratur Augusti Cæsaris dictum: Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Sed cùm idem legum custos sit, & lex viuens & loquens, legum & disciplinæ exemplum esse & ἐργοδιώκτῳ agere oportet, vt totius vitæ suæ exemplo, & legũ ac seuerioris disciplinæ studio, ciues meliores efficiat.

Enimuerò, cùm virtutum præclarissimarum egregia & domestica paradigmata, homines bene natos, quibus præcipuo ornamento sunt, mirificè afficiant & delectent: vitáque humana non minima ex parte exemplis, normæ respondentibus, regatur, illa quoque intueri plurimum refert. Vnus vir heroicus, vt ait Demosthenes, totam gentem illustrat. Cùm enim bello & pace, domi foríque, de omnibus (quo ad eius fieri potest) bene, de nemine malè, mereri studeat, non potest non in Theatri humani luce, & bono publico & summa sua cum laude, eminere & conspici. Diuersum enim illi accidit ac Salamandræ & Lampyridi, fœdis tetríque animalibus.

Salamandram, bestiam feralem, non nisi horrenda tempestate exorta, sæuientibus nymborum procellis, coruscantibus fulguribus, cœlo tonante, imbribúsque omnia longè latéque inundantibus & vastantibus, infausto partu in lucem prodire, Scriptores perhibent. Ita quidam Androclidæ & ἀλάστορες non nisi

Repub. aut Eccleſia maiorem in modum turbata, in ſeditione motúque ciuili emergunt, claſſicum canunt, anteſignanos agunt: ac tum non tam inclareſcunt, quàm paſſim infames fiunt: cùm ex eorum καιροτομίαις & polypragmonicis geſtis, famæ plurimum, veræ gloriæ nihil planè, ad eos redeat. E contrà bonus Princeps, temporibus dubijs adiumento & ſolatio, ſecundis autem vſui & ornamento cùm ſit, nunquam non cum laude & gloria Dei conſilio publicæq; vtilitati ſeruit.

Lampyridem noctu, aut caliginoſis tantùm in locis ſplendeſcere, conſtat. Ita quidam Strabi non niſi inter cæcos regnant, Reipub. lucem & ſplendorem ferre nequeunt. Illuſtrium & magnorum virorum conſpectum, vt noctuæ meridianam Soli lucem, fugiunt: ac rerum vmbris & imaginibus, exemplo eorum quos in ſpeculis vinctos ſedere, vmbraſque mirari, Plato monet, ſeſe oblectant. Virtutis autem ſplendor tantus eſt, vt nunquam non conſpicuos reddat gubernatores heroicos, de quorum dotibus rectè Cicero pronunciauit: Quid, inquiens, virtus valeret, quæ tempeſtate ſæua quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendétque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcit?

Itaque non ſunt audiendi ij, qui diſciplinam velut carcerem oderunt, & nobilitatis ac virtutis diuortium introducere conantur. Rectè enim dixit Antiſthenes, τὺς αὐτὺς εἶναι εὐγενεῖς, τὺς καὶ ἐναρέτους: hoc eſt, eoſdem eſſe tum nobiles tum virtute præſtantes. Piè etiam diuus Hieronymus: Sola, inquit, apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis: ſola apud Deum nobilitas, clarum eſſe virtutibus. Scitum eſt etiam illud Senecæ: Generoſus eſt ille, qui à Naturæ bene eſt ad virtutem compoſitus. Itaque iuſticia, quæ Heſpero & Lucifero formoſior eſt: clementia, quæ Seneca teſte, ſalvum Regem in aperto præſtat: fortitudine, quæ virtus eſt pugnans pro æquitate: magnanimitate, quæ facit vt quis pulcrè ferat felicitatem & infelicitatem, honorem & ignominiam, & quam ſequitur ſimplicitas & veritas, ac multis aliis virtutum dotibus Heroas iſtos excellere, ac iſſdem perſonam tueri in Repub. oportet.

Inter omnia autem animi & corporis externorúmque bonorum decora, veluti primæ magnitudinis Sidus, elucet vera erga Deum pietas, quæ ad omnia vtilis, promiſſiones habet præſentis & æternæ vitæ: vt Apoſtolus noſter docet 1. Tim. 4. *Pietate ſanè erga Deum ſublata, fides etiam ac ſocietas generis humani, & vnà excellentiſſima virtus iuſticia tollatur neceſſe eſt: vt Ethnicus ille Orator verè dixit. Etſi autem pietatis minimè ſimulatum ſtudium commune eſſe debet, tam ſubditis quàm Magiſtratibus, cùm ad omnes qui Ieſu Chriſto Seruatori & Regum Regi nomina dederunt, ſpectet oraculum Spiritus ſancti, expoſitum à Paulo Apoſtolo: Abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & iuſtè & piè viuamus in præſenti ſeculo.* Tit. 2. *Principes tamen viros totámque Nobilitatẽ, non ſolùm diuitijs, potentia & auctoritate excellere: ſed etiam omnis generis Virtutum & Pietatis facem ſubditis præferre, Eccleſiæ & Reipub. intereſt. Etenim, vt inquit ille:*

Regis ad exemplum totus componitur Orbis,
Vtque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

De hiſce illuſtrium familiarum ornamentis, ad tuam Excelſitatem, Generoſe Domine EGENOLPHE, *inſtituta compellatione, mihi eo nomine breuiter agendum cenſui, vt ea qua par eſt reuerentia teſtarer, inter eos, qui illuſtri tuæ dominationi, & toti Reipub. in hac Rhenana prouincia, Dei beneficio mediocriter florente,*

generis

generis antiquissimi, nobilissimique, & heroicarum virtutum, ac in primis veræ religionis dotes, ex animo gratulãtur, me quoque esse, ac precari Deum æternum, vt Clementiam tuam Reipub. caussa, cum tota illustri familia, & auita ditione, benignè seruet & regat.

Nolim autem hoc tempore & loco, de omnibus ijs ornamentis, quibus Rex ille regum & Dominus dominantium, illustrem tuam Excelsitatem excellere voluit, agere. Quædam solùm velut exerto digito monstrabo, quæ & obseruari & celebrari opera pretium est.

Annales testantur, Imp. Conradum 2. cognomento Saliquum, cùm, Anno Dei in Carne patefacti 1025, imperare cœpisset, ac ad officium faciendum compulsis Germaniæ quibusdam Principibus, decimo demũ Imperij sui anno Italos rebelles domuisset, pacem toti Germaniæ restituisset, duobus Principibus Spoletanis, fratribus germanis, in Martiana sylua Vrslingensem ditionem: ínque florentissima totius Edelsassiæ (sic veteres Germani Alsatiam vocabant: vt vel ex Libro Torneamentorum ludorúmque equestrium liquet) parte, eam quæ nunc Rapoltstenia dicitur, ditionem, virtutis & meritorum caussa, concessisse.

Qui hos duos Principes, ex illustri & præpotenti Vrsinorum familia ortum duxisse, ac Principes Italos origine fuisse autumant, si quid hac in parte video, vera falsis miscent: nec quis olim Italiæ status, quæ in ea gubernationis ciuilis ratio fuerit, satis perpendunt.

Cùm Italiam adhuc tenerent nostri Imperatores, (id quod inde à temporibus Caroli Magni, vsque ad id tempus in quod incidit gubernatio Rodolphi Imp. & Comitis Habsburgensis) Principes viros, & è præcipua Nobilitate quosdam, Exarchos & Præsides diuersis eius prouincys datos, eorúmque vicaria opera Rempub. administratam esse, certum est. Inde etiam factum est, vt eorum quidam non redirent in Germaniam, sed publicis honoribus muneribúsque defuncti, feudísque Imperatorum magnificẽtia locupletati, in illa cultissima & amœnissima Europæ parte cum familijs permanerent: quidam in Germaniam regressi, vel auitas, vel etiam alias sedes obtinerent.

Illustrissimos sacri Rom. Imperij Principes Hennebergenses, à gente Columnesia quidam velut à stirpe deducunt, & ex Italia in eam Franciæ Orientalis partem, quam etiamnum tenet inclytus & pientissimus Princeps, Georgius Ernestus, obtinuisse perhibent. Sed hi nec circumstantiarum meminerũt, nec illud perpendunt, quòd nõnullæ omnium nobilissimæ in Italia familiæ, generis propaginem à Germanis se ducere gloriantur.

Quòd si verum est, quod insignis quidam Historicus olim mihi dixit, quemadmodum Contareni apud Venetos, à Rheingrauijs, illustrib. sanè Germaniæ Comitibus, ac belli pacísque studijs clarissimis, ortum se ducere, non solùm cognomento, sed etiam vsurpatione eorundem insignium, probant: ita sicut idem testabatur, Vrsini ab illustrissimis Principibus Anhaldinis, penes quos olim fuit Electoralis dignitas, sese descendere fatentur: non est obscurum, nõ esse temerè ijs subscribendum, qui ad Italos potius referunt Germaniæ tot Principum originem, quàm ad Germanos.

Etsi verò nolim, temerario calculo pleniorem cognitionem præuertere, & cum quoquam rerum Germanicarum magis, quàm ipse sim, perito contendere: plurimum tamen me moueri, inq; persuasione confirmari fateor, vel vnico Serenissimi & præpotentis Sabaudiæ Ducis, Emmanuelis Philiberti, exemplo. Hic enim, cùm idoneis haud dubiè tum genealogiæ, tum veteris historiæ argumentis fides ei facta esset, quòd

maiores eius ab inclyta domo Saxonica descendissent (vt vulgò loqui mos est) non dubitauit cognationis ius renouare, & insigne Saxonicum suis adiungere, vt vel ex monetæ eius Principis inspectione liquet.

Illustrissimorum Principum, Badensium Marchionum, (quorum lumen hac ætate fuit Optimus & Illustriss. Princeps Carolus, Dominus quondam meus clementissimus, p.m.) familiam, veluti coloniam, ex Italia plærique deducunt, eo quòd ijdem Domini Veronæ olim dicti fuerunt: vt libri Torneamentorum testantur. Sed tamẽ si quis emunctæ naris homo, Imp. Friderici I. Barbarossæ historiam cum iudicio leget, animaduertet valde probabilem esse coniecturam eorum, qui è Sueuiæ Ducum familia Badenses Marchiones descendisse, suspicantur. Omitto iam argumenta chorographica, à pronunciarum quas Marchiones Badenses olim tenuerunt, item, à rerum quæ tempore interregni, post tragicum apud Neapolitanos interitum Conradi vltimi Ducis Sueuiæ (quem Itali contumeliosè Conradinum vocârunt) & Friderici Ducis Austriæ, Marchionísque Badensis, acciderunt, consideratione ducta. Fateor probabilia esse argumenta, quibus moueor, eóque nomine ijs relinquenda qui ex Archiuis Principum certiora proferre possunt. Sentio etiam in hac tanta studiorum & ærumnarum mearum varietate, multa mihi è memoria excidisse, quæ superioribus annis ocio philosophico abundanti, & Germaniæ potissimum ac illustrissimorum eius Principum historiam legenti & expendenti, mediocriter cognita fuerant & perspecta.

Hoc tantùm, vt ad institutum reuertar, monere volui, Si certò historiæ veteris idoneis testimonijs demonstretur, inclytam familiam Dominorum Rapolsteinensium ab Vrsinis descendere, hos verò ab Anhaldinis Principibus illustrissimis, non difficile fore iudicium de Stirpe prima generosissima & laudatissima.

Exemplum non dissimile ab illustri familia Generosissimorum Comitum ab Hohen Zollern, qui multis iam seculis floruerunt in Germania, & Veringensem Comitatum olim celeberrimum tenent, eo nomine libenter adducam, quia præclara fuit olim erga meos maiores, Veringæ tum agentes, ac illorum Comitum subditos beneuolentia, tum aliorum, tum præcipuè Generosi & inclyti Comitis Francisci, qui ante sexaginta annos floruit. Ex hac illustri familia prognati fuerunt olim Burgrafij Norib-- genses, è quorum posteritate descendit Fridericus, qui Constantiæ, durante Concilio, à Sigismundo Cæsare obtinuit Marchionatum Brandeburgensem, & dignitatem Electoralem, Anno Christi 1417, octauo die post Paschæ festum, vt Nauclerus & alij testantur.

Porrò non tantùm Principibus Comitibúsque Germanis, Imperatorum beneficio prouincias quasdam in Italia & Germania, ob merita cessisse: sed etiam viris nobilibus, fide digno Abbatis Vspergensis (fuit ei nomen Conrado à Liechtenauu) testimonio, quod in vita Imp. Henrici 6 occurrit, probari potest. Non grauabor autem illud ad verbum describere, cùm & instituto nostro seruiat, & mihi in memoriam reuocet virtutem, pietatem & egregia merita, vcrè Nobilis Viri, Domini Iohannis Alberti ab Anweil, quondam Præsidis Kœtelani, qui ortum ex ea familia duxit, cuius meminit Vrspergensis. Anno Domini 1195, rursum quidam Comites in Apulia rebellant Imperatori (Henrico 6.) quocirca Imperator missa legatione, Vadesquos acceperat in Alemannia, iussit oculis excæcari: quod & factum est, præter Episcopum. Rebelles quoque captiuatos diuersis supplicijs & horrendis fecit interimi.

Eo rem-

Eo tempore Imperator Marquardum de Anninvvilir, dapiferum & ministerialem suum, libertate donauit: & ducatum Rauẽnæ cum Romania, Marchiam quoque Anconæ ei concessit. Præfato etiam Diepoldo quasdam prouincias Apuliæ commisit: ponens eum in quodam Castro, quod vocabatur Rocca de Arce. Hi duo bella Imperatoris strenuè peregerunt. Hæc ille.

Animaduerto me pluribus, de quarundam familiarum origine & vetustate, egisse, quàm initiò facere constitueram. Itaque vt de tabula manum tollam, Pietatis veræq; religionis decus, quod sicco pede præterire piaculum foret, nunc quoque attingam. Pietas enim non vt παρεργον & emblema accessorium, sed vt ἔργον, & fons officiorum & ornamentorum ciuilium, cum stemmatis & opibus (si quæ à Deo concessæ sunt) coniungi debet. Nam vt omnes sapientes Gubernatores præclarè intelligunt & fatentur, genus, opes, clientelæ, potentia, & alia huius ordinis, communia esse possunt Tyrannis & bonis Principibus. Veræ autem virtutes, & earum basis ac fulcrum Pietas, præstans & Deo quæ ei debentur, & hominum societati, eidem debita officia, inæstimabili Dei dono ijs datur, qui Dei consilio ex animo seruire, & vtriúsque Tabulæ Decalogi custodes agere student.

Alphonsum, Arragoniæ & Neapolis Regem, qui ante annos centum sapientiæ & clementiæ aliarúmque virtutum laude excelluit, Pelecani, rostro pectus fodientis, pullósque sanguine sparso recreantis: ac inscriptionis pathetica, Pro lege & pro Grege, hieroglyphico symbolo, quam pietatem & beneuolentiam Politici gubernatores Subditis suis debeant, docuisse ferunt. Et enim cùm, Xenophonte teste, bonus Princeps nihil differat à bono Patre: sic ille erga subiectos affectus est, vt cùm se bene meritum sciat, id sibi persuasum habere possit, quod cordatissimum Principem Eberhardum, Barbatum cognomine, primũq; DucemV virtẽbergensem, in Cõuiuio Principum quorundam Saxonum & Bauarorum, gloriatum ferunt: Se in quancumque tandem territorij sui partem fortè delatus esset, ex equo descendentem, si ita visum esset, caput reclinantem in sinum cuiusuis è suis, somnum tutò capessere posse. Hæc fiducia è conscientia bene administratæ Reipub. & veræ erga subditos beneuolentiæ, nata, Principibus bonis non mediocri solatio est. Neque enim eo animo sunt, quo Dionysius pater & filius, Nero, Caligula, & alij hac ætate, qui misera consolatione (Oderint dum metuant) nituntur.

Præcipuè tamen pietas erga Deum, ijs & declaranda & probanda est, quos Deus in illustri sede collocatos, sui muneris participes esse, eóque nomine Deos dici voluit. Notum est illud Dauidis Regis: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis orbem. Seruite Iehouæ in timore, & exultate in tremore. Osculamini Filium, ne fortè irascatur, & pereatis via, cùm exarserit vel paululum furor eius. Beati omnes qui sperant in eo. Psal. 2.

Hæc omnia, Illustris & Generose Domine, non eo nomine à me dicuntur, vt memorem, quod aiunt, moneam, officiúmque magna cum laude facienti, ἐργοδιώκτῳ profitear: sed vt tot tantáque Dei optimi maximi dona & decora, illustrem videlicet vetustissimámque prosapiam, tranquillam auitæ ditionis gubernationem, virtutum heroicarum studium, & inprimis amorem erga veram & orthodoxam Religionem (quæ nunc non tantùm ab externis, sed etiam ab intestinis, proh dolor, hostibus oppugnatur) aliáque vitæ & salutis præsidia, illustri tuæ Excelsitati, ex toto corde meo gratularer, idque publicè: simúlque testatum facerem, magno mihi solatio & ornamento superioribus mensibus fuisse,

cùm illustrem tuam Dominationem, ex æquo bonóque iudicantem, pro singulari sua humanitate, præstanti erga me voluntate esse, cognouissem, ídque indicio grauissimo, Nobilissimi Viri D. Georgij à Venninga: & clarissimi Medici, Doct. Felicis Platteri, Poliatri Basilienſis & amici mei. Enimuerò cùm, si vnquam aliàs in vita mea, hoc præcipuè tempore experiar illud Platonicum: αἱ τύχαι ποικίλως ζωγραφοῦσι τὰς φίλας: vices rerum variè pingunt amicos: Deo Patri cœlesti, qui solus Regum corda in manu sua habet, summas habeo gratias, quòd loco Optimi Principis mei, Caroli March. Badensis p.m. alium mihi velut succenturiatum Patronum, tuam videlicet illustrem Dominationem, conciliauerit.

Etsi autem animus erat & etiamnum est, pro virili mea parte fidem, subiectionem, obseruantiam & alia officia mea, tuæ Excelsitati tum deferre, tum probare: quia tamẽ mei studij nullum aliud documentum hoc tempore occurrebat, quàm Historia de Hominis prima origine, lapsu, instauratione, & restitutionis complemento, mediocri diligentia è monumentis Propheticis & Apostolicis à me collecta & digesta: visum mihi fuit, eam illustri tuæ Dominationi inscribere & offerre ceu μνημόσυνον meæ erga T. Clementiam obseruantiæ & studij.

Oro autem Dominum nostrum Iesum Christum, vt Clementiam tuam, vnà cum Generosissima Coniuge, illustriq e Filio EBERHARDO, *& tota familia, benignè regat, protegat, & in æternum seruet: Amen. Scripsi Basileæ* 1579, *Calendis Augusti, quo die olim Aaron obijt, anno* 40 *Exitus Israelitarum ex Ægypto: Anno verò Christi* 1527, *Viennæ Austriæ natus est Optimus Imperator Maximilianus II.*

Tuam Excelsitatem
reuerenter colens,

Ioannes Iacobus Grynæus, S. Theologiæ Ordinarius professor in Basilienſi Academia.

THESES

DE HOMINVM ORTV, ET DE STATV innocentiæ.

I.

Hominis vocabulũ quot modis accipiatur. Matt 16.

VIA ὁμώνυμον est Hominis, de quo disputabimus nomẽ, priusquam ad eius, de quo acturi sumus Theologicam contemplationem accedamus, significationes eius exponemus.

1. Hominis vocabulum non rarò indefinite & vniuersaliter quẽuis hominem significat. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur? Aut quam dabit homo compensationem animæ suæ.

Matt. 12 Matt. 14. 2. Interdum de singulari quodam dicitur. Vltima hominis illius conditio fit deterior priore. Væ homini illi per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi, si natus non fuisset.

3. Per

3. Per quandam similitudinem & parabolam effertur. Nã quis est ex vobis homo, qui, si filius eius petierit panem ab eo, det lapidẽ? *Item*: Simile est regnum cœlorum homini Regi, &c. Matt. 7. Matt. 18.

4. Non tam naturam, quàm eius corruptionem & errores, designat. Frustra me colunt docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. *Item*: *Immò* esto Deus verax, omnis autem homo mendax. Matt. 15. Rom. 3.

5. Collectiuè significat Ecclesiam ex *Iudæis* & Gentibus. Vt ex duobus illis cõderet in semetipso vnum nouum hominem, faciens pacẽ. Hunc hominem à capite, omniũ videlicet pręstãtissima parte, vocat Paulus Christũ. Eph. 2. 1. Cor. 12

6. Qualitatum respectu, homo aliàs internus & nouus: aliàs externus & vetus dicitur. Nempe deponere vet. rem hominẽ, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: renouari verò spiritu mentis, & induere nouum illum hominem. Eph. 4.

7. Κατὰ σωμα ἔσχατον quoque homo, alteram sui partẽ, quę mortalis est, & spiritui opponitur, significat. Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie. 2. Cor. 4.

8. Relationem & ordinẽ si spectes, præ alijs, celebrantur in sanctis Scripturis, Homo primus & secundus. Factus est prior homo Adam in animam viuentem: posterior autem Adã, Spiritus viuificus. Primus homo è terra, terrenus: secundus homo ipse Dominus è cœlo. 1. Cor. 15.

9. Relationis autem, quę inter summũ Dominũ & Patrem, ac filios adoptionis est, ratione, Homo Dei nuncupatur is qui fidei obedientiã eidem pręstare satagit. Tu autem, homo Dei, ista fuge: sectare autẽ iusticiam, pietatem, fidem, caritatem, tolerantiam, lenitatem. *Item*: Vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. 1. Tim. 6. 2. Thess. 3.

10. Κατ' ἐξοχὴν Christus *Iesus* Redemtor mundi, Homo dicitur. Verè homo iste Filius erat Dei. Marc 15.

11. Cum epitheto peccati, Antichristum significat. Ne quis vos seducat vllo modo: non enim aduenict dies Christi, quin venerit defectio prius, & retectus fuerit Homo ille sceleros*us* (ὁ ἁμαρτίας) filius ille perditionis. 2. Thess. 2.

12. Posi remò, à gubernatoribus dicitur alius quidẽ Animalis: alius verò Spiritualis. Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, &c. At spiritualis dijudicat quidem omnia, ipse verò à nemine dijudicatur. 1. Cor. 2.

Nos in hisce Disputationibus primùm de Homine in primo suo flore constituto: deinde, de eiusdem iam prolapsi in peccatum sorte: tertiò, de renato: postremò, de plenè beato & ἰσαγγέλῳ agemus. Dispositio Thesiũ de Homine.

Σωὶ θεῷ δ' εἰρήσεται.

II.

De prima Hominis origine, Theologicum principium, oraculũ videlicet Spiritus sancti δεῖ ὑποτίθεσθαι. Creauit Deus hominẽ ad imaginem suã: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit illos. *Item*: Scitote quòd *Iehouah* ipse est Deus, ipse fecit nos: populus eius, & oues pascuæ eius. *Item*: Per ipsum viuimus, mouemur & sumus: sicut & quidam vestratium Poetarum dixerunt: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Origo hominis quænam fuerit. Gen. 1. Psal. 100. Act. 17. Aratus.

III.

Enimverò, cùm fecerit Deus hominẽ rectũ: ipsi autẽ inquisierint cogitationes multas: & per vnũ hominẽ peccatũ in mundũ introierit, ac per peccatũ mors: ac Dominus noster *Iesus* Christus venerit, nõ vt perderet animas hominũ, sed vt seruaret, vnúmq; secũ faceret omnes fideles Deiq; filios: in hac Theologica hominis contẽplatione, hæc quatuor Capita (de quibus nõ Propositio. Ecc. 7. Rom. 5. Luc. 9. Ioan. 17.

Oeconomia partiũ essentialium totius Historiæ Theologicæ de Genere humano.

nisi secundum diuinas Scripturas, pronunciandũ est) expendere cõuenit. Primũ est, ἡ κτίσις, seu creatio: Secũdum, ἡ ἀποστασία & corruptio: Tertiũ, ἡ κατάλλαξις & renouatio: Postremum, ἡ ἀποκατάστασις, & regeneratio completa.

Origo hominum.

IIII.

Methodus primæ partis

GENERIS humani origenem, adductis Scripturæ sacræ testimoniis, methodo ἀποδεικτικῇ, declarabimus: & initium faciemus à caussis externis, vt ab iis ad internas progredi, & essentiam, partes & principes caussas, demonstratiuè tractare, ac Hominis finitionem subiungere possimus.

V.

αὐτὸν κύριον. Eph. 1. Pro. 16. Isa. 46. Rom. 9. 1. Tim. 6.

Caussa efficiens princeps: est Deus, qui secundum propositũ suum, omnia efficit ex consilio voluntatis suæ: qui etiam omnia operatus est propter seipsum: cuius consilium stare, & omnem voluntatem fieri necesse est, quòd voluntati eius nemo possit resistere.

Huic æterno & vero Deo (qui, teste Paulo Gentiũ Apostolo, est ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ Κύριος τῶν κυριευόντων· ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων) visum est, nos, præsciẽdo, suam omniscientiam: eligendo, suam misericordiam: creando, omnipotentiam: vocando, efficaciam: iustificando, iustitiæ & misericordiæ temperamentum: sanctificando, puritatem: istis denique omnibus gratiam, bonitatem & excellentẽ magnitudinem potentiæ suæ in his qui credunt, reipsa declarare.

Rom. 8. Tit. 2. & 3. Eph. 1.

VI.

Hebr. 11. Luc. 3.

Eo nomine primus homo Adamus, post Deum vniuersorum τεχνίτην καὶ δημιουργὸν, generis nostri primus parens ac stirps, τοῦ θεοῦ esse, dicitur. Vnde liquet præcipuam esse hominum generis præstantiam, cùm illud à caussa efficiente vt prima, sic etiam nobilissima, Deo videlicet optimo, sapientissimo & omnipotente summo consilio conditum sit, & singulari eiusdem prouidentia cõseruetur regatúrque: quãdoquidem, vt exotericus ille inquit, Deus

Plutarchus. Prou 8. Ephe. 1.

nec φίλιππος, nec φιλόρνις est, sed φιλάνθρωπος: vt autẽ vera testis illa Sapiẽtia: Ludit, inquit, in orbe terræ, & delectationes eius cum filiis hominum, vt denique magnus ille Apostolus de nobis loquitur, ad laudem glorioſæ suæ gratiæ, gratis nos sibi gratos effecit in illo dilecto.

VII.

Augustinus. Gen. 1. Ioan. 1. Hebr. 1.

Neque verò est cur anxiè laboremus circa quęstionẽ: Patríne, aut filio, an verò Spiritui sancto, tribuẽda sit hominis creatio? Primùm enim de eo conuenit, hæc Dei opera, quæ externa rectè vocamus, communia esse tribus Personis, Patri nimirum, Filio & sancto Spiritui. Deinde etiam hoc extra controuersiam est, Patrem æternum, per λόγον καὶ σοφίαν coæternam & coessentialem, virtute sua substãtiali, Spiritu videlicet sancto, omnia creauisse, & liberrimè administrare ac conseruare. Iuxta dictum: Quem constituit hęredem omnium, per quem etiam mundum condidit: qui cùm sit splendor gloriæ, &

& character personæ illius, sustineátque omnia verbo illo suo potente, &c. Hanc συνέργειαν Patris & Filij, ipsemet Dominus noster & vnigenitus Patris filius agnoscit & profitetur, nobili dicto: Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor. Non autem agunt Pater & Filius sine amore, lætitia & virtute sua substantiali, quæ est Spiritus sanctus. De actionibus salutaribus, quarum auctor in nobis est Spiritus sanctus, & de eiusdem donis, dicitur: Spiritus autem scrutatur omnia. Item: Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus. Item: Per vnũ Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus. Item: ὅτι τρεῖς οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Idem autem iudicium est & de aliis Dei operibus, quæ saluis cuiusque personæ adiunctis & propriis functionibus, toti Trinitati rectè tribuuntur.

Ioan. 5.
1. Cor. 2. & 12.
1. Ioan. 5.

VIII.

Finales caussas creationis hominum, Scriptura diuina gradibus quibusdam distinguit, vt piarum de officio nostro cogitationum, amplissimã submini stret materiam.

Primus gradus est dominii & iuris, quod homo in inferiorũ ordinũ creaturas obtinet. Conditus enim est, vt dominetur piscibus maris, ac volatilibus cœli, atque iumentis, & toti terræ, omníque reptili reptanti super terrã.

Finales caussæ creationis hominis. Gen. 1.

IX.

Secundus gradus erat cultura & custodia Paradisi, de quo dicitur: Tulit itaque Iehouah Deus ipsum hominem, & posuit eum in horto Eden, vt coleret eum, & custodiret eum. Horum duorum graduum vsus magnus erat, etiam in vita animale, nutritione & propagatione hominum, si modò hi in prima sua integritate perstitissent.

Gen. 2.

X.

Tertius gradus erat τῆς θεραπικῆς, καὶ τῆς σωματικῆς γυμνασίας, & externi cultus Dei, qui in legitima fruitione rerum bonarum & vsibus hominis destinatarum, & abstinentia à rebus, quarum vsus fructus vetitus erat, consistit. Iuxta illud: Præcepítque Iehouah Deus homini: dicendo: Ex omni arbore horti comedes. At de Arbore scientiæ boni & mali (hoc nomen κατὰ παρήλλαξιν, & ab euentu, non autem à naturali effectu, si est inditum) non comedes ex ea: nã in die qua comederis ex ea, certò morieris. Ac vult Deus etiam nunc, nos cibis, quos ipse creauit ad participandum cum gratiarum actione, ea lege vti, ita tamen vt memores simus præcepti: ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω: id est, vnusquisque in animo suo plenè certus esto.

Gen. 2.
1. Tim. 4.
Rom. 4.

XI.

Quartus gradus erat τῆς εὐσεβείας, Pietatis: quæ complectitur Dei opificis agnitionem, celebrationem, dilectionẽ ardentissmã & purissimã erga eundẽ & multa alia, de quibus nos admonet opus legis cordibus inscriptũ. Ideo regius Propheta & Psaltes, vbi ostẽdisset, à Deo nos esse cõditos, subiũgit piã exhortationẽ: Ingredimini, ait, portas eius cũ celebratione, atria eius cũ laude: celebrate illũ, & benedicite nõi eius. Quoniã bonus est Iehouah, in se-

Rom. 2.
Psal. 100.

culum misericordia eius,& vsque in generationem & generationem veritas eius.

XII.

Rom.9. Quintum & supremũ gradum Apostolus noster exposuit his verbis: An non habet potestatem figulus in lutum, vt ex eadem massa faciat,aliud quidem vas ad decus,aliud verò ad dedecus. Quid si verò volens ostendere irã, & notam facere potentiam suam,perrulit multa lenitate vasa iræ, κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ,quæ præparauit ad gloriã? Est itaque vltimus finis creationis hominũ, Dei perfectissimè iusti & misericordis gloria. Verùm enimverò Deus hominem bonũ creauit,vt infrà dicetur: Satanæ autem versutia, & spontanea hominis defectione,peccatum sic peruasit vniuersos homines, vt infideliũ quidẽ iusta damnatione,iusticia Dei: fidelium autem gratuita iustificatione, eiusdem misericordia, Apostolo teste,cerebretur.

2.Cor. 11. Gen.3. Matt.28. Ioan.3.

XIII.

Gradus isti distinguuntur,nõ solùm obiectis,quæ ad duo referri possunt, Creatorem videlicet vniuersorum,& creaturas,earúmque tum vsum, tum etiã functiones: sed etiam ordine & dignitate. Vt enim homini seruiunt creaturę: : sic ille Deo sese religiosè subijcere, eíq; obedire debet. Stat enim illud: Nullus nostrûm sibiipsi viuit,& nullus sibiipsi moritur. Nã siue viuimus, Domino viuimus,&c.

Rom. 14.

XIIII.

Essentiales hominis partes Matt.10. Nunc ad internas caussas,formalem nimirum & materialem progredimur. Sunt hæ essentiales hominis partes, ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα. de quibus hæc duo testimonia allegasse satis erit. Ne, inquit Seruator noster,timete vobis ab ijs, qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eũ, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Item: Ipse autem Deus pacis auctor, sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentũ Domini nostri Iesu Christi seruẽtur.

1.Thess.5.

XV.

Forma substantialis Hominis recens à Deo conditi, Anima rationalis fuit, est, erítque in perpetuum,si speciem respicias. Hac differre homines à brutis,non obscurè monet Bildad Suhites,cũ dicit: Cur reputamur vt iumẽ tum,sorduimus in oculis vestris? Et in eadẽ disputatione dicit Elihu: Nullus dicit, Vbi est Deus factor meus,qui dat cantica in nocte? Qui docet nos prę iumentis terræ, & præ volatili cœli sapientes efficit nos.

Iob.18. Iob.35.

XVI.

Anima hominis quot modis dicatur. Deut. 10. Act.2. Duplex est συνεκδοχὴ in vocabulo τῆς ψυχῆς, Animę: vt ex diuersis Scripturę sanctæ dictis liquet. Aliàs enim indiuiduũ, seu Personã significat: vt in hisce locis. *In* LXX animabus descenderunt Patres tui in Aegyptũ. *Item*: Ad-

dita

dita sunt illo die capita (ψυχαὶ) quasi ter mille. Item: Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. Aliàs verò totam hominis formam, Anima ψυχικῶς denotat: vt est videre in istis dictis. Qui voluerit Animã suam seruare, perdet eam. Item de Eutycho dicit Paulus: Anima in eo est. Rom. 13. Luc. 9. Act. 20.

XVII.

Iam & quibus tribuatur in Scripturis Animæ vocabulum, videamus: ne peccemus in aureã illã Logicorum regulam, Mutato genere prædicationis figurato in proprium, & econtrà, non valet consequẽtia. Primò, Animæ vocabulum κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deo tribuitur in illo dicto Iehouæ: Calendas vestras, & solennitates vestras, odio habet anima mea. Secundò, γενικῶς prædicatur de animãtium omnis generis, vitæ, sensus motúsque principio. Id colligi potest ex appẽdice legis de esu carniũ: Veruntamẽ carnẽ cũ anima eius, quæ est sanguis eius, nõ comedetis. Et in lege de vsu ferinarũ carniũ & auiũ, eadẽ ratio assignatur: Quia anima cuiusque carnis est sanguis eius, qui est in anima ipsa, &c. Postremò εἰδικῶς prædicatur de hominis forma. Iuxta dicta: Nónne anima plus est quàm alimentũ, & corpus quàm vestitus? Itẽ: Quid enim prodest cuipiã, si totũ mũdũ lucratus fuerit, anima verò sua mulctetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ? Animæ vox de quibus prædicetur. Isa 1. Gen. 9. Leuit. 17. Matt. 6. & 16.

XVIII.

Etsi autem, vt ex nuper positis liquet, Anima, ψυχὴ, sæpe pro tota hominis forma substantiali sumitur: nõ rarò etiã Spiritus eodẽ planè modo prædicatur, vt ex Stephani protomartyris precatione (Domine Iesu suscipe Spiritũ meũ) liquet: tamen retinenda nobis est Animæ & Spiritus distinctio, tradita in his testimonijs: Integer vester spiritus, & anima & corpus. Item: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vsque ad diuisionem animæ simul & spiritus, &c. Distinctio Animæ & Spiritus. 1. Thess. 5. Hebr. 4.

XIX.

Animam vocat formam illã, qua homines sumus, viuimus, sentimus, mouemur. Eius caussa dicitur homo ψυχὴ ζῶσα, Animal viuens, vt eruditè quidã monet. Ab Anima enim quæ præstantior pars est, Animal dicitur.

πνεῦμα, Spiritum vocat Paulus, substantiam incorporeã, finitã, creatam à Deo, rationalem, immortalẽ, quæ nõ in nihilum dissipatur, cum è corporis domicilio, diuinitùs euocata, discedit. Ratio discriminis à finitionibus.

XX.

Anima hominis, quãdo eiusdem Spiritui opponitur, est perfectio corporis physici organici. Complectitur enim organicas animæ functiones, vegetantem, sentientem, locomotiuam, &c. Hæc in morte prima, cum resoluitur corpus in sua elementa, organis veluti resolutis, exstinguitur.

Spiritus verò, immortalis est: ac huius respectu Deus Abrahæ, Isaac & Iacobi, Deus est non mortuorũ, sed viuẽtium, vt testatur Dominus Iesus in illa nobili disputatione contra Sadducæos. Exod. 3. Matt. 22.

Execrabilis itaque est furor & error eorum, qui Animas, pro Spiritibus sumtas, mortales esse fingunt.

XXI.

Iam verò videamus, tum quod sit αἴτιον κύριον animæ humanæ, tũ quid de

functionum eiusdem (in hac animale vita) gradibus, sacræ Literæ testentur.
Psal.104. Obseruētur initiò hæc dicta, quæ de vtroq; agūt. Vniuersa ipsa in te sperāt, vt des escam ipsorum in tempore suo. Das eis, colligunt: aperis manum tuam, saturantur bono. Abscondis faciem tuam, turbantur: aufers spiritum eorum, deficiunt, & in puluerem suū reuertuntur. Mittis spiritum tuū, creantur: & innouas faciē terræ. Item, per ipsum enim viuimus, mouemur & sum⁹.
Act.17.

XXII.

Efficiens causa animæ. Gen 2. Act.17. Hebr.12. Matt.10. Gradus primi sunt, essentia & vita animæ, de quibus dicitur: Spirauerat Iehouah in faciem eius spiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Item: Deus dat omnibus vitam, halitū, & omnia. Hic Pater Spirituum, nutu suo, animas euocat è corporum domiciliis, quando & quomodo ipsi placet. Solus ipse eas viuificare & occidere potest, iuxta dictum. Timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.

XXIII.

Duo reliqui gradus sunt Sensus & Motus localis. Sensus sunt tū exteriores, tum interiores. Exteriores sunt, Visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, cuius in toto corpore instrumenta ideò sparsa sunt, vt consuleretur incolumitati hominis.

XXIIII.

De externis sensibus hæc dicta συνεκδοχικῶς occurrunt. An qui plantauit aurem, non audiet? an qui finxit oculum, non videbit? Item: Aurem audientem
Psal.94. & oculum videntem, Iehouah fecit etiam ambo ista. De Sapore: Quàm dulcia sunt Palato eloquia tua, præ melle ori meo. Item: Nónne auris sermones
Prou.20. probat (hæc quod proprium est mentis, cuius officia sunt, apprehendere simplicia, & componendo, diuidendo & ratiocinādo eadem diiudicare, tribuitur sensui externo, videlicet Auditui, qui illi inseruit) & palatum escam gu-
Psal.119. Iob.12. stat sibi? Mirum autem est, quod de Manna dicit Sapiens: Cibo angelorum
Sap.16. populum tuum refeciſti, ac panem omni pollentem voluptate, omníque gustui accommodatum, sine labore de cœlo ipsis demisisti. De Olfactu, Tactú que, & aliis sensibus eorúmque instrumentis, ex illa idolorum irrisione iudicium peti potest: Os est eis, & non loquuntur. Oculi sunt eis, & non vidēt.
Psal.115. Aures sunt eis, & non audiūt. Nares sunt eis, & non odorātur. Manus sunt eis, & non palpant. Scitum est illud Pauli: Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Vtitur Apostolus ijsdem quibus physici, vocibus, ἀκοὴ, ὄσφρησις, &c.
1.Cor.12.

XXV.

Vt autem sua habent externi sensus obiecta, ab opifice sapientissimo distincta, de quibus Theologia & physiologia συμφώνως pronunciant: ita quoque etsi multa communia habent, tamen inter sese discernuntur, cùm alii nobiliores rerum cognitioni, vt Auditus & Visus: alii animali vitæ fouendæ & conseruandæ, rerúmque earum quarum in vita vsus est, tum perceptioni, tum adplicationi, nunc præcipuè seruiant, vt Olfactus, Gustus, Tactus.

XXVI.

Fatēdū tamen est, ad cognitionem Dei parandam, interdū omnium sen-

suum

suum functones requiri: vt ex his dictis liquet. Audi Israel, Iehouah Deus tuus, Iehouah vnus est. Diliges igitur, &c. Item: Vt quærerent Deum, si fortè palpando eum inuenirent: quãquam profectò non longè abest ab vnoquoque nostrûm. Item: Siquidem gustatis quòd benignus sit Deus, Item: Qui, ait Christus, vidit me, vidit & Patrem meum. Etsi autem analogia quadã à sensibus externis petita, interiores in homine vires ad Deum ritè quærendum & cognoscendum (cum is non sit ἀμάρτυρος) præcipuè inuitantur: hæc tamen dicta etiam exteriorum facultatum & instrumentorum adiuncta perspicuè declarant, & cognitioni seruire monent. Æquissimum autem est, omnes in homine vires tum externas, tum etiam internas, dulci harmonia conspirantes eò eniti & contendere, vt homo Deum ex operibus & beneficiis agnitum, toto pectore diligat.

Deut 6. Act. 17. 1. Pet. 2. Ioan. 14. Act. 14.

XXVII.

Vt autem nerui in corpore sparsi, sensui tactus seruiunt: manus verò primas hac in parte sibi vendicant: vt testantur verba illa, quibus Spiritus sanctus non dedignatus est vti, μυσπάζω καὶ ψηλαφάω, vt in dicto: Contrectate & videte: Ita motus localis voluntarij, præcipua organa sunt nerui, musculi, chordæ, & qui hisce & aliis constant pedes. De incommodo pedum & incessus dicitur: Iacob claudicabat pede. Nec est obscura origo Prouerbij: πεζῇ βαδίζω, νεῖν χαρὰν ὀπίσαμαι.

2. Pet. 1. Luc. 24. Gen. 32.

XXVIII.

Illud autem dignum obseruatione, Ne quidẽ Sensibus externis derogari in Scripturis explorationem & diiudicationem eorum obiectorum, quæ in eos incurrunt: tantum abest vt rectę rationis iudiciũ planè improbetur: vt ex nobili exẽplo de discrimine Hominis & Spiritus liquet. Videte, inquit Christus (iam glorioso corpore conspicuus) ad Apostolos, manus meas & pedes meos: nam ego ipse sum. Contrectate me, & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, prout me conspicitis habere. Corpus humanum & in eo positus membrorum oculis cerni, manibus tangi potest: cùm actu primo præsto est. Spiritum, quia carnem & ossa non habet, contrectare manibus, oculis aspicere, nemo potest. Iam verò si proprium corpus iam rediuiuum & glorioſum, sensuum κριτηρίοις dignosci voluit Christus, non est cur opinemur, eundem sensibus nostris, sua propria obiecta ritè diiudicantibus, fidem abrogare. Huc etiam facit dictũ: Quod erat in principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectârunt, de sermone vitæ, &c. id annunciamus. Id est: Immanuelem Iesum Christũ, qui verè est Deus in carne patefactus, his nostris auribus euangelizantẽ audiuimus, his oculis nostris aspeximus, his denique manibus nostris attrectauimus: eúmque vobis, testes αὐτόπται, annunciamus. Ne igitur, tũ sensuũ rectè sua obiecta percipientium, tum rectè rationi de operibus Dei, iuxta principia speculabilia, iudicanti, fidem derogantes ingrati & iniurii simus in Deum, dexteritatis istius in apprehendendis & æstimandis rebus auctorem.

Luc. 24. 1. Ioan. 1.

XXIX.

De interioribus sensibus quid S. Scriptura doceat, supereſt vt ostẽdamus. Nõ dãnat illa διαίρεσιν sensuũ interiorũ cognitioni seruientiũ, quæ docet esse φανταστικὸν, διανοητικὸν καὶ μνημονευτικὸν. Cõmunis enim sensus imagines ab exterioribus sensibus oblatas apprehendit & descernit. Ratiocinatrix aliud ex-

Galenus.

alio tã cõponendo, quàm diuidẽdo, colligit. Memoria, imagines obiectorũ repetit, retinet, & cum est opus suggerit. Sicut autem sensuum exteriorum
Eccles.1. obiecta, si ritè occurrant, non pariunt satietatem, iuxta dictum: Nõ satiatur oculus vidẽdo, nec expletur auris audiẽdo: ita multò minus interiores, quorum vigor & virtus multò maior est, deficiũt in rerum perceptione, dijudicatione & recordatione, si omnia hęc moderata sint, & actioni conueniant. Etsi autem Salomon addit, Non esse memoriã priorum: κατά τι tamen istud affirmat, ratione mirandæ varietatis rerum præteritarum, quæ tanta est, vt posteri omnium meminisse non queant. De abusu facultatis ratiocinatricis

ἐνθύμησις. ἐνθυμεῖσθαι. dicitur: Cum vidisset Iesus cogitationes eorũ, dixit, Quid mala cogitatis in cordibus (vniuersaliter pro tota vi ratiocinante, hac voce Scriptura vtitur)
Luc.11. vestris. Item: Ipse autem sciens cogitationes eorum. Item: Diliges Deũ ex
Διανόημα. Mat.22. Eph.2. 2.Pet.3. 2.Tim.2. Deut.24. tota διανοίᾳ σου. Celebrantur etiam ὀφθαλμοὶ τῆς διανοίας: & sinceritas τῆς διανοίας. Memoriam omnia illa dicta commendant, in quibus Deus præcipit, vt beneficia eius & præclara opera recolamus, non autem oblivioni mãdemus. Memento, inquit Paulus, Iesum Christum resurrexisse ex mortuis. Itẽ: Memento, quòd seruieris in Aegypto. Memoria καταχρηστικῶς interdum de re-
Sir.14. Hebr.11. rum futurarum prænotione & exspectatione dicitur. Memento mortẽ mo-ram non facere, nec statum fati tempus tibi esse declaratum. Per fidẽ Ioseph moriens de exitu filiorum Israel ἐμνημόνευσε. Nonnunquã per ἀνθρωποπάθειαν
Psal.8. Deo, (qui sine tempore omnia, tanquã præsentia, intelligit) tribuitur. Quid est, ait Psaltes, homo, quòd memor es eius? In quibusdam dictis agnitionẽ
Luc.23. cum gratia coniunctã significat, vt in illo dicto Latronis in cruce cõuersi: Memento mei cùm veneris in regnum tuum. Duorum meminit Christus
Matt.16. 2.Pet.1. in vnico dicto, ὅπως νοεῖτε, ὅτε μνημονεύετε, &c. Item, μνήμην ποιεῖσθαι, apud Petrum.

XXX.

De præstantia interiorum sensuum, déque eorum discrimine, hoc tãtùm dico, & Deum velle vt eorum opera res perpendamus: sicut hęc dicta mo-
Matt.15. Rom.1. nent: ὅπως νοεῖτε, Item: Dei inuisibilia, dũ ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur. τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. Reprehendun-
1.Tim.1. tur etiam οἱ Νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοοῦντες ἃ λέγουσι. Inde, νόημα, de quo aliàs. Verum enimverò Prophetæ & Apostoli, vt generatim non rarò vna voce plures facultates & functiones designant: sic ingenioſam & veram interiorum sensuum distinctionem, ne verbulo quidem improbant: etsi accidentia quædã vitiosa grauiter carpunt, de quibus aliàs.

XXXI.

Hactenus de anima animãte, nũc de intelligẽte.

De Anima, quæ animat & informat organicũ corpus, cuius est ἐντελέχεια ista attigisse sufficiat. restat vt ad Animam intelligentem, quæ non per cor-
pus intelligit (nisi ratione τῆς διανοίας) nec in nihilũ redigitur, cum è corpore discedit, declarandam accedamus. Huic tribuimus primùm & præcipuè τὸν νῦν, mẽtem qua intelligimus rerum species momento, totas, citra compositionem & diuisionem: deinde τῷ διάνοιαν, qua sensuum obiecta componendo & diuidendo expendimus & cognoscimus. Sed de his postea dicemus, si prius vocum ὁμωνυμίαν indicauerimus.

Animæ rationalis nomina varia.

XXXII.

Sacræ literę, Animã rationalẽ, quæ principatũ in homine obtinet, inorganica

inorganica est, & à brutis eundem discernit, vocant aliàs à propria energia τὸν Νῦν, Mentem, intelligentem & diiudicantem τὰ νοητά: aliàs verò Cor, à domicilio animæ vitæque principio: vt non hebetes existimãt. Faciunt huc dicta παράλληλα, Tunc aperuit illorum mentem, vt intelligerent Scripturas. Dominus adaperuit cor Lydiæ, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo. Videmus sanè Mentem & Cor pro anima intelligente sumi in hisce & similibus dictis. Rom. 1. Luc. 24. Act. 16.

XXXIII.

Æquiuocatio vocabulorum Mentis & Cordis obseruanda est, ne nobis ὁμωνυμία imponat.

Interdum κατ' εὐδοκίαν, voluntatem significant. vt in hoc dicto: Obtulerunt Israelitæ mente promptissima. Nonnunquam affectum denotant, verbi gratia, Tristitiam. Placere Deo in ceremoniis mente lugubri: vt vetus tralatio habet. Timorem, vt: Quis det, ait Iehouah de Israelitis, vt sit cor eorum istud ipsis, vt timeant me, &c. Fiduciã: Secura mens, vt iuge conuiuium. Exod. 35. Leuit. 10. Deut. 5. Prou. 15.

In priore Epistola ad Corinthios, Mẽtis vox significat sermonem, quem audientes assequi possunt: vt ex his dictis apparet: προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ. ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ. Precabor spiritu, sed precabor etiam intelligentia: psallam spiritu, sed psallam etiam intelligentia. Item: Sed in Ecclesia malim quinque verba ex intelligentia mea loqui: vt & alios instituam: quàm decem millia verborum lingua. 1. Cor. 14.

Nos mentem pro anima rationali, in hac Disputatione sumimus.

XXXIIII.

Cordis nomen Prophetæ & Apostoli tribuunt, Creatori vniuersorum primùm, per ἀνθρωποπάθειαν. Quæsiuit, ait Samuel Propheta ad Saulẽ Regem, sibi Iehouah virum secundum cor suum. Deinde creaturis, tum rationalibus, tum irrationalibus. Irrationalibus, vt in hisce dictis: Filius hominis erit in corde terræ tres dies & tres noctes. Item: Mons ille ardebat igni vsque ad cor (id est, medium) cœlorum. Cordis vocabulũ quot modis accipiatur. 1. Sam. 13. Matth. 12. Deut. 4.

Homini autem συνεκδοχικῶς tribuitur, primùm ratione totius, vt in grauissima παραινέσει: Cauete ne quando grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & repentè vobis superueniat dies ille. In hoc dicto Cor pro homine sumtum videtur. deinde, ratione principis partis: Corde honesto & bono excipitur semen verbi. tertiò, ratione effectuum, videlicet cogitationum & consiliorum: E bono thesauro cordis, bona proficiscuntur. Item: Probasti cor meum. quartò, ratione vegetantis & nutrientis facultatis: Vinum lætificat cor hominis, vt faciem nitere faciat præ oleo: & panem qui cor hominis fulcit. Luc. 21. Luc. 8. Luc. 6. Psal. 16. Psal. 104.

XXXV.

Hactenus de vocabulis egimus: nunc ad rem ipsam accedemus, & quibus definienda nobis sit Anima rationalis, ex Apostoli verbis colligemus: Hoc Eph. 4.

Nũc. Διανοια. ὄρεξις. ἀναισθησία

itaque dico, & obteſtor per Dominum, ne amplius verſemini ſicut reliquæ Gentes verſantur, in vanitate Mentis ſuæ, cogitationem habentes obſcuratam, & abalienatam à vita Dei, propter ignorationem quæ eſt in ipſis, ex obdurationè cordis eorum. Qui poſteaquam dedoluerunt, ſemetipſos dediderunt proteruiæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem.

XXXVI.

Etſi verò Apoſtolus, Mentem humanam poſt triſtiſſimum Adæ lapſum, caligine ac tenebris obſcuratam, & voluntate à ſummo bono horribili auerſione διεστραμμένην, deſcribit: tamen vtitur iis vocabulis, quæ mentis, qua intelligimus, & voluntatis, qua volumus, naturam etiam religioſè philoſophantium iudicio, rectè declarant. Damus, Apoſtolo non fuiſſe inſtitutum, Philoſophorum more, de animo differere: negamus autem eundem ea ex alto deſpexiſſe, quæ de natura animæ & eius præcipuis functionibus, Philoſophi rectè tradiderunt. Cur enim Deus noluerit, Philoſophos contemplationi opificii diuini intentos, tota errare via: non obſcurè docet Apoſtolus in concionibus ſuis ad Lyſtrenſes & Athenienſes: & in Epiſtolæ ad Romanos veſtibulo, vbi docet Ethnicos inexcuſabiles eſſe, eo quòd Deum, ex creaturis cognitum, non vt Deum glorificauerunt, &c.

Actor 14. & 17.
Rom. 1.

XXXVII.

Hominem à brutis intelligentia differre, auctor eſt Pſaltes, cuius hæc verba ſunt: Ne ſitis ſicut equus, ſicut mulus, quibus non eſt intellectus: in camo & fræno os eius eſt ad coercendum ne appropinquet tibi. Et eidem diuinitùs eſſe conceſſum imperium in omnis generis animantia, notum eſt ex hiſtoria de eiuſdem creatione.

Pſal. 32.
Gen. 1. & 2.

XXXVIII.

Dignæ ſunt memoria diſtinctiones principis in homine partis, quarum vna eſt: Duæ ſunt eius potentiæ, vt ita loquamur, Intellectus & Voluntas. Alia: Anima diſtinguitur in τὸ ἡγεμονικὸν, in τὸ θυμοειδὲς, & in τὸ ἐπιθυμητικὸν. Auguſtinus vt trium Perſonarum, Patris dico, Filii & Spiritus ſancti imaginem in homine declaret, treis vires nominat, Memoriam, intellectum & voluntatem.

Philip. Melanch. Plato. Auguſtinus.

XXXIX.

Placet intellectus definitio, tradita ab eo viro, qui nunc cum Chriſto Ieſu in cœlis beatè agens, poſt fata bonorum amore, malorum odio clariſſimus eſt: Intellectus, ait ille, eſt potentia cognoſcens, recordans, iudicans & ratiocinans ſingularia & vniuerſalia, habens inſitas quaſdam noticias nobiſcum naſcentes, ſeu principia artium, habens & actum reflexum, quo ſuas actiones cernit & iudicat, & errata emendare poteſt.

Philip. Melanchthō in libello de Anima

XL.

Intellectum, qui Platoni eſt τὸ ἡγεμονικὸν, Apoſtolus noſter vocat Mentem, τοῦ νοὸς. Eius obiectum eſt Ens quam latè patet, hoc eſt, Deus & tota rerum vniuerſitas. Conditi enim ſunt homines ad hæc omnia aſpicienda, & vt

Eph. 4. Act. 17. Rom. 1. Pſal. 18.

Deus

Deus glorificetur.

XLI.

Etsi autem Philippus, ne nodum in scyrpo quærere videretur, docet, Intellectus functiones & actiones præcipuas esse Simplicium apprehensionem, Compositionem & diuisionem: ac Discursus, vt veteres voluerunt: seu, vt ipse censuit, simplicium cognitionem & numerationem, Compositionem & Diuisionem & Ratiocinationem, Memoriam & Iudicium, iuxta κρίσεως: tamen, cùm distinctio Mentis καὶ τῆς διανοίας, tum Pauli Apostoli iudicio, Eph. 4. tum etiam ratione euidente nitatur, retinenda nobis erit. Quanquam ille per Hebræis familiarem ἐπεξήγησιν, τὸν νοῦν τῆς διανοίας vocabulo exposuisse videri potest: tamen & res ipsæ, & epitheta, distinctionem nostram probant. Intellectus quæ functiones.

XLII.

Intellectus noster, cùm sit creatus, & tempore mensuretur, ita res intelligit, vt eæ successione quadam fiunt, id est, intelligit vnum post aliud. Increatus autem & æternus intellectus, absque tempore omnia intelligit, vt sunt: cùm omnia similiter præsentia habeat. Itaque citra reuelationem, nemo vnquam cognouit mentem Domini: nemo ei à consiliis fuit. Ideo apud Prophetam dicit: Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, &c. Scio in his & similibus dictis, de decretis Dei & eorundem executione agi. Sed tamen etiam caussam indicari, intelligentes facilè vident. Quomodo nos intelligamus, & quomodo Deus. Rom. 11. Isaiæ 55.

XLIII.

Mens tamen, rerum species totas momento intelligit: διάνοια verò non sine compositione & diuisione res intelligit, partium respectu. Hæc sensuum ministerio vtitur. inde natum est dictum: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Id verum esse κατὰ πι, meminerint discentes.

XLIIII.

Ad διάνοιαν referri possunt οἱ διαλογισμοὶ cordis humani, qui multarum rerum considerationi, & in primis practicis syllogismis inseruiunt. iuxta dicta: Ex corde exeunt διαλογισμοὶ πονηροὶ, cogitationes malæ. Item: Vt detegantur ex multis cordibus cogitationes. Item: Vani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Non tamen nego, γενικῶς toti intellectui τὸς διαλογισμὸς competere. Hoc tantùm volo, cùm διανοίας proprium sit aliud ex alio colligere, vt effectum ex propria caussa, rectè proprieque τὸς διαλογισμὸς eidem tribui. Matth. 15. Luc. 2. Rom. 1.

XLV.

Porrò in practicis syllogismis conscientiæ, διάνοιαν censoriam virgulam sibi sumere, ex hoc Pauli dicto liquet: Vt qui ostendant opus legis scriptum in cordibus suis, vnà testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut etiam excusantibus. Rom. 2.

In syllogismo practico maior propositio est Lex Dei, seu vt Paulus loquitur, ἔργον τῦ νόμου. Huius noticiã Theologi Græci ideo συντήρησιν vocãt, quia in omnibus hominib⁹ seruat admonitionẽ, quę ostẽdit quid rectũ sit, & quod sit

iudicium Dei. Vt lex, Non committes adulterium: præcipit castitatem & puritatem animi & corporis. In eodem syllogismo Lemma, seu Minor est, Testimonium conscientiæ. Vt in Iosepho: Tu verò abstinuisti ab herili coniuge. Etsi autem Ioseph calumnia circumuentus erat, prætérque meritum in carcerem detrusus: tamen quæ est mille testium vice cõscientia bona, eidem fuit solatio. Conclusio est λογισμὸς ἀπολογούμενος in rectè factis: Itaque est cur magno sis animo, cur bene speres de mitigatione istarum ærumnarum.

XLVI.

Adamus & Eua præuaricationis rei, sibíque malè conscii, tormentum huius syllogismi practici senserunt, donec Euangelii concione & promissione exhilarati sunt.

Maior: Lex, Σωτήρησις.

Gen. 2. De arbore scientiæ boni & mali non comedes, nam in die qua comederis ex ea, certò morieris. Legis auctoritatem confirmabat in σωτηρήσει Adæ, iusticiæ, veritatis & potentiæ diuinæ firma persuasio.

Λῆμμα: Συνείδησις, *seu testimonium conscientiæ.*

Nos verò edimus de fructu illius arboris: ac Satanæ τῇ πανουργίᾳ circumuenti, spontè peccauimus.

Conclusio: Λογισμὸς κατήγορος.

Certò igitur moriemur: neque enim nobis vllum salutis & vitæ præsidium in nobis ipsis, reliquum est. Experti sunt primi parentes in ea στενοχωρίᾳ & anxietate constituti, id quod experientia posteros docuit: ἡ συνείδησις πολλάκις τὴν ψυχὴν.

XLVII.

Vt autem hi λογισμοὶ seruiunt hominis pædagogiæ, ita quoque ad diiudicationem rerum & occupationum humanarum plurimum conducunt: nec deerrant, cùm diuinitus præscriptos Canones ad amussim sequuntur. Sunt autem hi Canones.

De Deo. Canon 1.

Gen. 1. & 2. Exod. 19. Cùm ad imaginem Dei homo conditus sit, opificem timere & diligere debet, ea ratione quam ipsemet in Decalogo præscripsit.

De Hominum societate. Canon 2.

Luc 19. Diligat quisque proximum suum, vt seipsum: idque Dei caussa.

De Homine. Canon 3.

Cum nemo sit ἀντιξόανος τῆ ἀνωθεν δόσει, omnia ad Dei gloriam homini referenda sunt: nihil priuato arbitrio, neglecto Dei nutu, statuendum.

De Sor-

De Societate. Canon 4.

Gradus societatis humanæ, quos Deus instituit, violare aut aspernari nefas esto.

De Officijs. Canon 5.

Cuique & publicè & priuatim officium sedulò faciendum, & suum cuique tribuendum.

De Creaturis. Canon 6.

Creaturis sic vtendum, vt Dominus vniuersorum vult: nec aliter de eis pronunciandum, quàm vt eorum ratio, Deo probata, fert. Hos & similes Canones λογισμοὶ illi in hominis mente & διανοίᾳ sequuntur.

XLVIII.

Recta ratio.

Fient autem hæc omnia illustriora, si ea quæ de recta hominis Ratione, Scripturæ sacræ præcipuè docent, perpenderimus. Initium autem à Notatione & συμβολοῖς faciemus.

Paulus Apostolus Rationem rectam, generali appellatione φύσιν, Naturam ideò nũcupat, quòd naturæ humanæ propria est. Vt cùm dicit: Anne natura quidem ipsa vos docet, quòd viro quidem comatum esse, dedecori sit? Decorum ciuile, in habitu, gestu, cultúque corporis, iuxta sexuum distinctionẽ, etiam natura magistra præscribit. Idem altius ascendens, & de operibus legalibus differens, ait, Ethnicos quosdam naturà quæ legis sunt, facere. Hæc non tantùm (κατά π tamẽ) monitricem & doctricem Naturã facit, sed etiam ἐργοδιώκτιν disciplinæ, quam homo vtcunque præstare potest, si spectes σωματικὴν γυμνασίαν: non autem si εὐσέβειαν, quam ii soli Deo probant, quibus id ipsum per gratiam datum est.

1. Cor. 11.

Rom. 2.

Aristoteles appellat ὀρθὸν λόγον, quòd nihil in ea, diuinitùs indita, obliquum, sinuosum, perplexum καὶ διεστραμμένον sit. Faciunt nonnihil ad hanc rem illustrandam prouerbia: τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδὸν. Item: Recto pectore.

Ηθικ. Nic. 6. cap. 1.

XLIX.

Definitio Rationis rectæ.

Recta Ratio, Paulo est ἀλήθεια, veritas: aut, ἐπίγνωσις τοῦ δικαιώματος τοῦ θεοῦ: aut, vt crassa Minerua vtar, est vera notitia operum, ordinis & iudicii diuini, à Deo cordibus hominum inscripta, congruens cum voluntate iudicióque Dei, quæ magis magísque accenditur & illustratur, tum opificii & prouidentiæ Dei contemplatione, tum exercitio virtutum moralium & intellectualium, vt homini & in censura creaturarum & operum Dei, & in officiis Ethicis, Politicis & Oeconomicis inseruiat.

Rom. 1. vers. 18. & 32.

L.

Efficiens princeps causa Rationis, est Filius Dei, λόγος ὑφισάμενος & Sol iustitiæ. Huic tribuuntur Creatio & illuminatio hominum. Erat, inquit diuinus Euangelista, ille lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Sicut enim Satan, pater est mendacii & vanitatis in tota vita, in artibus & scientiis: ita Sapientia, quæ est Filius Dei, fons est veritatis in Philosophia, arte Medica, Legibus, Consiliis, & iis omnibus quæ cum lege naturæ iudicióque rectæ rationis non pugnant.

Ioan. 1.

Nec magis restringi potest illuminatio illa, de qua Ioannes loquitur, ad lumen gratię, quo cohæredes suos Christus illuminat, quàm etiã hominum creatio: quã si quis eo loco restringat ad τὴν καινὴν κτίσιν & solos fideles, multa malè interpretari cogetur, dum non vult vnum rectè intelligere: vt Irenæi Martyris verbis vtamur.

Quis dubitet eximium esse lucis illius radium, salubrium & insalubrium distinctionem, à Medicis publici boni caussa assiduè inculcandam?

LI.

Formã & normam Rationis rectæ, & discursus eius in rebus dijudicãdis, doctrina de Principijs declarat. Sunt autẽ Principia Melanchthone finitore, noticiæ nobiscũ nascẽtes, quas Deus velut radios suę lucis & sapiẽtię in nos sparsit, vt sint testimonia de Deo & eius volũtate, & discernãt nos à bestijs, & regant vitã, & gignant honestas artes, quarum vsus in vita necessarius est.

Principia quid.

Fatemur autem nobis probari Principiorum διαίρεσιν quæ docet alia esse θεωρητικὰ, quorũ in artibus maximus vsus est: alia verò πρακτικὰ quæ moderantur mores & officia hominum: quia sunt leges naturæ, discernentes iusta & iniusta, honesta & inhonesta, æqua & iniqua, vt congruant voluntates & actiones nostræ cum voluntate Dei. Harum veluti λείψανα quædã occurrunt in Gnomologijs Phocyllidis, Theognidis, Isocratis & similium. Sapienter autem multa de eis tradita sunt ab Aristotele in Moralibus, & quidem methodo erudita adhibita. Omniũ verò sapientissimè & copiosissimè exposita sunt in monumentis Prophetarum & Apostolorum. Sed de Principiis ipsis aliàs pluribus.

Principiorum diuisio.

LII.

Finales caussæ multiplices: Ethica, Politica & Oeconomica, æternũ septũ dirimens iusta & iniusta, honesta & inhonesta, æqua & iniqua &c. Arithmetica, vt rerum numeratio & discrimen. Physica dijudicans res naturales & earum caussas: vt, A Deo omnia condita sunt & conseruantur. Ordo & bonitas rerum, est testimonium de Deo. Iuxta dictum: πάντα ἔοικε ταῦτα σοφῆς πινος ἠ ἀγαθῆς δημιουργῆς τέχνημα εἶναι. Corpus animatũ, est in loco & tempore certo, & similia. Experientiæ vniuersali non est reclamãdum: quia quũ natura ita condita sit, opus Dei tale esse adfirmandum est. Item, quia dato opposito, sequitur destructio vniuersæ naturæ: vt piè & eruditè docet Melãchthon: qui etiam addit, Dissentire à manifesta experientia, est Deo bellum inferre, Gigantum more: quia perinde est, ac si quis neget hunc naturæ ordinem à Deo conditum esse. Sunt præterea Geometricæ, Astronomicæ, Metaphysicæ κοιναὶ ἔννοιαι: quarum confusio tam perniciosa foret, quàm salutaris est earum noticia certa, distinctio & vsus.

Vltimus Principiorum istorum finis est, vt cùm sint testimonia de volũtate & iudicio Dei, de discrimine bonorum honestorum & vtilium, déque actionum, dictorum & cogitationum differentijs: seruiant primum pędagogiæ & multiplicibus vsibus nostris, deinde gloriæ Dei optimi maximi, qui indidit has notitias nostris mẽtibus, vt essent testimonia de Deo & eius voluntate.

LIII.

Hæc vt illustrentur, τὰ προσκείμενα, & effecta eius breuiter indicabimus.

Adiuncta & effecta rectæ Rationis.

Recta ratio, præsertim radio fidei illustrata, primùm gubernat cõsilia, actiones & totam nostram vitam: ne quid contra eius normam, Legem videlicet, ἐκ προαιρέσεως, agamus: & vt nostros errores & παραπτώματα emendemus. Monstrat enim mediocritatem in actionibus moralibus: & vt eam amemus & sectemur, fideliter hortatur, idoneis caussis redditis.

Deinde seruit rerũ delectui, cùm eas vel sensuũ ministerio per epagogen: vel mẽtis solertia per syllogismũ, inquirit & dijudicat. Ex notitijs in mente humana, colligit Mentem humanã nõ esse cõflatã ex natura elementari: & ex hoc ratiocinatur, Animam intelligẽtẽ nõ esse corruptibilẽ. Itẽ, ex eo quod impossibile est, in caussis essentialiter ordinatis progredi in infinitũ, διὸ χως

concludit, Vnũ esse Deum, causſam boni in natura, &c. Etsi autem post lapsum Adæ, Ratio caligine densa laborat: non tamen sic eius lumen obfuscatum est, vt ignorantia eius excusationem mereatur. Rom.1.

Postremò, plurimũ sanè facit ad hominẽ, bene quidẽ sibi cõsciũ, exhilarãdum: malè verò sibi conscium, redarguendum & conuincendum, vt non sit quo seipsum excuset. Iuxta dictum: Ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, vnà testimonium reddente eorum conscientia, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus. Ita enim homo reus, fit αὐτοκατάκριτος: quod sanè fieri Dei gloriæ interest, vt docet Paulus. Rom.2. Rom.3.

LIIII.

Cum recta ratione pugnant, tum ea quæ fucosam speciem solũmodo veri boníque habent, tum etiam illa quæ manifestè absurda sunt. Pugnãtia & absurda.

Prioris ordinis sunt, quę in hac naturę corruptione caro & sanguis dictãt. vt errores, de professionis veri & Euangelij & crucis ac ærumnarum diuortio, de politico Christi regno: de rerum terrenarum æstimatione & studio præpostero. Item, ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν & similia. Matt.16. Luc 22. Col.3. Rom.12.

Fons istorum deliramentorum est, non recta Ratio, sed intelligentia carnis, τῆς σαρκὸς φρόνημα & ὁ τῆς σαρκὸς νῦς. Instrumenta autem vocantur παραλογία καὶ κακολογία, quibus simplices & incauti decipiuntur. Rom.8. Col.2. Rom.16.

LV.

Posterioris ordinis sũt Absurda & incõueniẽtia, propriè sic dicta. Hæc quęritur, Quid sit tribuẽdũ distinctioni, Alia sunt absurda rationi, alia verò fidei?

Respondeo, Cauendũ esse studiosis. Accidẽtis paralogismum. Sicut enim μυωπίασις in oculis non est ipsa lux oculi: sed accidẽs, cui tribuitur visus imbecillitas: ita errores in iudicãdo, nõ rectæ rationi, sed caligini humanæ mẽtis tribuẽdi sunt. Rationi enim rectæ, hoc est, luci in mente hominis diuinitùs accensæ & congruẽti cũ sapiẽtia Dei, nihil absurdũ est, quod nõ & fidei absurdũ videatur. Illa nihil habet in Decalogo (ex iis quæ assequitur) quod nõ habet. Quòd interioris obediẽtiæ perfectionẽ nõ assequitur, id vitiosæ caligini humanæ mentis, non τῷ ὀρθῷ λόγῳ, imputandum. Ex eo sanè quòd, vt suprà diximus, nõ est processus in infinitũ in causſis efficientibus, εὐσόχως recta ratio colligit, vnã esse causſam primã, mentem æternam, boni quod in natura est, causſam. Multa quoque alia ratio humana rectè ratiocinãdo colligit, quæ fides nõ modò non coarguit tanquã vana, sed etiam vt consentanea volũtati operibus & patefactionibus diuinis, confirmat & probat.

LVI.

At enim, dicet aliquis, an non rationi humanæ repugnãt hæc & alia: Mũdũ non esse ab æterno: Eundem è nihilo productum: Verbum carnẽ esse factum: Homines gratis, fide iustificari: Mortuos resuscitandos?

Respondeo: Aliud est, è diametro repugnare rectæ rationi: aliud, eiusdem captum longè superare. Damus, illa quæ recensuimus & alia plurima, captũ hominis excedere: Rectæ rationi (quæ nulla esse potest nisi à diuinæ sapiẽtiæ radio) repugnare, non ita simpliciter damus. Quid enim verbis opus est? An nõ vel mediocriter in hisce rebus exercitati vident, illa cum mẽtis humanæ dẽsissima caligine (quæ facit, vt homo ψυχικὸς ea quę Dei sũt, nõ assequatur) nõ autẽ cum recta ratione, pugnare? Sicut lex Dei, cũ lege mẽtis in Paulo, nõ pugnabat, sed cũ membrorum lege: ita illa capita non tã rectæ rationi aduer- 1.Cor.2. Rom.7.

santur,quàm tenebris mentis,quæ peccatum Adæ secutæ sunt.

LVII.

Videant ergo ij, qui rectam rationem (per intolerabilem κατάχρησιν pro Carnis intelligentia sumtam)contumeliosè odioséque exagitant,ne non solùm sanis hominibus de potestate rationis exiuisse,sed etiam iniurii in Deũ, lucis intelligentiæ auctorem,videri non sine caussa possint. Nos patrem luminum & fontem sapientiæ adorantes, ἀμυσολογίας καὶ τερατολογίας illas missas faciamus,memores dicti: Ergo si lumen quod est in te,tenebræ sunt,ipsæ tenebræ quantæ? Retineamus autem distinctiones duas, quarum magnus est vsus. 1. Etsi inter rectæ rationis & fidei lumen plurimùm intereſt(illud enim Moralia,Physica,& vt κεφαλαιωδῶς dicam,τὰ ὀπτάσια: hoc autem τὰ πνευματικὰ, καὶ τὰ ἄνω, complectitur)tamen fatendum est,eadem quæ fidei, etiam rectæ rationi absurda esse,si hæc illius fulgore illustretur. Neque enim in renatis recta ratio fidei contraria est,(nisi per accidens)sed se huic subiicit:& haud secus quàm à Sole Luna,lumen ab ea mutuatur, eique subscribit. 2. Plurimum etiam interest inter rationem rectam,quę Dei opus est & eximium donum, & inter tenebras & caliginem,quæ per peccatum accessit. Illa enim est radius diuinæ lucis,à Sole iusticiæ accensus,salutaris homini,suáque propria obiecta diiudicans. Hæc autem fons est errorum, quos mendacii pater suggerit & amplificat, vt peruertendo rectum iudiciũ de rebus salutaribus & noxiis, honestis & turpibus,bonis & malis,societatem generis humani perdat,&c.

Mat.6.

Distinctio luminis fidei & rationis secundum obiecta.

Distinctio doni diuini & accidẽtis praui.

LVIII.

Illud supradictis adiungendum est, Sensum hominis communem niti nõ solùm principiis naturà notis,sed etiam vniuersali experientia. Itaque quæ absurda esse pronunciat, absurda haberi debent: nec furenter iis reclamandum,quæ magno consensu omnes homines intelligentes, iuxta κριτήρια non fallentia pronunciantes,vera este testantur. Non magis verum est, bis 4 esse 8.quàm illud Aristotelis: ὅσον σφοδρὸν τοῦ ἀληθείαν. Item. Sicut certissimum est ter 3.esse 9:ita ἀδικώτεροι οἱ ὀπιθυμότεροι, vt idem Philosophus loquitur. Item, Atrocia delicta,comitãtur atroces pœnæ. De his & similibus idẽ est omnium hominum intelligentium iudicium. Nihil iam περὶ τῶν αἰσθητῶν dicam. Communis enim sensus,& omnium hominum experientia,eodem modo de eis iudicat. De luce & tenebris,de calore & frigore,de morte & vita, de prospera & aduersa valetudine, de coloribus, saporibus, odoribus, quatuor primis qualitatibus,& aliis,idem omnibus experientia & vsus persuasit. Itaque non irridẽda est tũ sensus communis,tum exteriorũ sensuum δοκιμασία. Cùm cęco visum restitueret Christus Dominus,& ille initiò adhuc cæcutiens diceret: Video homines:nam cerno instar arborum ambulant s.ne imperfectũ esset donum,rursum imposuit manus super oculos eius, fecitque vt denuò aspiceret,& restitutus,eminus & dilucidè videret omnes. Nõ enim errandi, sed rectè res cognoscendi facultatem subministrare volebat. Non autem nego sensus interdum falli:sed nego ideo datos,vt sint errorum ansæ. Quod enim illis accidit,id per se non eis imputandum est.

Sẽsui cõmuni cur &quid tribuendũ.

ἠθικ. 1. ἠθικ. 7.

Marc.8.

LIX.

Cum iis quæ de Intellectu hominis hactenus dicta sunt,non arbitramur pugnare illam distinctionem Intellectus Speculatiui & Practici, veteribus quibusdam probatam. Eruditè enim docet Germaniæ Phœnix Melanchthon, vnam quidem esse potentiam intelligentem: sed eam versari circa diuersa obiecta, aliàs circa speculabilia, aliàs circa deliberationes de actionibus.

In libello de Anima

ethicis, ciuilibus & aliis. Sicut enim iidem oculi colores & figuras cernunt: ita idem Intellectus τὰ θεωρητικὰ ἢ τὰ πρακτικὰ contemplatur. Intellectus contemplatiuus circa vniuersalia versatur, & has similésque κοινὰς ἐννοίας suggerit: Ex vero nihil nisi verum sequitur, & verum vero consonat, Dato vno inconuenienti, plura sequi necesse est. Propter quod vnumquodque tale, illud magis tale. Totum maius est qualibet sua parte. Quodlibet est, aut non est. Quæ sunt vni æqualia, inter sese sunt æqualia. Item: Vnius corporis simplicis vnicus est naturalis motus, &c.

Practicus intellectus inculcat huius generis sententias, quæ & testimonia de Deo, & vitæ rectrices sunt: Veritati adhæreto: Periculosa temeritas. Age quæ iusta sunt. Beneficii accepti memento. Pietatem sectare. Supplicibus misericors esto. Ne cui inuideas. Concordiam sectare. Ne tempori credideris. Teipsum ne negligas. Ne de quauis re doleas. Iustum natura est, non opinione, &c.

LX.

Iam & de Voluntate agendum. Verbum Græcum Θέλω in Noui Testamenti libris sumitur, aliàs γενικῶς, & quidem biuariam. in partem bonam: Domine volumus, θέλομεν, Iesum videre: in malam partem: Vos ex patre diabolo estis, & cupiditates patris vestri vultis explere. aliàs εἰδικῶς. vt: Si quis voluerit eius voluntatem exequi, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar. aliàs συγκριτικῶς, seu comparatiuè. vt: Misericordiam volo, & non sacrificium. Hoc dicto misericordia & pietas præfertur ceremoniis. Item: Quid vultis? cum virga veniam ad vos, an cum caritate & spiritu lenitatis? aliàs denique non tam caussam, quam effectum & rem desideratam, αἴτημα. vt: Quicquid volueritis, petite, & fiet vobis.

Voluntas quot modis accipiatur.
Ioan.12.
Ioan.8.
Ioan.7.
Ose.6.
Mat.12.
1.Cor.4.
Ioan.15.

LXI.

Voluntatis, θελήματος ἢ θελήσεως, vocabulum tribuitur aliàs Deo. vt in dicto: Fiat voluntas tua. Ecce Deus adsum vt faciam voluntatem tuam. aliàs verò hominibus, & quidē triplici ratione. Primùm quidem ratione actionis, seu ipsius velle: Omnino non fuit ei voluntas nunc eundi: venturus est autem, cùm tempus opportunum habuerit. Secundò, ratione potentiæ, seu animæ intelligentis & appetentis. Qui vult inter vos magnus esse, fiat omnium minister. Item: Digito nolunt attingere illa. Tertiò, καταχρηστικῶς pro scelerata libidine & cupiditate. Vt in dictis: Herodes volebat occidere Ioannem Baptistam: sed non poterat. Item: A quo captiui tenentur, εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. Item: Satis est nobis, quòd anteacto vitæ tempore, τὸ θέλημα, libidinem Gentium patrauerimus, cùm incederemus in proteruiis, cupiditatibus, &c.

Voluntas quibus tribuatur.
Mat.6.
Heb.10.
1.Cor.16.
Mat.20.
Mat.23.
Marc.6.
2.Tim.2.
1.Pet.4.

LXII.

Voluntas est potentia appetens suprema, & liberè agens monstrato obiecto, vt docuit Melanchthon. Eius actiones sunt, velle ac nolle: medium, suspendere actionem. Iuxta dicta: Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quòd si non volueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Item: Velle adiacet mihi. Cogimur istis testimoniis vti, (etsi non ignoramus ea de homine restituendo dicta) quia etiam illa voluntatis potentiam declarant.

Volũtatis definitio.
Isaiæ 1.
Rom.7.

LXIII.

Nunc, si placet, finitionis παράφρασιν instituamus, & membra eius singula expendamus. Dicitur de volũtate, quod sit potentia, vt eius vis & efficacia, non longo vsu & exercitio comparata sed natura insita, declaretur. Neque enim ignaua aut ociosa fuit voluntas in homine recens condito, sed fons actio-

1. Potẽtia.

2. apparẽs num voluntariarum, quarum alias Ecclesiasticas, alias Ciuiles, alias œconomicas esse videmus. Additur, appetens, vt significetur ὄρεξις & prosecutio, 1. Pet. 3. aut fuga eius quod voluntati ideò gratum vel ingratum est: quia bonũ malúmue esse videtur. Iuxta illud: Qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonũ: quærat pacem, & persequatur eam. Alia est hominum, alia brutorum ratio. Deus homines ἐκ προαιρέσεως sibi obedire, veráque bona quærere voluit. Itaque intelligentia instructos, & βουλητικὰς esse voluit.

LXIIII.

3. suprema. Suprema. Hoc dicitur ad differentiam cæterarum appetitionum, quę sunt ordinatæ, in natura humana.

Deut. 6. De θυμοειδῆ appetitione ordinata, & piis adfectibus dicitur: Diliges Iehouam Deum tuum ex toto corde, & tota anima tua, & tota fortitudine tua. Psal. 30. Item: in te Iehoua speraui, ne confundar in æternum. Item: Timeat eum omPsal. 22. ne semen Israel. De ira & vindictæ cupiditate moderanda & coercẽda dicGen. 4. itur: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei. In tristissima corruGal. 5. ptione naturæ humanæ accidit id quod Apostolus monet: Nam caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. hæc autem inter se opposita sunt, vt non quæcũque volueritis, eadem faciatis. Prius ergo quàm Adam peccaret, cùm caro ei impedimẽto in bonis actionibus non esset, omnia bona, quæcunque volebat, facere poterat. De ardente laudabilíque desiderio dicitur: ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα. Vnde liquet, ἐπιθυμίαν etiam in Luc. 22. bonam partem sumi: quemadmodum & verbum à quo descendit, ἐπιθυμέω in Mat. 13. dicto Christi: multi Prophetæ & iusti ἐπεθύμησαν ἰδεῖν. & in verbis Apostoli: Hebr 6. ἐπιθυμοῦμεν δὲ ἕκαστον ὑμῶν τὴν αὐτὴν ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν. Vtinã ipsi quoq; desiderio sacrorum mystriorum, cognitionis Christi, & officii nostri, ducti, toto corde Christum & eius seruos fideles diligamus & veneremur.

Luc. 16. Pro. 27. Psal. 145. De ἐπιθυμητικῇ autem propriè sic dicta, quę ordinata esse, & animali vitę seruire debet, hęc dicta loquuntur. ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι, cupiens saturari micis, &c. Item: Animæ famelicæ omne amarum erit dulce. Item: Dat escam esurientibus.

LXV.

Appetitus ordinatus circa quæ obiecta versetur. Vt autẽ hęc omnia perspicua & illustria fiant, gradus quosdã cõstituemus, qui ostendant circa quæ obiecta Appetitus hominis versetur. Primus est infiniti boni, quo frui summa est felicitas. Iuxta illud: Quemadmodũ cerua clamat ad torrentem aquarum: ita anima mea clamat ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum, ad Deum viuum. Secundus gradus est, appetitio conseruationis indiuidui. Nullus vnquam, ait Apostolus, carnẽ suam ipsius odio habuit: imò enutrit ac fouet eam. Huc referri debet ordinata appetitio cibi, potus, quietis, & aliorum vitæ huius adminiculorum. Tertius gradus est ordinata appetitio conseruationis speciei, quæ legitimæ procreationi & propagationi hominum seruit. Iuxta dicta: Crescite & multiplicamini. Item: Vxor tua erit sicut vitis fructificans in lateribus domus tuæ: & filii tui sicut plantationes olearum in circuitu mensæ tuæ. Ecce certè sic benedicetur vir qui timet Iehouam.

1. Summũ bonum. Psal. 42.
2. Indiuidui conseruatio. Eph. 5.
3. Speciei conseruatio. Gen. 1. Psal. 128.

Iehouam. Quartus gradus est, appetitio eorum officiorum, quibus ad vitam tuendam nobis opus est. Iuxta dictum: Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, ita & vos facite eis. 4. Officia. Matt. 7.

LXVI.

Liberè agens. Non potest cogi voluntas, vt velit quod nolit. Ac festiuum est Augustini illud: Velle quod nolis, perinde est atque calidum esse sine calore. Spontaneum tamen & Necessarium non opponuntur. Adam ante offensam & sponte bona fecit, & mala omisit, & necessariò talem se præstitit. Sponte quidem, quia ex toto corde, tota anima & omnibus viribus Deum tum diligebat: necessariò verò, tum quia omnibus bene agẽdi principiis instructus erat, tum quia officium se facere debere intelligebat. 4. liberè agens.

Actionum autem voluntatis aliæ sunt Elicitæ, quæ ἐκ προαιρέσεως & promtissimè fiunt, cum alacritate: Vt Iosephi, abstinentis ab herili coniuge, castitas. Abrahæ obedientia. His tamen præluxit fides. Aliæ dicuntur imperatæ: vt Lothi è Sodomis exitus. Quum tardaret, inquit Moses, apprehenderũt viri manum eius, & manum vxoris, manúmque duarum filiarum eius, eò quòd parceret Iehouah ei, eduxerúntque eum. Inprimis parentibus ante lapsum, in illo suo flore constitutis, actiones elicitæ in cultu Dei, imperatæ in locomotiuæ ministerio conspiciebantur. Hebr 11. Gen. 19.

LXVII.

Postremò additur, Monstrato obiecto ab intellectu. 5. Mõstrato obiecto à voluntate.

Sicut Intellectus obiectum est Ens, quàm latẽ patet: ita Voluntatis obiectum est bonum. Hoc autẽ distinguendũ est. Primum & præcipuum obiectũ voluntatis est Bonum increatum, æternum infinitum: de quo dicitur οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός: Nullus est bonus, nisi vnus, nempe Deus. Proximũ locum obtinent salutis nostræ adminicula: Verbi Dei cognitio, & sensus. iuxta illud: Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Tertio loco occurrunt bona Ethica, de quibus Paulus: Quæcunque, ait, sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitate. Quartò, Officiorum publicorum, & ordinis Politici, Ecclesiastici & Oeconomici, bona. Iuxta dicta: Non est potestas nisi à Deo. Item: Si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat. Item: Qui inuenit mulierem, inuenit bonum: & hausit beneuolentiam à Iehouah. Quintò, Bona physica vtilia, suauia & iucunda. Si, ait Iesaias, volueritis & audieritis, bona terræ comedetis. Circa hæc bona voluntas versatur, de præstantissimis bonis, ab intellectu: de cæteris autem, à sensibus edocta. nam ignori nulla cupido esse potest. Hæc πυκνοτέρως, de definitione voluntatis dixisse sufficiat: nũc ad Animæ intelligentis præcipuum ornamentum, ad Dei videlicet imaginem, declarandam accedemus. Multa autem, quæ exiliter hactenus dicta sunt, nitorem aliquem ex sequentibus, nisi me animus fallit, accipient. Mat. 19. Phil. 1. Luc. 10. Phi. 4. Rom. 13. 1. Tim. 3. Prou. 18. Isaiæ 1. Transitio. Homonymia vocabuli Imago, ratione causarum. Rom. 1. & 8.

LXVIII.

Ex duobus Pauli Apostoli dictis liquet, εἰκόνος, imaginis nomen angustius esse, quàm μορφῆς καὶ ὁμοιώματος, id est, formę & similitudinis. Alterum est: ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου. Alterum: συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. Sed his delibatis, ad ὁμωνυμίαν vocabuli

Imago accedamus, vt de qua imagine acturi simus, discẽtes intelligant. Imago alia est increata, alia creata à Deo, alia ficta.

Col.1. Increata Dei imago, est Filius Dei. Iuxta dicta: Qui est imago Dei incõspicui, primogenitus omnis rei creatę. Appellationis ratione indicat idem

Hebr.1. Apostolus alibi: Qui, inquiens, cum sit splendor gloriæ, & character personæ illius, &c.

Creata Dei imago in rationali creatura, distinguitur in eam quæ ratione

1.Cor.11. ordinis politici viri propria est, de qua Paulus: Vir, ait, imago est & gloria Dei, & in eam quæ toti speciei, seu naturæ cõmunis initiò fuit: de qua Pro-

Gen.1. phetarum κορυφαῖος: Creauit itaque Deus hominem ad imaginem suam.

Ficta vel picta imago, (Græcè εἰκὼν, à quo εἰκονικοὶ pictores, qui ad viuum

Matt 22. imagines depingũt) vel est politica miniméque culpanda, vt Cęsaris imago in nomismate: vel est superstitiosa & idololatrica. De huius farinæ idolis & imaginibus dicitur in illa grauissima Ethnicorum reprehensione, quæ ex-

Rom.1. stat in principio Epistolę ad Romanos: Mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedũ, & reptilium. Ac de idolorũ origine multa & digna memoria occurrunt Sapien.14.& 15.

LXIX.

Imaginis distinctio respectu obiectorum.

Distinguitur etiam imago, obiectorũ respectu, primùm in ὁμωνύμως dictã Dei imaginem. Cui igitur assimilabitis Deum? Et quam similitudinẽ dispo

Isaiæ 40. netis ei? Quasi dicat, Nullam, cum Deus spiritus sit. Deinde in visionis ima-

Ioan.4. ginem. Substitit, inquit Eliphaz, cuius vultum non agnoui, imago corã ocu-

Iob.4. lis meis erat, silentiũ & vocẽ audiui. Tertiò in vitæ huius μεγάλην φαντασίαν

Act.7. & figurã, quę pręterit. Profectò, dicit Psaltes, in imagine ambulat vir, pro-

1 Cor.7. fectò in vanum tumultuantur: congregat, & nescit quis colliget ea.

Psal.39.

LXX.

Vnde petẽda definitio imaginis Dei in homine.

Quo pacto Dei in homine imago nobis definienda sit, ex dictis de homi-

Gen.1.& 5 nis Creatione, & de Imaginis Dei in nobis restitutione, discendum erit. Fa-

Eph.4. ciamus, inquit Deus, hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostram, & domi-

2.Cor.3. netur piscibus maris, &c. Item: Induere nouum illum hominẽ, qui secũdum

Col.3. Deum conditus est, ad iusticiã & sanctimoniã veram. Itẽ: Nos verò omnes retecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriã, velut à Domini spiritu. Itẽ: Nouus ille homo renouatur in agnitionẽ congruentẽ imagini eius qui ipsum cõdidit.

LXXI.

Ex hisce dictis & similibus rectè, arbitror, colligimus, primùm quæ fuerit sedes Imaginis Dei in primo homine. Etsi fulgor imaginis Dei reluxit etiam in externo homine, & in ea generis humani præstantia, qua omnia animantium genera longè superat: tamen primaria eiusdem sedes fuit in principe hominis parte, Mente videlicet, & eidem subordinatis viribus. Cõstitit enim perfectione omnium illarum, luce nimirum mentis, cordis rectitudine, voluntatis ad Deum conuersione, & omnium potentiarum τάξει, sanitate & consensu.

LXXII.

Deinde etiam hoc dicimus, quòd Imago Dei diuinis proprietatibus, quę tamẽ communicabiles sint, definienda sit: vt hic Syllogismus demonstratiuus ostendit.

Ea demum est ad viuum expressa archetypi alicuius imago, quæ hãc egregiè refert & repræsentat.

Atqui Deus ἀρχέτυπος sapiens, iustus, sanctus, liberrimùm agens, immò ipsa sapientia, iustitia, sanctitas & libertas est: vt Scriptura sancta & nostra experientia vniuersalis testantur.

Quare fatendum est, hominem ad imaginem Dei conditum, sapientia, iustitia, sanctitate, libertate arbitrii, & aliis ornamentis excelluisse, Deúmque opificem retulisse.

Præclarè inquit Cyrillus: Vir dicitur imago & gloria Dei, διὰ τὸ μετεσχηκέναι θείου πνεύματος, καὶ δι' αὐτῆς τῆς θείας γενέσεως φύσεως κοινωνὸν. ὡς ἐντεῦθεν καὶ τῆς πρὸς θεὸν πληρωθῆναι δόξης. ὡς ἔχων τοιγαροῦν ἐν ἑαυτῷ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ θεοῦ. καὶ διὰ τῆς πρὸς αὐτὸ κοινωνίας μεμορφωμένος εἰς ὁμοιότητα τοῦ ποιήσαντος, εἰκὼν ἐκλήθη καὶ δόξα θεοῦ. μάλοιμι δ' ἂν εἰδέναι ἧττον, διὰ τοῦ καὶ τὴν γυναῖκα κεκλῆσθαι τοιῶσδε, τὴν τοῦ λεγομένου δύναμιν.

LXXIII.

Atqui, dicet aliquis, Deus immutabiliter bonus est: nec seipsum abnegare, nec sibi dissimilis esse potest, ideo quia non vult. Homo autem, etsi bonus & purus conditus est: tamen mutabiliter bonus purúsque fuit. Vnde sequi videtur, hominem non fuisse perfectam Dei imaginem.

Respondeo: Est in argumento Paralogismus à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Sic enim perfecta in suo genere Dei in homine imago fuit, vt interim discrimen inter Creatorem & Creaturam saluum maneret. Ideo etiam Deus hominem bonum, mutabilem tamen, creauit, quia hominem, non Deum (in quem non cadit παραλλαχὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα) condidit: & quia hominem ἐπὶ σωτηρίᾳ officium facere volebat: & quia in homine declaranda erat gloria gratiæ & iustitiæ Dei, qui iurè omnia facit secundum consilium voluntatis suæ. Iac.1. Rom.9. Eph.1.

LXXIIII.

Deus cùm sit sapiens, iustus, & agens liberrimum, homines & angelos ornauit Sapientia, Iustitia & Libertate voluntatis, aliisque eximiis donis, vt iis auctorem repræsentarent, & ad eius gloriam omnia referrent.

LXXV.

Imago Dei in homine admiranda fuit, siue τὰ ἔσωθεν spectes, siue τὰ ἔξωθεν. Illorum respectu, summa fuit tum donorum perfectio, tum interiorum in homine virium ἁρμονία. Hæc autem si respicias, vt admirabilis erat partium & totius humani corporis fabrica, vitæque perennitas: sic dominium & auctoritas hominis in bruta & alias creaturas plenum & integrum erat. Huc pertinent testimonia.

De donorum perfectione.

Omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio. Item: Creauit Deus hominem ad imaginem suam. Item: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & ecce erant valde bona. Iac.1. Gen.1.

De virium interiorum in homine τῇ ἁρμονίᾳ.

Ex superioribus testimonijs liquet, nullam fuisse in homine recens condito διχοστασίαν carnis & spiritus: sed mirandam mentis, voluntatis & cæterarum potentiarum συμφωνίαν, quæ etiam gloriæ Dei celebrandæ seruiuit. Cùm enim esset homo bonus, amabat Deum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Nihil erat in illo à Deo alienum, aut distortum & malum.

De auctoritate hominis in bruta & inferiorum ordinum creaturas.

Gen.1. Creſcite & multiplicamini,& replete terram,& ſubiicite eam, atque dominamini piſcibus maris,ac volatili cœli,& omni beſtiæ reptanti ſuper terram.Dixítque Deus:Ecce dedi vobis omnem herbam producentem ſemen, quæ eſt in ſuperficie totius terræ:& omne lignum, in quo eſt fructus arboris producentis ſemen,vobis erit in eſcam,&c.

LXXVI.

Hactenus de forma ſubſtantiali hominis,hoc eſt,de Anima: déque Accidentali forma eiuſdem, videlicet de Imagine Dei in eodem homine, diſſeruimus.reliquum eſt in hac parte prima,vt de Materia hominis,hoc eſt, de Corpore,agamus.

Vnde ſit efformatum primi Parentis noſtri corpus, ex hoc teſtimonio liquet.

Materia ex qua, primi corp.humani. Gen.2. 1. Cor. 15. Formauerat itaque Ichouah Deus hominem è puluere terræ,inſpirauerátque in faciem eius ſpiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Item: Ita enim ſcriptum eſt, Factus eſt prior homo Adam in animal viuens, εἰς ψυχὴν ζῶσαν.

LXXVII.

Diſtinctio ſexus. Gen.1.& 5. De ſexus diſtinctione & eius fine, legitima videlicet procreatione ſobolis dicitur:Maſculum & fœminam creauit eos.Et benedixit eis Deus, ac dixit:Creſcite,& multiplicamini,&c.

LXXVIII.

Anatome Partium humani corporis admirandam ſtructuram & proprietates Moſes quidem formandi & ædificandi vocabulis: Apoſtolus verò noſter his quidem verbis celebrat:Etenim corpus non eſt vnum membrum,ſed multa. Si dicat pes,Non ſum manus,non ſum de corpore: num idcirco non eſt de corpore?Et ſi dicat auris,Non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore?Si totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi olfactus?Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque ſingulatim in corpore,quemadmodum voluit.Quod ſi eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?Nunc autem multa quidem membra,vnum verò corpus.Ac non poteſt oculus dicere manui, Non eſt mihi opus te: aut rurſum caput pedibus, Non eſt mihi opus vobis. Immò multò potius quæ videntur membra corporis imbecilliora eſſe, neceſſaria ſunt. Et quæ putamus minus honeſta eſſe corporis, his honorem vberiorem apponimus: & indecora noſtri, copioſiorem decorem habent. Cæterùm quæ decora noſtri ſunt, non indigent:ſed Deus ſimul temperauit corpus,ei cui deerat, copioſiorem addens honorem.Ne ſit diſſidium in corpore,ſed inuicem alia pro aliis eandem ſollicitudinem gerant membra.Et ſiue patitur vnum membrum,ſimul patiuntur omnia membra: ſiue glorificatur vnum membrum, ſimul gaudent omnia membra.

1 Cor.12. Membra eſſe multa & diſtincta. Senſuum organa. Cauſſa ἀμίμργεκὴ. Poſitus membrorum. Membr. mutua officia. Alia mẽbra infirma & indecora, alia contra. συμπάθεια membr.

LXXIX.

Gen.2. 1. Cor.15. Porrò cum homo, ψυχὴ ζῶσα,animal viuens,& corpus eiuſdem φυσικὸν ϗ ὀργανικὸν & ſit & dicatur,cauſſæ quærendæ nobis erunt.

Dicitur φυσικὸν ſeu naturale,ad differẽtiam operum artificialium,quæ non agitantur natura ſua,ſed aliunde.Occurrit autem Naturæ vocabulũ in multis Scripturæ locis.Omnis enim Natura,ferarũ & volucrum,ſerpentiúmque & ma-

Iac.3.

& marinorum domatur & domita est à Natura humana. Reprehenduntur etiam qui vel naturæ magisterium negligunt, vel contra naturam agunt. 1.Cor.11. Rom.1.

Ὀργανικὸν dicitur, quia, vt docet Paulus, in vno corpore multa habemus membra, membra verò omnia non habent eandem actionem, πρᾶξιν. Eo nomine idem τὰ μέλη, dicit esse ὅπλα, arma, & instrumenta actionum: ac monet iusticiæ ea seruire debere. Rom. 12. Rom.6.

LXXX.

Videmus itaque alia organa sensibus rerúmque cognitioni seruire: vt oculos, visioni: aureis, auscultationi: nares, odoratui: linguam, labia, palatũ & alia, gustui & masticationi. Nihil de interioribus sensibus dicam. Alia ad rerum perceptionem & fruitionem faciunt. Ventriculus, τῇ χυλώσει: epar, τῇ αἱματοποιήσει seruit. Cor est officina spirituum. Alia denique alijs vsibus & functionibus destinata sunt, vt generationi & alijs. Sed hæc Medici ἀκριβῶς tractare solent.

LXXXI.

Dicitur ψυχὴ ζῶσα, quia cùm vitam haberet, suæ quoque nutricationis incrementique initium habuit. De incrementis humani corporis, & definita statura exstant præclara hæc dicta. Totum corpus congruenter coagmentatũ & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens. Ne quidem ἀκριβείας hac in re studiosissimus Galenus, hoc dictũ parum philosophicum esse iudicaret. Item: Quis autem ex vobis solicitè cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum vnum? Eph. 4. Matt.6.

De Deo nos nutriente dicitur: Deus non passus est se esse expertem testimonij, nobis benefaciendo, dans nobis cœlitùs pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Item: Intuemini in volucres cœli: non serunt enim, neque metunt, neque cogunt in horrea, & Pater vester cœlestis alit eas. nónne vos multò præstatis ijs? Act.14. Matt.6.

Vt autem cibum cœlestis ille Pater nobis subministrat: ita idem sua benedictione vim concoquentem & mutantem alimoniam in substantiam eius quod alitur, largitur. Nec ex solo pane viuit homo: sed etiam ex omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Deut.8. Mat.4.

LXXXII.

Vt autem definita est staturæ cuiusque hominis mensura: sic præstituta sunt cuiusque habitationi & vitæ certa spacia. Iuxta dicta: Condidit Deus ex vno sanguine omne genus hominum, vt habitarent per vniuersam superficiem terræ, definitis tempestiuitatibus quas præstituit, & positis terminis habitationi eorum. Item: Si definiti sunt dies eius, & si numerus mensium eius tecum est, statuta eius feceris, & non præteribit. Act.17. Iob.14.

LXXXIII.

Dignum est obseruatione etiam illud. Cùm ea quæ sunt, quæ viuunt, quę sentiunt, quæ loco mouentur, condita essent, ac de hospicio, victu & alijs vitæ adminiculis iam prospectum esset: homo μικρόκοσμος conditus est, qui præter illa quæ iam attigimus, etiam intelligit. Is cæteris dominatur creaturis: ac ad Dei gloriam conditus est. Gen.1.

LXXXIIII.

Homo itaque est Dei ποίημα, constans integro spiritu, anima & corpore organico, conditũ ad imaginem Dei, mutabile, dignitate præcellens omnes creaturas eius caussa conditas. Hominis finitio. Gen.1.2. Eph.2. 1.Thess.5. Gen.3.

LXXXV.

DE APOSTASIA ET CORRVPTIONE hominis, seu, de Animali homine.

Docendi gratia, primùm de Morbo quo genus humanum laborat disseremus, & demonstrabimus, Hominem prima illa sua puritate, sanctitate, dignitate & felicitate excidisse. Deinde, instituemus Animalis hominis prosopographiam, ac intertexemus Theologica ζητήματα, de Animæ origine, de Peccati propagatione, de Morte, de iis qui sibiipsis manus inferunt, &c.

LXXXVI.

Quemadmodum autem experientes & sagaces Medici corporum, ex signis morbum, locum, affectum & causas, ἀναλυτικῶς quærere & deprehendere solent: ita nos disputaturi de quæstione, An homo è puritate & felicitate in qua conditus fuit, exciderit? primùm è signis, deinde è morbo, postremò ex causis, quid secundum Scripturas sit statuendum, colligemus.

LXXXVII.

Testimonia de morbo humanæ naturæ. Isa. 53. Mat. 8. Rom. 5. Psal. 41.

Lapsum hominis, & quæ hunc secuta est, Corruptionem, Morbum dici, ex hisce dictis liquet: Ipse inualitudines nostras accepit, & morbos portauit. Ideo Paulus peccati morbo laborantes, ab effectu ἀσθενεῖς: à transgressione Legis ἁμαρτωλοὺς: ab offensa, ἐχθρὲς vocat. Precatur Dauid: Iehouah miserere mei, sana animam meam: quia peccaui tibi. Ex hisce & similibus dictis ratiocinamur: vt corpus humanum morbis multiplicibus: ita quoque Animam (qualitatum, non substantiæ, quæ à Deo condita est, respectu) peccato pollutam & vitiatam, malè habere.

LXXXVIII.

Ex σημειωτικῇ colligitur morbus animæ. Matth. 15. Genes. 6. & 8.

Quantum mutatus sit animalis homo, ab illo qui ad Dei imaginem initiò conditus erat, σημειωτικὴ, hoc est, signa non obscura humanæ corruptionis, & notæ morbi, quibus causæ eiusdem indicantur, perspicuè ostendunt.

Sicut egestio virtutem aut vitium coctionis, colore, odore, rebúsque defluentibus, indicat: ita cùm è corde hominis animalis prodeant cogitationes malæ, cædes, adulteria, & aliæ abominationes, quæ hominem polluunt: manifestum est, cogitationem humani cordis malam esse à pueritia sua. Hæc autem malitia non à creatione dependet, sed à spontanea hominis defectione à summo bono.

Quemadmodum autem sputum signa pectoralium morborum subministrat: ita seruum in homine non renato arbitrium, sponte accersitam peccandi necessitatem & libidinem cordis prodit. Iuxta dicta: Quisquis committit peccata, seruus est peccati. Item: Cùm autem serui essetis peccati, liberi eratis iusticiæ. Hos homines Petrus admodum significanter, libertatis pollicitatores, & corruptionis seruos vocat.

Ioan. 8. Rom. 6. 2. Pet. 2.

Denique, sicut pulsus, affectuum animi & corporis præco, inæqualitate sua, cordis desiderantis innati caloris refrigerium, & humidorum excrementorum excretionem, motum prodit: ita acerrima carnis aduersus spiritum lucta, vt euidenti, sic tristissimo argumento est, verissimè (vt alia omnia) à Paulo dictum: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis.

Gal. 5.

LXXXIX.

Quæ

Quæ tanti mali cauſſæ tum internæ, tum externæ & inſtrumentales fuerint, docet ἀιτιολογία. Lapſus ſanè hominis has cauſas habuit. Ex ἀιτιολογία colligitur lapſus hominis Gen. 3. Philip. 2.

1. προπαρόξυνσις, Mutabilitatem in natura humana, & deſiderium diuinæ gloriæ. Rapinã eſſe arbitrati ſunt Protoplaſti τὸ ἶσα θεῷ. quod eorum peccatum, non niſi exinanitione & humiliatione Immanuelis noſtri Ieſu Chriſti, potuit expiari.

2. προκαταρκτικὴν, Satanæ nimirum πανουργίαν, id eſt, verſutiam & artes quibus hominem circumuenit & interemit (ſi vitam Dei ſpectes) eóque nomine dicitur homicida & mendacij pater. 2. Cor. 11. Ioan. 8.

3. Συναίτιον fuit ἡ τῶν νοημάτων φθορὰ, διὰ τῆς ἀπλότητος, vt Apoſtoli verbis vtar. Et cùm huic corruptioni mentis Eua magis, ob ſexus imbecillitatem, obnoxia videretur, hanc primò aggreſſus eſt & ſeduxit Satan. Geneſ. 3. 1. Tim. 2.

4. Συμπερασμὸν & inſtrumentum impoſturę fuit Serpens, cui etiam iuſto iudicio Deus maledixit.

5. Obiectũ, per accidens blandiẽs, Fructus arboris ſciẽtiæ boni & mali. Geneſ. 3.

6. Finis, Declaratio iuſticiæ & miſericordiæ Dei, qui ab omni culpa & labe alienus, non vult iniquitatem, hoc eſt, nec eam probat, nec imponit neceſſitatem peccandi, nec quenquam ad peccãdum vel cogit, vel ſolicitat: ſed pro ſua ſumma ſapientia, ex malis noſtris bona facit, vt ipſe ſolus celebretur. De alijs cauſſis in ſequentibus dicemus. Pſalm 5. Rom. 3.

X C.

Παθολογικὴ hæc omnia, proh dolor, nimis vera eſſe, in experientia vniuerſali omnium Adæ filiorum, edocet. Παθολογία hominis corrupti.

Διάθεσιν & alterationem in homine factam, permanentémque, quis non videat eſſe peccatum Originis, ſeu peccans, quod eſt στέρησις imaginis Dei in homine, hoc eſt, originalis agnitionis Dei, iuſticię, ſanctitatis & libertatis, & aliorum decorum? Ideò naturà filij iræ dicimur. Nam per vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccauerunt. Eph. 3. Rom. 5.

πάθος, ſeu modus, qui adhuc fit, quis ſit, docet Paulus, cum vocat ὄγκον τῆς ἁμαρτίας περίσατον. Opera enim carnis premunt & circumſiſtunt, & in pietatis curſu impedimento ſunt etiam renatis, nedum homines animales tranſuerſos rapiunt. Hebr. 12.

Vtrumque cùm ſit, piarum actionum tum interiorum, tum exteriorum noxa: (Iuxta illud: Manifeſta ſunt opera carnis. Item: Omnia duco damnum eſſe propter eminẽtiã cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei: propter quem omnibus iſtis meipſum mulctaui, cáque duco pro ſtercoribus, vt Chriſtum lucrifaciam,) morbus atrociſſimus eſt, quem cauſſæ ſupradictæ præcedunt, & συμπτώματα ſequuntur. Gal. 5. Philip. 3.

Grauia autem ſymptomata ſunt, Mentis vanitas, caligo τῆς διανοίας, obduratio & ignorãtia cordis, quæ alienos reddit à vita Dei. Item, Veritatem in iniuſticia detinere. Deum agnitum non glorificare, nec ei gratias agere. Mutare gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem, &c. Epheſ. 4. Rom. 1.

Συνεκτικὸν, eſt concupiſcentia, quæ vbi concepit, parit peccatum. Iac. 1.

Concurrit huc genus omne malorum & morborũ. In mente & voluntate ἰδιοπάθεια. Illa enim caligine cæcitatéque: hæc auerſione à Deo eiúſque voluntate laborat. Corpus συμπαθείᾳ vexatur, quia conſtat membris, quæ ſunt Rom. 6.

1.Thess.4. animata iniusticiæ instrumẽta. Queritur Paulus, Gentes Dei ignãras ἐν πάθει ἐπιθυμίας τὸ σκεῦος κτᾶσθαι.

Hæc mala iusto Dei iudicio comitantur non tantùm omnis generis calamitates in hac vita, sed ipsa etiam mors, quam Deus transgressoribus minatus fuerat, dicens: Quacunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali, certò morieris. Et notum est illud Pauli: Stipendia peccati mors.

Gen.2. Rom.6.

XCI.

Lapsum primorum Parentum, exilium eorundem secutum est. Noluit enim Deus in Paradiso legis suæ transgressores beatam ducere vitam. Iuxta dicta: Emisit hominem Iehouah de horto Eden, ad colendum terram è qua sumtus fuerat. Eiecit inquã eum: & collocauit ab Oriente ipsius Eden horti Cherubim, & aciem gladij versatilem, ad custodiendam viam arboris vitæ. Item: Non habemus hîc sitam ciuitatem, sed futuram inquirimus. Felicis igitur vitæ in Paradiso actæ, veluti quædam periodus, & omnium malorum, quæ in hominum genus redundant, initium, in apostasiæ & peccati momenta inciderunt.

Gen.3. Heb.13.

XCII.

Ex iis quæ iam diximus, liquet, Hominem in illo flore iusticiæ, beatitudinis & honoris non perstitisse, sed à serpente seductum voluntaria inobedientia & sibi & suis auctorem exstitisse peccati & mortis, ὅσῳ ἔδει δεῖξαι. Nũc, σωὶ θεῷ, ad Animalis hominis descriptionem nos accingemus.

Epilogus & Transitio.

XCIII.

Est autem is, Dei figmentum: ex carne, id est, carnalibus parentibus, natum: terreni patris imaginem gestans: constans anima, & spiritu, qui non capit ea quæ sunt Dei, & corpore, cuius membra arma sunt iniusticię: reum, infirmum, Deo inimicum, mortale, & obnoxium secundæ morti, nisi recipiatur in gratiam. Hæc finitio αὐτώδης est, & è diuersis Scripturæ dictis cõtexta. Eius διάρθρωσιν ingeniosis & dialectices amantibus studiosis cõmendamus. Breuitatis enim caussa, non addemus eius partium enucleationem.

Homo animalis quid sit. Psal.100. Rom.9. Ioan.3. 1. Cor. 15. 1. Thess.5. 1. Cor.2. Rom.6. & 5.

XCIIII.

Porrò, ne Dei bonum opus, cum vitiosis accidentibus, eorum exemplo qui substantiale peccatum comminiscuntur & tuentur, confundamus, duo hoc loco accuratè & fideliter obseruanda monemus.

Obseruãda hoc loco.

Alterum est, Quænam bona Dei opera in homine animali reliqua sint.

Luc.15.

Alterum, cur homo animalis periisse, & Acolasto illi similis, perhibeatur.

XCV.

Etsi peccatum, est horribilis destructio & deformatio operum Dei in creatura rationali: tamen reliqua sunt in eadem præclara Dei opera & beneficia, quæ nos ordine categorico, perspicuitatis caussa, recitabimus, vt sint viua præsentiæ Dei in genere humano testimonia.

XCVI.

Substantia. Deum conditorem & conseruatorem esse animorum & corporum

porum, etiam Ethnici saniores fassi sunt, teste Paulo Apostolo, qui Arati hemistichium citat: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: Nam huius progenies etiam sumus. Quod eriam idem non fideles solùm, sed etiam cæteros homines alat, & multis beneficiis afficiat, idem Apostolus docet: καίτοι γε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, ἀγαθοποιῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Nihil dicam de vsu remediorum, vicibus quietis & laborum, & de aliis vitæ & valetudinis adminiculis, quę Deus communia esse voluit fidelibus & infidelibus.

Act. 17.

Act. 14.

XCVII.

Quantitas. Quemadmodum pili capitum numerati sunt: ita diuinitùs cuique mortalium præstituta est certa statura, cui hominum labor & industria ne pilum quidem latum addere potest.

Matt. 10. & 6.

XCVIII.

Qualitas. Quis sanus dubitet omnes per se laudabiles potentias naturales, vim & vigorē sensuum, habitus præclaros animi & corporis, principia practica & speculabilia, σπερματικὰς φυσικὰς, affectus ordinatos, aliáque decora, & agendi principia, diuinitùs hominibus indita, & publici boni caussa conseruata? Cum confusione & ἀταξίᾳ & intemperie aliísque malis, quæ peccatum inuexit, vires diuinitùs insitæ confundendę nō sunt. Fateor has obscuratas, hebetatas, abusu vitiatas: sed nego planè sublatas, idque ideò factum aio, ne nihil inter homines & bruta interesset. Satan certè non est auctor noticiæ legis & principiorum in mente hominis quorum lumen deletum: non φιλοσοφίας, quam exstirpatam mallet.

XCIX.

Relatio. Quis etiam inficietur Deum, cum ei placuisset, exhibito Filio, in toto genere humano colligere Ecclesiam, semper & quidem singulari consilio ordinem coniugalem & ciuilem conseruauisse? Non Cacodæmone, sed Lege naturæ suggerente, Plato censuit, honestè vtendum coniugio: vt alios Dei cultores relinquamus. Ignorauit ille quidem cultus diuini modum, τὸν ὅπως tamen rectè affirmauit. Cicero etiam verè dixit, Viros heroicos qui legibus, ordine, præsidiis & disciplina genus humanum exornant & instruunt, non esse sine afflatu diuino.

C.

Actio & cætera summa genera. Iam verò generationem hominum, actiones naturales & voluntarias, vtiles & laudabiles, quis sine motu Dei vnquā esse potuisse, sibi persuadeat? Num certa vitæ cuiusquam hominis spacia & momenta, ὁροθεσίας habitationis, situm, vestitum & defensionem & alia beneficia, sine numine, casu sparsa esse tot seculorum interuallis, dicemus? Ipsimet Ethnici sępè ad prouidentiam recurrendum iudicarunt, vt de Anaxagora Philosophorum princeps ait: Ἀναξαγόρας μηχανῇ χρῆται τῷ Νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν. ὅτ' ἂν γὰρ ἀπορήσῃ διά τινα αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ὁρᾷ, τότε ἕλκει αὐτόν. Etsi autem ridet Anaxagoram, quemadmodum & Galenus in disputatione de palpebris & superciliis Mosen: nos tamen qui intelligimus in Dei prouidentia nobis acquiescendum, nec caussam diuina voluntate superiorem

τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, ἀ.

In lib. de vsu part.

quærendam, præiudicium illud morari non decet. Aristoteles sanè, quando de causis physicis loquitur, earũ nomenclatura contẽtus, ad ea quæ hæc sunt & fiunt, prouidentiam non extendit: quo nomine pij quidam affirmant, eũdem prouidentiam ad sublunaria non retulisse. Atqui idem in Ethicis, Politicis & Metaphysicis, de cœlesti τῆ προνοίᾳ sæpius religiosè loquitur. Idem videre est & in posteriore parte Bibliothecæ Diodori Siculi, quę verè historica, non illi priori & fabulosæ similis est. Sæpe enim in narrationibus de maximis rebus, Prouidentia diuina ab illo celebratur.

C I.

Hominis animalis prosopographia. Luc. 15. & 19.

Iam cur homo ψυχικὸς periisse dicatur, instituta eius τῆ προσωπογραφίᾳ ostẽdemus, vbi prius testimonia de perditione ista, velut basin ædificii, præmittemus. De Acolasto resipiscẽte dicitur: Filius iste meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Item: Venit Filius hominis, vt quærat & seruet quod perierat.

Ordinè autem agemus, 1. de Patria, 2. de Parentibus, 3. de partibus essentialibus, 4. de alimentis, 5. de ingenio & moribus, 6. de vitæ occupationibus, 7. de religione, 8. de Morte.

C II.

1. Patria. Ephes. 4. 2. Cor. 5. Philipp. 3. Ephes. 2.

Homo animalis est hospes & inquilinus, non cõciuis sanctorum, nec Dei domesticus. Et si etiam renati, dum aduenæ sunt in corpore, peregrè absunt à Domino: multò magis absunt à Deo non renati, quorum πολίτευμα non est in cœlis, qui in his terris, velut in patria versantes, spe destituuntur, & reuera exules sunt. Hos exules, non loci, sed infelicissimæ sortis caussa, τοὺς μακρὰν ὄντας, vocat Paulus, eo quòd longissimè à gratiæ Dei præsentia absint.

C III.

2. Parẽtes. 1. Cor. 15. Genes. 5.

De primo patre Adamo & eius posteris tenere conuenit illud Apostoli: φορέσωμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ gestauimus imaginem terreni. Et illud Mosis: Vixit Adam 130 annos, genuítque ad similitudinem & imaginem suam filium, & vocauit nomen eius Seth.

Hebr. 12. Ioan. 3.

De parentibus proximis, quos Paulus vocat τοὺς τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας, ait Christus: Quod genitum est ex carne, caro est. Abstractum pro concreto posuit, pro Carnali, Carnem. Vt igitur sumus χοϊκοὶ terreni, & terrenis rebus dediti, & cœlestibus proprietatibus ante regenerationem destituti: ita quoque sumus σαρκικοὶ, carnales, impuri, naturà filij iræ. Itaque nisi quis genitus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei: teste Christo Seruatore.

Sed enim, dicet aliquis, anne etiam renatis parentibus nati, carnales sunt? Sunt. Non enim quatenus renati sunt, sed quatenus homines sunt, & carne sanguinéque constant, liberos procreant. Vt enim ex circumciso patre, non circumcisus filius olim nascebatur: ita homo animalis nascitur ex sanguine, voluntate carnis, & voluntate viri. Vt autem in peccatis concipitur, sic est naturà filius iræ.

Ioann. 1. Psalm. 51. Ephes. 2.

C IIII.

3. Partes essentiales hominis.

Animalis hominis essentiales partes sunt, Anima intelligens, quæ est forma eius substantialis: & Corpus organicum & humanum. Neutram harum

partium

partium per peccatum amisit homo. Si enim animam rationalem amisisset, homo esse desiisset: rursum si abolitum fuisset corpus, tum Semen Mulieris non potuisset vel nasci, vel conterere caput Serpentis. Stat etiam illud Iacobi: τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος, νεκρὸν. Iac. 2.

Hæc quæritur, Anne ambæ partes essentiales hominis sint ex traduce? Corpus esse ex traduce, vel ex illo Pauli dicto liquet, in quo parentes nostrę carnis patres vocat. De anima, nũ ea ex traduce sit, adhuc sub iudice lis est. Corpus est ex traduce. Hebr. 12.

Ne quidem de inferioribus animæ potentiis, quæ sunt ὀργανικαὶ, dubium esse potest. Reuera enim vegetans anima propagatur ex spermate, tanquam è traduce, & succrescit cum corpore vegetabili & sentiente, ac cum eodem corrupta resoluitur. Anima vegetans est ex traduce.

De anima rationali controuersia est, quam olim quoque agitatam esse, D. Hieronymus testatur hisce verbis: Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ, immò maximè Ecclesiasticæ quæstionis: Vtrum lapsa de cœlo sit, vt Pythagoras Philosophus, omnésque Platonici, & Origenes putant, anima? An à propria Dei substantia? vt Stoici, Manichæus & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur. An in thesauro habeantur Dei, olim conditæ? Vt quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt. An quotidie à Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud quod in Euangelio scriptum est: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor? An certè ex traduce, vt Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumant: vt quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistant? Opiniones de animæ origine. In Epistola ad Marcell. & Anapsychiã 1. 2. 3. 4. 5.

C V.

Si verum est quod Augustinus de Tertulliano scribit: Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud, nisi quòd eam incorpoream cogitare non potuit: & ideo timuit, ne nihil esset, si corpus nõ esset: nec de Deo voluit aliter sapere. tum verò mirum non est sensisse eundem, sicut corpus filij ex corpore patris per genitabile semen, ita filij animam ex anima patris per traducem propagari, & veluti lumen de lumine accendi. Multis sanè planè inextricabilis labyrinthus esse videtur hæc argumentatio: Si anima est ex traduce, tum est mortalis: si à Deo creatur, vnde est in ea peccatum? De Genesi ad literam, lib. 10.

C V I.

Nos omnibus aliis opinionibus & sententiis omissis, duas expendemus, maximè peruulgatas. Anne sit ex traduce anima? Anne à Deo creetur? Qui Animam ex traduce esse censent, nituntur non solùm maximæ partis Occidentalium (qui ætate beati Hieronymi vixerunt) item Tertulliani, Auicennæ & aliorum quorundam suffragiis & auctoritate, sed etiam quibusdam argumentis: quorum recensioni hanc veluti cautionem præmittendam cẽseo. Non de eo quæritur, ánne animæ rationales sint Dei creaturæ? De illo enim sani homines non magis quàm de corporibus humanis, síntne Dei figmentum, dubitant. Sed, ánne ex anima patris filij anima, per traducem, propagetur, virtute diuina? quæ etiam cum media adhibet, operari & creare dicitur, hoc demum in quæstione est. Anima án ne sit ex traduce? Ioan. 5.

Argumentum I.

Non est in generatione, hominum conditio deterior, quàm brutorum.

Atqui ex leone nascitur leo, qui formæ, id est, animæ ratione leo est, &c. Itaque & ex homine homo: qui cùm à forma talis dicatur, per consequens sequi videtur, Animam rationalem esse ex traduce.

In hoc argumento illud ὕστερον est, quòd cùm καπάπ, animæ vegetantis & sentientis & locomotiuæ respectu, verè dicatur, vt ex leone leonem, sic ex homine hominem nasci, inde fit progressio ad animam rationalem. Plus sanè in consequente est, quàm præmissæ probent.

Argumentum 2.

Sicut se habet fabricatio humani corporis, ita & creatio animæ rationalis. Sed Deus ex semine humano fabricat corpuscula infantum, vt testatur Psal-
Psal. 139. tes: Retrò & antè formasti me, & posuisti super me manum tuam. Item: Qui
Psal. 33. formauit simul cor eorum. Ergo Deus, qui viuificat, omnia, animam filij ex
1. Tim. 6. animæ patris substantia format.

Maior, in qua est τὸ χρινόμενον, probatione eget. Etsi Deum animas & corpora creare fatemur: tamen ex eo non possumus colligere, etiam rationalem animam esse ex traduce. Nec enim quæ in aliquo tertio cõueniunt, eadẽ sunt, & eandem prorsus rationem habent.

Argumentum 3.

Si anima rationalis non est ex traduce, tum peccatum originis, quod in ea sedem suam habet, per generationem non propagabitur. Atqui hac ratione
Psalm. 51. propagatur in posteros. Iuxta dicta: Ecce, in iniquitate genitus sum, & in pec
Ephes. 2. cato calefacta est de me mater mea. Item: Quis dabit mundum de immundo
Ioan. 3. semine? Item: Eramus naturâ filij iræ. Item : Quod natum est ex carne, caro est. Liquet igitur, animam rationalem esse ex traduce.

Argumentum 4.

Si Deus creat animam immundam, tum est auctor peccati: quod est falsissimum. Fatendum itaque est, ex traduce rationalem animam esse.

Respondent quidam, Animam non creari cum peccato, sed illud statim contrahere, propter imbecillitatem suam, & corporis impuri contagium. Primùm enim caret iis donis & viribus spiritualibus, quibus anima Adæ ante lapsum ornata & instructa fuit: deinde, nanciscitur corpus maledictro-
Rom. 6. ni obnoxium, cuius partes ὅπλα ἀδικίας facta sunt.

Argumentum 5.

Consentaneum est, ita procreari à parentibus liberorum spiritus & corpora, quomodo Eua è costa Adæ producta fuit. Atqui tota è toto Adamo
Gen. 2. producta est. Neque enim animam ei inspiratam legimus. Itaque credibile est, ad eundem modum nasci liberos.

In Maiore incommodum est: nam procreatio extraordinaria confunditur cum procreatione ordinaria, quæ tribuitur caussis essentialiter ordinatis, mari & fœminæ. Tametsi autem ne in hac quidem excludenda est Dei præsentia in formatione & viuificatione: fatendum tamen est, aliam esse rationem procreationis ex vno, quàm è duobus. Nihil iam de iis dicam, quæ obiici possent principium petentibus, videlicet, Controuerti à quibusdam, anne ex patris solùm, non etiã ex matris semine soboles nascatur? Itẽ, Anne à

patris

patris tantùm, non etiam matris anima, tanquam à duobus luminibus, animæ filij lumen accendatur?

CVII.

Animas humanas à Deo creari.

Econtrà verò, qui Animas humanas quotidiè à Deo creari asserunt, sententiam suam probant Scripturæ testimoniis, & argumentis physicis.

Testimonia sunt hæc.

Spiritus reuertitur ad Deum, qui dedit illum. Hæc duo notanda: alterum, quòd anima rationalis, cùm è corpore discedit, reuerti ad Deum dicitur: alterum, quòd Deus illam dedisse dicitur. Etsi verò etiam corpus dat Deus, tamen alia ratione animam dare, comparatio eo in loco docet. Conuertatur puluis (sic vocat corpus humanum à materiali caussa) in terram, quemadmodum erat: & spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum. Non ex hoc colligo, Sicut corpus est è terra: ita spiritus hominis est è substantia Dei: sed, Vt corpus in terram reuertitur: ita anima redit ad Creatorem suum à quo profecta fuerat. Huc faciunt verba Petri, in quibus Deum κτισὴν vocans, iubet, vt fideli conditori commendemus animas nostras. Item precatio Christi: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Eccl. 12. 1. Pet. 4. Luc. 23.

Porrò, ἀνάθεσις Dei & parentum nostrorum idem non obscurè innuit in dicto Pauli: Corporum nostrorum patres habuimus castigatores, ac reueriti sumus: annon multò magis subiiciemur Patri Spirituum, & viuemus? Hic opponit τὸ σαρκὸς ἡμῶν πατέρας, Deo, quem vocat τῶν πνευμάτων πατέρα. Hebr. 12.

Non negamus, Deum & patrem & conditorem corporum & animarum esse: sed hoc loco κατ' ἐξοχὴν Patrem spirituum vocatum, quòd in creandis animabus non ita adhibeat operam hominum, & quòd eas Spiritus sui virtute mirabiliter reformet, non temerè viros pios & doctos affirmare iudicamus. Theophylactus etsi diuersas interpretationes adducit, in nostram tamen sententiam inclinat. Patrem, ait, spirituum, vel donorum vel incorporearum virtutum, dixit: vel quod magis proprium est, animarum. Ad discrimen enim carnalium parentum, Spiritualem posuit. Theophyl. super cap. 12. ad Hebr.

Eodem refertur illud Christi dictum: Pater meus vsque adhuc operatur, & ego operor. Inter cætera autem opera quis animarum creationem non referat? Nec pugnat illud dictum Christi cum verbis Mosis: Quieuit Deus die septimo ab omni opere suo, quod fecerat. Significat enim Propheta, Deum nouas rerum species producere desiisse: non negat, continuando & propagando species iam creatas operari perrexisse. Augustinus scitè dicit: Hoc & nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat. Vnde & illud verum est, quòd à rebus quæ non erant instituendis requieuit. Et hoc verum est, quòd non solùm gubernando quæ fecit, verùm etiam aliquid, non quod nõdum, sed quod iam creauerat, numerosius creando vsque nunc operatur. Sed iam ad argumenta accedamus. Ioan. 5. Gen. 2.

Argumentum I.

Omnis substantia incorporea, seu Spiritualis, est ἀμέριστος seu impartibilis. Anima rationalis in homine est substantia spiritualis. Igitur est impartibilis. Vnde liquet, non per generationem, sed per creationem eam existere.

Sicut enim angelus non gignit angelum, quia est substantia incorporea, ἀμέριστος : ita quoque non est admodum consentaneum, animam filij per traducem descendere ab anima patris.

Argumentum 2.

Si anima rationalis esset organica, tũ probabile esset eam per generationẽ existere. Atqui est inorganica. Etsi autem in hac vita ei sæpenumerò seruiũt sensus interiores, obiecta offerendo : tamen non modò dum in corpore est, actus reflexos habet, numerat, intelligit tum singularia, tum vniuersalia, colligit ex caussis propinquis effectus, habet noticiam principiorum : sed etiam vbi è corpore euocata est: suam habet ἐνέργειαν & motus. Itaque non est consentaneum, eam esse ex traduce.

Argumentum 3.

Essentia intelligens & immortalis dignior est, quàm vt ex facultate atque potentia materiæ possit elici. Nec sunt elementari naturæ insitæ noticiæ. Atqui mens humana seu anima rationalis, est essentia intelligens immortalis, & in homine præstantissima. Igitur, &c.

Argumentum 4.

Dato vno inconuenienti, plura sequi necesse est. Sed concessa hac hypothesi, Anima est ex traduce: sequitur absurdũ, videlicet, aut totã animam traduci, aut eius partem aliquam. Atqui neutrum verum est. Nam totius traductio inferret patris interitum : partitio autem in simplici essentia, nulla esse potest. Requiritur autem ad traductionem, posse aliquid de essentia animæ patris decidi.

Etsi autem nolim temerè pronunciare de re maxima, multóque minus sexagenarios quosdam de ponte præcipitare: cùm in hac parte doctrinæ homini modesto & ἐν περιόδῳ λογισμῶν versanti, liceat ἐπέχειν donec confirmetur: fateor tamen, me in eam sententiam libentius descendere, quæ statuit Animas à Deo quotidiè creari, cùm argumentorum & testimoniorum quæ adduxi, magna sit euidentia. Sit tamen etiam hac in parte locus dicto Pauli: Spi-
2. Cor. 14. ritus Prophetarum Prophetis subiiciuntur.

Legant autem Studiosi iuuenes, veterum & recentiorum scripta de hac quæstione. Epistolam Augustini ad Hieronymum, quæ est 28. Hieronymi epistolam ad Marcellinum & Anapsychiam. Acta quintæ Synodi Oecumenicæ, quam Iustinianus Imp. anno Christi 552. conuocauit. Chronici Philippi Melanch. lib. 3. & in primis ea quæ in vita Iustiniani Cæsaris, de rebus Ecclesiasticis habẽtur. Coronidis vice adscribã verba D. Hieronymi, digna me-
Hieron. super ca. 12. Ecclesiastis. moria: Satis ridendi sunt, inquit, qui putant animas cum corporibus seri : & non à Deo, sed à corporum parentibus generari. Cum enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum: manifestum est, Deum patrem animarum esse, non homines.

CVIII.

Ex proxima quæstione nascitur alia, de peccati originarij propagatione. Quæritur enim, posita hac hypothesi, Deus creat animas, vnde sit in ea peccatum? Etsi autem, cùm τὸ ὅτι, videlicet naturalem esse natiuæ labis propagationem,

tionem, certum sit, de liberatione à tanto malo præcipuè solicitos esse conueniebat, eius exemplo qui in puteo periclitans, interroganti qua ratione in eum prolapsus esset, Actutum, respondit, extrahe me potius, quàm istud intempestiuè quæras: tamen & causſæ diligenter quærendæ, & accuratè expendendæ sunt. Augustinus meminit.

CIX.

Quid Melanchthoni & de superiore & de hac quæstione visum sit, ex hisce eius verbis liquet: Aliqui verò & propter hoc argumentum inclinant in hanc sententiam, vt existiment, Animas oriri ex traduce, quia videatur absurdum, animas, quæ nunc auersæ sunt à Deo, & reæ, de nouo creari. Sed respondent alij, Talem in generatione conseruari naturam, qualis nunc est. Nam nec corpora essent, nisi diuinitùs sustentarentur. Frigidius respondēt. qui dicunt animas pollui contagio corporum. Idem alibi ait: Deus etsi iuuat & conseruat propagationem substantiæ, tamen seruat talem massam, qualis nunc est, vt si faber poculum non ex auro, sed ex plumbo faciat: ac ipsi destructioni verè & horribiliter Deus irascitur. In libro de Anima. In Locis Theolog. titulo, de Causſa peccati.

Nō arbitramur, virum summum tùm pietate, tum doctrina hoc voluisse, Deum vnà cum vitio & defectu animam ideò creare, quia hominis maledictioni obnoxij futura sit. Neque enim hoc fert iusticia & bonitas Dei, qui peccati auctor non est, sed substantiæ, quæ respectu efficientis causſæ bona: ratione alterationis illius quæ lapsum Adæ sequuta est, mala est.

CX.

Ergo animam, quando corpori ab Adamo deducto coniungitur, peccati labem contrahere, non cùm illa creatur: maximè consentaneum videri potest. Vt ostendunt hæc Argumenta. Anima quo modo peccato vitietur.

1. *A correlatiuis.*

Certissimum est, filios Adæ hæredes esse corruptionis & reatus paterni: vt docet Paulus Rom. 5.

Adamus verò amisit imaginis Dei præcipuum decus, & peccati reus, morti factus est obnoxius. Gen. 5.

Itaque & filii illius idem decus amiserunt, & iisdem malis laborare cœperunt. Meminerint autem Studiosi, hîc agi de præcipuo animæ honestamento, videlicet de imagine Dei, ad quam initio conditus fuit Adamus.

2. *Ab archetypo.*

Sicut gestauimus imaginem terreni, gestabimus & imaginem cœlestis: vt ait Apostolus. Sic igitur argumentor. 1. Cor. 15.

Sicut se fidelium animę habent ad Christum, ita se habent hominum animæ ad προτότυπον Adamum. Sed illæ illustri redemtoris imagine, quæ iusticia & sanctitate vera excellit, erunt conspicuæ. Itaque & hæ imaginem Patris sui referunt. Iuxta illud: Adam genuit ad imaginem & similitudinem suam. Neque verò de corporum similitudine potissimùm agit, sed potius de animorum & ingeniorum imagine expressa, cuius gratia dicimur χοϊκοὶ, terreni. Gen. 5.

3. *A desertione diuina.*

Deo animas à se conditas, corporibúsque infusas, statim deserente, fit vt

naturâ filij iræ omnes naſcantur, corruptionis videlicet ac paterni reatus hæredes. Hanc rationem expendendam propono.

4. *A contagione coniuncti corporis.*

Cùm anima, ea deſtituatur gratia & donorum Dei perfectione, qua Adæ anima ante lapſum excelluit: & inhabitet corpus maledictioni obnoxium, cuius membra ſunt inſtrumenta iniuſticiæ: id ei accidit, quod Sapiens teſtatur: Corpus corruptioni obnoxium aggrauat animam, ac terrenum domicilium plenam curarum mẽtem deprimit. Et ſi in renatis ſpiritus promtus eſt, ſic tamen vt experiatur aliam legem in membris, repugnantem legi mentis: quid dicemus de ſpiritu ſeu anima rationali nondum renati hominis, quorum polluta eſt & mens & conſcientia?

Rom.6. Sap.9. Matt.26. Rom.7. Tit.1.

Vt igitur vnguentum præſtans in impuro vaſe corrumpitur: ita contagio corporis inficitur anima.

Ἀπορία. An ſpiritus à corpore infici poſſit.

Sedenim abſurdum videri poteſt, ſi quis dicat, Corpus agere in ſpiritum. Reſpondeo: Qui ſic paralogizant, Corpus non agit in Spiritum, ergo anima non inficitur contagio corporis: ij ab eo quod ſecundum quid verum eſt, ad ſimpliciter dictum, perperam procedunt.

Phyſicè non agunt corpora in ſpiritus: ſed primùm ei reſiſtendo. vitiatum enim corpus, & huius membra, non modò reſiſtunt ſpiritui, ſed etiam actiones edunt è diametro cum eius iudicio pugnantes. deinde, reſpectu τῆς συμπαθείας, quæ eſt inter corpus & animam. Sicut enim, iuxta vetus dictum, quod recitat Ariſtoteles, Οἷνος τρόποις τ̃ χρωμάτων κεράννυται: ita pro diuerſa temperatura corporis variè afficitur anima. Itaque qui abundant atra bile, Melancholici: qui flaua, iracundi: qui humore albo, inſipido, & remiſſi caloris, Phlegmatici dicuntur.

5. *Ab imbecillitate animæ.*

Si anima inſtructa & confirmata eſſet ijs viribus & dotibus, quibus excelluit Adæ anima ante lapſum, tũ ipſa corpus moderaretur, nec ſe ab eius contagione & intemperie infici & quaſi tranſuerſam rapi pateretur. Atqui iam deſtituitur illis præſidijs & ornamentis: quæ Adamus tam poſteris, quàm ſibi ipſi amiſit. Itaque cùm viribus, quibus naturam ſuperet, deſtituatur, mirum videri non debet, quod dicimus, Animam infici à corpore.

Vt autem Philippus verè dicit, Nos mirandum opus ſapientiæ & potentiæ Dei, in creatione mundi non penitus perſpicere: ita nos quoque fateamur, non poſſe tantas res, animæ naturam, peccati vim & magnitudinem & multa alia, ſatis à nobis perueſtigari. Meminerimus igitur nobis quoque dictum: Omnia probate, & bona tenete: & ſimus grati erga eos, qui argumentis ſeu demonſtratiuis, ſeu dialecticis, res max. mi m. menti complexi ſunt, vt iunioribus ſeruirent.

1. Theſſ.5.

Nos à longa digreſſione, tanquam è viridario ſpacioſo, intra ſepta Proſopographiæ hominis animalis redeamus.

CXI.

5. De alimentis.

Alimenta homini ψυχικῷ ſubminiſtrauit Deus, ſic tamen vt ea iudicij diuini teſtimonia, & reatus ſigna eſſe vellet. Complector autem Alimentorum vocabulo, vitæ huius adminicula, victum, veſtitum, & hoſpitium: de quibus

bus hæc dicta notanda sunt.

De victu: Maledicta terra propter te: in labore comedes ex ea cunctis diebus vitę tuæ: Spinásque & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri. In sudore vultus tui vesceris panc, Gen. 3.

De vestitu: Fecit Iehouah Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Miranda autem est vanitas & stulticia nostra, quòd σκεπάσματα, integumenta, quæ signa sunt reatus & imbecillitatis nostræ, pauonum instar ostentamus, & in ijs mirificè nobis placemus. Fateor, decori in re vestiaria rationem nobis habendam. neque enim frustrà dicitur: Vestis facit virum. sed nego in eadem fastuosè agendum. 1. Tim. 6.

De hospitiolis nostris dicitur: Homines habitant domos luteas, quorum est in terra fundamentum. De fidelium Patre dicitur: Per fidem commoratus est in terra promissa vt aliena, commoratus ἐν σκηναῖς in tabernaculis cum Isaac & Iacob cohæredibus eiusdem promissionis. Si pijs concedat Deus magnificas ædes & omnium rerum copiam, memores sint dicti: Diuitiæ si affluant, nolite apponere corda vestra. Item: His qui diuites sunt in hoc seculo, denuncia ne efferantur animo, neque spem ponāt in diuitijs incertis, sed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum. Iob. 4. Hebr. 11. Diuitum piorū officium. 1. Tim. 6.

Diuites impij ne dubitent sibi quoque dictum: Percutiam domum hyemalem vnà cum domo æstiua, peribúntque domus eburneæ, & deficient domus multæ, dicit Iehouah. Item: Rapina pauperis est in domibus vestris. Itē: Væ ijs qui coniungunt domum domui, agrum agro appropinquare faciunt, adeò vt non sit locus pauperi. Et habitabitis vos soli in terra? Amos. 3. Isa. 3. & 5.

CXII.

Apostolus Paulus omnium accuratissimè ingeniū & mores hominis animalis descripsit, cùm ei tribuit τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα intelligentiam carnis, quæ est inimicitia aduersus Deum: cùm negat eum capacem esse eorū quæ sunt Spiritus Dei, quia stulticia ei sint: cùm Dei expertem, versari in cupiditatibus carnis suæ, facere quæ carni & voluntati eius libent, naturà filium iræ esse: cùm denique peccauisse & destitui gloria Dei, testatur. Idē, renatis priorem & corruptissimam vitam in memoriam reuocans: Stitistis, ait, membra vestra serua impuritati & iniquitati, ad patrandam iniquitatem: serui fuistis peccati: fructum habebatis ex ijs de quibus nunc erubescitis. 6. De ingenio & moribus hominis animalis Rom. 8. 1. Cor. 2. Ephes. 2. Rom. 3.

In animali itaque homine etsi reliqua post lapsum fuerunt mens, voluntas, sensus interiores & exteriores, locomotiua, &c. nec in mēte prorsus obliteratum fuit opus legis: tamen mentem densa ignorantiæ caligo, voluntatem auersio à Deo inuasit & occupauit. Sensus cœperunt vanitati, membra iniusticiæ seruire: denique factus est homo ad bona & spiritualia munia ineptus, ad mala procliuis & expeditus. Talem hominem describit Apostolus: Non est, inquiens, iustus, ne vnus quidem. Non est qui intelligat (1. mentis tenebræ) non est qui exquirat (2. voluntas auersa à bono summo) Deum. Omnes deflexerunt (3. vniuersalis defectio) simul inutiles (4. vanitas & infirmitas) facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum (5. nemo ἀναμάρτητος.) Sepulcrum apertum guttur eorum: linguis suis dolosè agebāt: venenū aspidū sub labijs eorū (6. multiplex abusus linguæ & sermonis.) Quorum os diris & amarulentia plenum est. Veloces pedes eorū ad effundē dum sanguinem (7. μέλη ἔκπλα ἀδικίας.) Contritio & calamitas (8. nocendi Rom. 3.

cupido & multiplicia ἀπυχήματα) in vijs eorum. Et viam pacis non cognouerunt (9. odium boni, amor mali.) Non est timor Dei ante oculos eorum (10. Epicureus Dei contemtus, cuius τεκμήριον est vniuersalis iniusticia.) Scimus autem, &c.

Hoc loco illud breuiter repetendum, cauendum nobis ne opera Dei & vires diuinitùs insitas naturæ humanæ, cum destructione, priuatione & ἀπαξία quæ accesserunt, confundamus: aut hyperbolicè peccatum originis amplificando, iniurij simus in Deum & naturam. Vt enim aliud est corpus humanum, aliud lepra: sic aliud est peccatum, aliud anima rationalis. Corpus & anima ab auctore Deo sunt: peccatum à Satana & spōtaneo hominis lapsu.

CXIII.

6. De occupationibus vitæ.

Eccles. 1.

Totus liber Ecclesiastis, etsi piorum fata præcipuè complectitur: tamen & totius humani generis, vitæ & occupationum Oeconomicarum & ciuilium ideam continet. Eius summa est: Vanitas vanitatum, omnia vanitas. Quid vtilitatis est homini de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? Hanc propositionem pulcerrima inductione probat capitibus 12.

Psal. 39.

Itaque alij opibus congerendis intenti sunt, de quibus Psaltes: Profectò in imagine ambulat vir, profectò in vanum tumultuantur: congregat, & nescit quis colliget ea.

1. Ioan. 2.

Alij delectantur splendida & delicata vita. Quicquid est in mundo, ait Ioannes Euangelista, cupiditas carnis, & libido oculorum, & fastus vitæ, nō est ex Patre, sed ex mundo est, Porrò mundus præterit, & cupiditas eius.

Hæc egregiè illustrabuntur declaratione graduum vitæ priuatæ & publicæ, & officiorum œconomicorum, politicorum, & aliorum. Cum autē animalis homo τὰ ὄντα φρονεῖν soleat, nulla virtus perfecta in eo esse potest. Sua enim commoda, suam gloriam solicitè sectatur. Sed his non licet immorari.

CXIIII.

7. Religio

Ephes. 2. 1. Cor 12.

Nulla planè vera religio animali homini tribui potest, cùm illa quidem cum veritate coniuncta sit: hic verò mendax sit. Deinde, cùm eadem non solùm in agnitione Dei posita sit: sed etiam in ardentissima caritate erga eū, studióque summo eidem obediendi; neutrum autem horum illi ψυχικῷ competat: non potest eidē veræ religionis laus tribui. Eo nomine Paulus, Gētes ἀθέους, Euāgelij ignaras, idolis seruiuisse dicit. Ad Corinthios scribens: scitis, ait, vos Gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigissēt, abripiebamini. Legis cognitio, quę in eis reliqua mansit, inexcusabiles eosdem reddidit: tantùm abest vt profuerit ijs qui veritatem in iniusticia detinuerunt.

Rom. 1.

Ita sanè rem habere testatur horrenda Ethnicorum idolomania & defectio à vero Deo, quæ mala nō multò post diluuium secuta sunt. Vt de ignobili vulgo nihil dicam, quæ fuerit Sapientium huius mundi iniusticia & impietas, vel illa docent, quæ noster Apostolus eis tribuit: τὸν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν, Deum cognitum non vt Deum glorificare, neque gratias illi agere: euanescere in ratiocinationibus suis: profiteri se sapientes, & interim stultos fieri: mutare gloriam incorruptibilis Dei in effor matam imaginem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium, &c.

CXV.

8. Mores.

Quemadmodum autem vidua quæ in luxu viuit, ζῶσα τέθνηκε, id est, viuens

uens mortua est, teste Paulo: ita non renatus homo, κατά π mortuus dicitur. 1. Tim. 5.
Iuxta illud: Sine vt mortui sepeliant suos mortuos: Causſam huius appella- Matt. 8.
tionis sortísque indicat Apostolus, cùm ait: Et vos cum essetis mortui in of- Eph. 2.
fensis & peccatis. Hisce dominatur peccatum, cuius serui sunt. Mēbra itaque Rom. 6.
sua sistunt serua impuritati & iniusticiæ. Hæc mors causſa est tum primæ,
tum secundæ mortis. Iuxta dictum: Nam stipendia peccati mors.

Mors secunda, quæ est propria infidelium reproborum, in hac vita est, pri
uatio vitæ Dei. Iuxta dicta: Non habetis vitam in vobis. Item: Abalienatæ à Ioan. 6. Eph. 4.
vita Dei propter ignorantiam quæ est in illis, &c. Post hanc vitam erit pars Apoc. 21.
assignata in stagno ardente igne & sulphure. Item: Supplicium æternum. Matt. 26.
Item: Tenebræ exteriores & fletus ac stridor dentium. 8.

Mors prima, quæ communis est fidelibus iuxtà & infidelibus, est huius animalis vitæ priuatio, & destructio naturæ humanæ, quæ sequitur animæ migrationem à corpore: & est πάντων φοβερώτατον, homini inquam animali & terrena solùm spectanti.

Causſas huius mortis hæc dicta ostendunt. Inuidia Diaboli mors introiuit Sap. 2.
in mundum. Item: Diabolus fuit à principio homicida, ἀνθρωποκτόνος. Item: Ioan. 8.
Per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors: Rom. 5.
& ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccârunt. Item: In die Gen. 2. &
quo comederis ex eo, certò morieris. Item: Donec reuertaris in terram, nam 3.
ex ea sumtus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ergo mortis Mortis
causſæ hæ sunt. causſæ Theologicæ & physicæ.

Vniuersalis, naturam liberè fouens & sustentans donec vult, est Deus, qui 1.
mortificat & viuificat: qui abscondit faciem suam, turbantur: aufert spiri- 1. Sam. 2.
tum eorum, deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur. Psal. 104.

Instrumentalis, morbis flagellans & ligans miseram naturam, & eam ex- 2.
carnificans, Deo permittente, est homicida ille Diabolus. Nota sunt dicta: Marc. 3. &
ὃσοι εἶχον μάστιγας. Item: Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligarat Satanas ecce 5.
18. annos: non oportuit à vinculo isto solui die Sabbati? Item: Iesus Nazare- Luc 13.
nus obambulauit beneficiis afficiens, & sanans tyrannicè oppressos à Dia- Act. 10.
bolo. Cæterùm hic Phalaris, non tantùm tormentorum & dolorum auctor
& administer est animali homini: sed etiam culpæ & reatus, cùm sua versutia Gen. 3.
ad peccandum induxerit, suis paralogismis seduxerit primos parentes. 2. Cor. 11.

προπυκνόν, Peccatum originis. Iuxta dictum: Mors omnes peruasit, etiam 3.
eos qui non peccauerant ad similitudinem transgressionis Adæ. Rom. 5.

προκαταρκτικαὶ Opera Carnis. Cùm, ait Paulus, essemus in carne, affectiones 4.
peccatorum per Legem vigebant in mēbris nostris, ad fructificandū morti. Rom. 7.
Item: Cupiditas vbi concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gi- Iac. 1.
gnit mortem.

Formalis nulla est: quia mors est priuatio vitæ, & destructio miseranda na- 5.
turæ humanæ, quæ sequitur discessum animæ à corpore.

Physica causſa, Post ἀκμὴν natura humani corporis paulatim deficit. Ele- 6.
gans est Simile Melanchthonianum, quod non grauabor adscribere. Vt in
flamma lychni necesse est quandam humiditatem esse glutinantem flammæ
partes: sic in corpore animantis est quoddam aëreum, humidum optimum,
quod nominatur Radicale, fusum per totum corpus, propagatum à semine,
glutinans omnes partes, in quo radicali humido immediatè vehitur calor cœ
lestis & viuificus. Hoc radicali humido exstincto, calor euanescit, & vita de-

ficit: quia nec caloris vigor manet, nec pabuli puritas. Exstinguitur itaque humidum radicale paulatim, impuritate acquisiti nutrimenti. Loquor de ijs qui non violentia subiti symptomatis exstinguuntur, sed morte (quam, quia violentæ opponitur, sic vocant) naturali.

προόδρομοι & præparantes causſæ mortis sunt, Affectuum & corporis subiti & violentissimi, aut etiam perpetui motus. Spiritus tristis exsiccat ossa, vt ait ille. Item, res non naturales, & alia multa externa & violenta, vt intemperantia, inedia, praua δίαιτα, nimia defatigatio animi & corporis, & aliæ corruptelæ virium animi & corporis. Illud mirum est, laxatis officij laboribus quosdam interijsse, qui dum essent in labore, viguerunt. id quod Theophrasto accidisse, hoc ipsius Epitaphium monet:

Οὐκ ἄρα τᾶτο μάταιον ἔπος μερόπων πιν' ἐλέχθη
ῥῆγνυσθ σοφίης τόξον ἀνιέμενον.
Δὴ γὰρ κὴ θεόφραστος ἕως ἐπόνει μὴ ἄπηρος
νῦν δ' ἔκαμε, εἶτ' ἀνέδης, κἀτθανε παρομελής.

Vsque adeò verum est illud Plutarchi: Arcus, cùm intendi solet, rumpitur: contrà animus, cùm remittitur.

8 Finis mortis primæ, vt ordini iusticiæ satisfiat, & malefacta suam habeãt pœnam qua digna sunt. Ideo mors ὀψώνιον stipendium dicitur. Et in Epistola ad Hebræos dicit Paulus: Illud statutum est hominibus, vt semel moriantur, postea verò iudicium.

Rom. 6. Heb. 9.

CXVI.

Coronodis vice breuiter & de hac quæstione agemus, Anne liceat homini mortem sibi consciscere? Non licere, his rationibus probamus.

1. Si nefas est proximum occidere, tum ne seipsum quidem occidere fas est. Ratio cõsecutionis ex eo liquet, quòd proximũ diligere tenemur, vt nos ipsos. Iuxta expressam legem: Diliges proximum tuum, vt teipsum. Atqui proximum occidere non licet. Iuxta legem: Ne occidito. Ergo ne quidem seipsum quisquam occidere debet. Paulus sanè laudi ducit suam ipsius carnem odio non habere, sed enutrire & fouere.

Matth. 22. Exod. 20. Matth. 5. Ephes. 5.

2. Potestas & ius, quod Dei solius est, id non debet homo temerè sibi sumere. Vitæ & mortis nostræ potestas Dei solius est. Iuxta dictum Pauli: Nullus nostrûm sibi viuit, & nullus sibiipsi moritur. Nam siue viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Item: Ipse dat omnibus vitam, halitum & omnia. Proinde nemo debet necem sibi consciscere.

Rom. 14. Act. 17.

3. Nullum Spiritus sancti templum scortando profanandum, nedum destruendum est. Corpora fidelium sunt templa Spiritus sancti, qui est in illis, & quem habẽt à Deo. Itaque Deum in corporibus & spiritibus suis, quæ sunt Dei, glorificare debent. 1. Cor. 6. Inde liquet, impium & sacrilegum facinus esse, manus non tam sibi, quàm templo Dei injicere, & Deum eius conditorem & sanctificatorem contumelia afficere.

4. Addam ἐπιφθέγματα sanctorum quorundam Ethnicorum dicta memoria digna. Aristoteles ait: Lex constituit quæ sunt iusta in omni genere virtutum, vt non concedit lex seipsum occidere. Idem ex eo quòd ciuitas punit eos qui sibiipsis manus inferunt, colligit iniurios esse in ciuitatẽ, quæ notat infamia, hos qui sibi mortem consciscunt. καὶ πᾶς ἀτιμία πρὸς ἑαυτὸν διαφθείρων.

Arist. Nic. lib. 5. c. 11.

Cicero in Catone.

Vetat Pythagoras, iniussu Imperatoris, id est Dei, de præsidio & statione vitæ

vitæ discedere.

Sed omissis Ethnicis, Lactãtij hominis Christiani iudicium allegabimus. Sic enim ille pronunciat: Ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Socraticæ vanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit persuasione. Sed tamẽ, *Sponte sua letho caput obuius obtulit ipse.* Quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida nefarius est, qui hominis exstinctor est, eidẽ sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat. immò verò maius esse facinus existimandum est, cuius vltio Deo soli subiacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus: ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu nobis recedendum est: qui nos in hoc corpus induxit tamdiu habitaturos, donec iubeat emitti, &c. De falsa Sapientia lib. 4. cap. 19. Videtur legendũ Stoicę

CXVII.

Quid igitur, dicet aliquis, de ijs qui necem sibiipsis consciuerunt, nobis statuendum est?

Respondeo, De nemine temerè pronunciandum esse: nec tamen omnes, qui violentas manus sibiipsis iniiciunt, eodem habendos loco. Alij enim nõ sine iusta caussa commiseratione digni sunt, alij reprehẽsione graui, alij execratione & publico odio: qui & de iure infames sunt & habentur.

Commiseratione digni sunt, qui post actam piè vitam, melancholico morbo correpti, & mentis impotes, sese præcipites dederunt vel ex alto, vel in præterfluentes aquas. Aut qui per ætatem & iudicij imbecillitatem, ignari rerum & instrumentorum, casu sibiipsis exitium accersiuerunt: vt cum pueri venenatas res deglutiunt, aut bombardas oneratas incautius tractant. Vtriusque lugenda exempla hæc nostra ætas vidit.

Reprehendendi sunt, qui contra præceptum, Non sunt facienda mala vt eueniant bona: maiorum malorum metu ducti, mortem, vitæ prælatam, sponte accersiuerunt, Refert Eusebius, Matronam nobilem Antiochenam, cum duabus filiabus, pudicitiæ conseruandę ergò, in flumen sese præcipitem dedisse. Item, duas sorores virgines fideles in mare prosilijsse, cum Diocletianus & eius Collegæ persecutionem mouerent aduersus Christianos. Etsi enim de his & similibus nolim temerè, nedum sinistrè, pronunciare: ac laude digna est castitatis cura: nec desunt nonnulla quę commiserationem merentur, sexus imbecilior, conscientia fragilitatis, metus tormentorum, & alia: vt etiam dem, non esse factum planè damnandum, non tamen cuiquam pio imitandum iudico. Sequẽda enim nobis est regula de iniurijs ferendis: Melius est vt bene agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè agentes. Hist. Eccl. lib. 8. c. 12. 1. Pet. 3.

Grauissima reprehensione digni sunt, qui κενοδοξίᾳ, aut alio cæco affectu ducti, in periculis quæ sponte adierunt, (nihil videlicet mali veriti, aut nimium viribus aut industriæ suæ confisi) interierunt. Vt Glaucus ille, prouerbio nobilitatus, qui comesa herba habitat in mari. Item, Asahel ille velocissimus, qui etiam admonitus vt sibi caueret, tamen Abnerum persecutus est, & ab illo interemtus. Noti sunt versus. Adag. Chil. 4. Cent. 1. Prou. 63. 2. Sam. 3.

— *Deusque videri*
Dum cupit Empedocles, ardentem protinus Ætnam
Insiliit, &c.

Execrationem autem omnium hominum ij merentur, qui vbi contrà cõscientiam egissent sceleratè, furijs vrgentibus surdóque conscientiæ vulnere

eos exagitante, αὐτόχειρες perierunt. Vt Saul, Achitophel & Iudas Iscariotes, qui ambo laqueis vitam finierunt. Item P. Pilatus, de quo extant versus Gregorij Turonensis:

Tam tibi sit mitis Ponti Pilate Megæra,
Támque tuæ moueant lacrymæ Plutona ferocem,
Quàm merito periit fato, te iudice, Christus.

His adnumerandi sunt, qui malæ conscientiæ verbere, qui impatientia, qui desperatione quadam tum rerum suarum, tum misericordiæ diuinæ, qui denique odio, liuore, maleuolentia, aut alia perturbatione vel contabescunt, vel illis moti, laqueum sibiipsis non mandant solùm, sed etiam iniiciunt, séque ipsos conficiunt.

Cato cur seipsum occiderit.

De Catone scribit Lactantius: Videtur mihi caussam quæsisse moriendi, non tam vt Cæsarem fugeret, quàm vt Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, noménque suum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, si viueret, non inuenio. C. enim Cæsar, vt clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipso belli Ciuilis ardore, quàm vt bene mereri de Repub. videretur, duobus optimis ciuibus Cicerone & Catone seruatis.

Ethi. Nic. lib. 3. c 7.

De Catone, Bruto, & similibus rectè Aristotelem pronunciauisse censeo: Cæterùm illud non ad fortitudinem, sed ad timiditatem potius referendum est, si quis mortem sibi cõsciscat, quò molestiis atque laboribus defungatur. Est enim mollis atque imbellis animi, laborioſa ac molesta vitare velle, &c. Sed de his hactenus.

CXVIII.

Det nobis (qui per aquam & Spiritum renati sumus) Dominus noster Iesus Christus, vt ne hominum animalium vestigiis insistamus, sed in vita ac morte Deum, à quo conditi sumus, glorificemus, ac ita simus affecti, quem-

Phil. 1. admodum sanctus ille noster Apostolus, qui de seipso testabatur: Mihi enim Christus & in vita & in morte lucrum est. Vtrum verò viuere in carne mihi operæpretium sit, & quid eligam ignoro. Coarctor enim vtrinque, desiderãs migrare & esse cum Christo: nam id longè optimum est: sed permanere in carne, magis necessarium est, propter vos, &c.

CXIX.

De reconciliatione: seu, De Homine cum Deo reconciliato, & Renato.

PROPOSITVM nobis est, in hac tertia parte Historiæ de Homine, primùm aureum diui Pauli dictum μεθοδικῶς enarrare: deinde, hominis spiritualis prosopographiam delineare. Verba Apostoli:

2. Cor. 5. vers. 17. Si quis igitur est in Christo, noua creatura est. Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia.

18. Hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, dedítque ministerium reconciliationis.

19. Nempe quia Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuítque in nobis sermonem hunc reconciliationis.

Itaque

Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine, reconciliemini Deo. 20.

Fecit enim, vt qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum esset, vt nos efficeremur iusticia Dei in eo. 21.

CXX.

Initiò obseruent studiosi hæc tria.

1. Paulum in hisce dictis ἀναλυτικῶς ab effectu, videlicet à noua creatura seu homine renato, regredi ad eius caussas efficientes, formalem, instrumentales, finales, & alias quasdam.

2. Propositionem esse hanc: Renati, ideo sunt noua creaura, quia sunt Deo reconciliati. Verùm de hac postea pluribus agemus.

3. Filum orationis. In versu 17. tradita est propositio, τοῦ ὅτι: Qui in Christo sunt, noua Creatura sunt. In versu 18. succedit τὸ διότι, & Cõfirmatio propositionis illius, ducta ab efficientibus, tum principalibus, Deo videlicet Patre & Iesu Christo, tum instrumentalibus, Euangelio & eius ministris. Item, à formali caussa, ipsa nimirum reconciliatione. In versu 19. est non solùm ἐπεξήγησις caussarum efficiẽtium principalium, & formalis, sed etiam ἀπόδειξις. In vltimo huius versus lemmate, & in versu 20, de caussis organicis, Euangelio & eius præconibus, loquitur. Versus vltimus παρακλήσεως habet sanctæ obtestationis, Reconciliamini Deo: ductam à caussis efficientibus, materiali & finali, nostræ reconciliationis. Hæc ὡς ἐν τύπῳ delineata, paulo pòst ἀμαθέστερον ἢ σαφέστερον declarabimus.

CXXI.

Duplex est hominis notitia (παθητικῶς sumta voce Noticiæ) altera, κατὰ σάρκα, secundum carnem: altera, secundum Spiritum renouantem & regenerantẽ. Secundum carnem nobis noti sunt, de quorum generis nobilitate, parẽtum præstantia, animi, corporis & externis donis, prærogatiua ac dignitate, & cõtrà, nobis præclarè constat. Secundum Spiritum autem iis nobis noti dicuntur, de quorum adoptione & iustificatione ex sanctificationis effectis pronunciare possumus. Huius posterioris noticiæ exemplum occurrit in Epistola priore ad Thessalonicenses: Vt qui, ait Paulus, sciamus, fratres dilecti, vos esse à Deo electos: quoniam Euangelium nostrum constitit apud vos, non loquutione duntaxat, sed etiam virtute, cùm in Spiritu sancto, tum in certa persuasione multa. Ita fideles se inuicem agnoscere decet, vt non tam carnem & sanguinem, quàm Spiritum sanctum & huius χαρίσματα respiciamus & magni pendamus. 1. Thess. 1. Ratio dignoscendi electos

CXXII.

Homo itaque renatus & spiritualis, si κατὰ πνεῦμα consideretur, est in Christo noua creatura. Sententia est: Qui est in Christo, idem est noua creatura. At spiritualis homo, qui opponitur animali, est in Christo. Itaque est noua creatura. 1. Cor. 2. 2. Cor. 5. Propositio de homine spirituali.

Sicut ψυχικὸς, animalis homo dissimilimus fuit homini recens condito, integro & sancto: ita πνευματικὸς, spiritualis homo dissimilis est animali. Vt si quis Aaronis & Mosis sororem Mariam prophetissam, à lepra curatam, dicat plurimum ab illa quæ leprosa fuisset, mutatam: ita longè alius est spiritualis homo, quàm animalis. Agnosco dissimilia quædam esse (nec enim simile

idem est)sed nunc disimilitudinis rationem aliquo modo adumbrare libet.

CXXIII.

Pattitio propositionis.

Subiectum in Propositione est, Quicunque sunt in Christo. Prædicatum, Ii sunt noua creatura. De his duabus partibus singillatim agendum, & deinde ad Confirmationem accedendum erit.

De Subiecto.

In Christo esse. Hæc phrasis variè explicatur: sed mira est metaphoricarũ & aliarum locutionum, quoad sententiam, συμφωνία. Significat, 1. partem cum Christo habere. Iuxta dictum: Nisi lauero te, partem mecum non habebis. Ioan.13. 2. Esse insititium Christi. σύμφυτον. Nam si cum eo plantati coaluimus, conRom.6. formatione mortis eius, nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus. 3. Manere in Christo. Manete in me, & ego in vobis. Ego sum Ioan.14. vitis, vos palmites: is qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum. 4. Christum induere. Nam quicunque baptizati estis, Christum Gal.4. induistis. 5. Esse membra corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius. Ephes.5. 6. Vnum cum Christo esse, & proinde eius cohæredem. Vt & ipsi in nobis Ioan.17. vnum sint. Item: Cohæredes autem Christi, &c. Rom.8.

Etsi igitur Christus Iesus, respectu humanæ naturæ, ὁμοούσιος est omnibus hominibus, tam infidelibus, quàm fidelibus: tamen iis tantùm quos ipsi dedit Pater, vera & indissolubili cognatione iunctus, vnum cum eisdem corpus mysticum constituit, cuius ipse caput est. Visum est enim æterno Patri, ἀνακεφαλαιώσασθαι omnia in Christo: qui etiam excitat Pastores & Doctores, ad Eph.1. & 4. coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.

CXXIIII.

De prædicato.

Est noua creatura. In Christo Iesu, ait Paulus, neque circumcisio quic- Gal.6. quam valet, neque præputium, sed noua creatura. Spiritualis homo nuncupatur noua quædam creatura, non substantiæ, sed qualitatum respectu. Id enim quod perierat, quærit & saluum facit Christus, non aliam substantiam hominis creando, sed eam regenerando & renouando, vt renatus per aquam & Spiritum, homo Dei sit, & Spiritu ducatur.

Ita quoque ob renouationem, Cœlum nouum & Terra noua dicitur. Itẽ, 2.Petr.3. præceptum de fraterna charitate, dicitur nouum. Mandatum nouum do vo- Ioan.13. bis, vt alij alios diligatis, sicut ego dilexi vos.

Valde autem consentaneum est, quod pij docent, amplificationem esse in Creaturæ vocabulo, quæ & Pelagianum illud liberum arbitrium neget, & regenerationem ac renouationem nostri in solidum gratiæ Dei tribuendã, doceat. Etsi enim reliquæ sunt in homine vires aliquæ, necesse tamen est vt Deus operetur & velle & perficere, iuxta beneplacitum, &c.

CXXV.

Renati hominis elogia.

Magnum fuerit operæpretium, Renati hominis descriptiones & elogia, quæ sparsim in Scripturis occurrunt, velut in tabella ob oculos posita, adspicere, & ex eis finitionem exstruere.

1. Are-

1. A relatis: Est homo Dei, id est, agnoscit Deum conditorem, redemtorem & Dominum, ei se ἐπιστρέφειν subiicit. Iuxta dicta: Tu verò, ô homo Dei, ista fuge. Item: Vt integer sit homo Dei. 2. Tim. 6. 2. Tim. 3.

2. A caussa efficiente dicitur Spiritualis: quia per aquam & Spiritum regenitus, ductum sancti Spiritus sequitur. Spiritualis omnia diiudicat, inquit Paulus. Item: Præoccupatum in aliqua offensa, Spirituales instaurent. Sic autem vocat omnes eos, qui aliàs in fide firmi dicuntur. Ioan. 3. Rom. 8. 1. Cor. 2. Gal. 6. Rom. 14.

3. Ab effectu dicitur nouus, id est, renouatus. Vetera enim præterierunt, & ecce noua facta sunt ei omnia. 2. Cor. 5.

4. Ab oppositis nuncupatur interior homo, ad differentiam exterioris. Propterea non segnescimus: sed etiamsi externus noster homo corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie. 2. Cor. 4.

5. A partium essentialium perfectione. Ipse autem Deus pacis auctor sanctificet vos totos: & integer vester Spiritus & Anima & Corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi. 1. Thess. 5.

6. A forma accidentali. Renouari Spiritu mentis vestræ, & induere nouum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad iusticiam & sanctimoniam veram. Eph. 4.

7. Ab antithesi vitæ & donorum. In hac vita ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus. Postquã autẽ aduenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est abolebitur. 1. Cor. 13.

Finitio.

Homo spiritualis est ποίημα seu opus Dei, renatum ex Spiritu, & proinde spirituale, integritate spiritus, animæ & corporis excellens, ob renouationẽ imaginis Dei, quæ in iustitia & sanctitate vera posita, ad Archetypi gloriam facit.

Ipsius, ait Paulus, opus sumus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis versaremur. Ephes. 2.

CXXVI.

Hactenus Propositio vtcunque à nobis declarata est: supereſt vt ad τὸν τῆς λόγων μέθοδον accedamus, & quo pacto ac quibus argumentis Paulus eam confirmârit, ostendamus. Spiritus sanctus adsit nobis, & ducat nos in omnem veritatem, Amen.

Syllogismus.

A caussa efficiente vniuersali. Quicunque sunt ex Deo, ij sunt noua creatura. In hac Maiore agitur de gratia regenerationis, qua filios suos Deus dignatur, cùm in eis imaginem suam instaurat, cuius caussa dicuntur noua creatura. Opponuntur autem ij qui sunt ex Deo, iis qui sunt ex hoc mundo. Iuxta dictum: Ex mundo non sunt, sicut & ego non sum ex hoc mundo. Ioan. 17.

Minor. Atqui renati, seu ij qui sunt in Christo, ex Deo sunt. In hoc lemmate est τὸ χρινόμενον.

Itaque qui sunt ex Deo, iidem sunt noua creatura.

CXXVII.

Minorem probo tribus modis. Primùm à caussa formali: deinde, ab ef-

ficiente, Mediatore: postremò, à causſa organica famulante.

Causſa formalis.

1. Ex Deo sunt, qui eidem verè sunt reconciliati. At qui sunt in Christo, eidem sunt reconciliati. Sunt igitur ex Deo. Reconciliatio cum Deo, constat non sola eius gratia & beneuolẽtia erga nos, sed etiam eiusdem effectis, nimirum vocatione efficaci: iustificatione, quæ complectitur peccatorum remissionem & iusticiæ Christi imputationem: & sanctificatione, quæ iugẽ viuificationem spiritus, & carnis mortificationem in hac vita, complectitur.

Efficiens mediatrix causſa.

Ioan. 17.

2. Ex Deo sunt ij omnes, quos Christus Mediator eidem conciliat & commẽdat. Sed Christus suos fideles, qui sunt ipsius συλάγχνα & membra, Deo Patri conciliat. Itaque fideles sunt ex Deo. Commemorabile est illud Christi: Pater, quos dedisti mihi, velim vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt conspiciant gloriam, &c.

Instrumentales causſæ.

3. Quoscunque dignatur Deus de reconciliatione & gratia sua per Spiritus ministerium certiores facere, ij sunt ex Deo. Sed renatos per ministerium reconciliationis certiores facit Deus de sua gratia. Itaque certum est eos esse ex Deo. Hi tres syllogismi occurrunt in versu 18.

CXXVIII.

Minores istorum Syllogismorum, quorum primus à forma, secundus à Mediatore Christo, tertius à Ministerio ducitur, & illustrat & ordinè probat Paulus, versu 19. Nempe quia Deus erat in Christo mundum reconciliãs sibi, non imputando eis peccata ipsorum: posuitque in nobis ministerium reconciliationis.

1. Quibus non imputantur peccata (χῳ συνεδοχὴ, omnia quæ ad formã reconciliationis pertinent, hac voce complectitur) ij rectè dicuntur reconciliati Deo. Mundo (hæc vox restringitur ad eos quos antea dixerat, esse in Christo) non imputantur peccata. Est itaque Deo reconciliatus.

Ioan. 5.

2. Si Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, tum certè fideles ei sunt reconciliati. Sed prius est, iuxta dictum: Amen, Amen dico vobis, non potest Filius à semetipso operari, nisi viderit Patrem operantem. quæcunque enim ille facit, hæc etiam filius pariter facit. Igitur & posterius verum est.

3. Ministerium reconciliationis non est temerè institutum. Illud autem de reconciliatione testificatur. Quare non est in dubium reuocanda reconciliationis nostræ gratia.

CXXIX.

Versu 20, causas Ministerij reconciliationis indicat. Itaque Christi nomine legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine, reconciliemini Deo. Ministerij huius hæ sunt causſæ.

Ephes. 1.

1. πάτηρ, Deus Pater, cui ordinis ratione principium actionis passim in Scriptura tribuitur. Vt: Faciens omnia iuxta propositum, &c.

Hebr. 3.

2. Σωσάπτον est Iesus Christus, Mediatoris munere fungens, qui ideo dicitur nostræ professionis Apostolus.

1. Cor. 3.

3. Συνεργοὶ sunt Apostoli & alij noui Testamenti ministri. Iuxta illud: Etenim Dei sumus administri. Hos legatione Christi nomine fungi, Apostolus

2. Cor. 5.

affirmat.

4. Finalis causa, in his verbis tradita est: Oramus Christi nomine, reconciliemini Deo.

Ne-

Neque verò Paulus liberum arbitrium, hoc est, facultatem applicandi se ad gratiam, homini animali hisce verbis tribuit: sed iam Deo reconciliatis, iugi reconciliationis præconio opus esse, testatur. Vt enim etiam post Baptisma, vsque ad extremum vitæ huius actum & halitum, precari conuenit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: ita semper necessaria nobis est Euangelij concio, de reconciliatione gratuita per Christum, déque remissione peccatorum nostrorum. Matth. 6.

CXXX.

Amabilis autem planéque paternæ exhortationis, καταλλάγητε τῷ θεῷ, reconciliamini Deo, grauissimam ἀπολογίαν subiungit versu 21. Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iusticia Dei in ipso.

Argumentatur Paulus, ab amore & meritis Dei erga genus humanum, in hunc modum. Eius gratia & reconciliatio, summo cum desiderio expetenda est, qui sibi reconciliatos vnicè diligit, & nihil non ipsorum caussa præstitit & præstat. Sed Deus summo amore, sibi reconciliatos complectitur: & ne quidem proprio filio pepercit, vt illorum saluti consuleret. Quare eius gratia & reconciliatio maximè nobis omnibus exoptanda fuerit. Rom. 5.

CXXXI.

Si quis in hoc dicto circumstantias personarum & rerum diligenter expendet, ampliſsimam doctrinam in eo contineri animaduertet.

1. Quis? Deus Pater, qui prior nos dilexit, & edidit decretum de nostra restitutione in integrum.

2. Quem dedit? Filium vnigenitum, in quo complacuit animæ eius. Matt. 17.
Hunc σχεμφρασικῶς vocat Paulus, Eum qui peccatum non nouit, id est, qui planè ἀναμάρτητος est. Talis enim nos decebat Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus. Heb. 7.

3. Quibus, & pro quibus? Pro nobis, qui naturà sumus infirmi, impij, inimici Dei. Hanc circumstantiam Paulus valde amplificat, cùm de corruptione & originis peccato differit. Rom. 5. Eph. 2.

4. Quid? Fecit eum peccatum, id est, victimam piacularem. Filius Dei in cruce pendens, imputatis ei nostris peccatis, verè languores nostros tulit, & nouissimus virorum factus est, quasi sese polluisset meis, tuis, & omnium aliorum peccatis. Hanc filij Dei humiliationem & κένωσιν nulla mens humana pro dignitate æstimare, nulla lingua satis celebrare potest.

5. Cur? Vt nos efficeremur iusticia Dei in eo. Hoc de fine dicitur. Iusticia μεταληπτικῶς, pro Iusti. Abstractum enim pro concreto sumtum est. Nemo nostrûm nisi in Christo iustus censetur à Deo Patre. Sicut enim Christus Iesus nostra caussa peccator factus est, imputatione: seu, imputatis ei nostris peccatis: ita nos iusti sumus, imputata nobis vniuersali obedientia erga legē Dei, quam & agendo & patiendo Christus nostra caussa præstitit. Vt autem ex reconciliatione cum Deo, colligimus nos hostes Dei fuisse: ita ex iustificatione discimus, nos fuisse iniustos & impios, destitutos gloria Dei. Rom. 3.

CXXXII.

Iam tandem accedemus ad spiritualis hominis Prosopographiam, traditā Hominis Spiritualis προσωπογραφία.

à Prophetis & Apoſtolis, vt quæ ſit noſtra conditio intelligentes, in pietatis
Phil.3. curſu, omiſsis iis quæ à tergo ſunt, ad eam quæ à fronte nobis præfixa eſt,
immortalitatis, ſupernæque vocationis Dei, palmam feramur: ſuperna cu-
Coloſſ.3. rantes, non terreſtria.

CXXXIII.

Distinctio rationis. Illud autem διϊ ἐσοπάθως, Hominem animalem & ſpiritualem, non eſſentia (eædem enim ſunt vtriuſque partes ſubſtantiales, anima videlicet humana, & corpus organicum) ſed ratione, hoc eſt, qualitatibus, actionibus, conditione, diſtingui. Deus enim pro immenſa ſua φιλανθρωπία & bonitate, non a-
Luc.15. lios eſſentia homines creat: ſed perditos corruptóſque inſtaurat & renouat.

CXXXIIII.

Proſopographiæ capita nouem. Hominis renati προσωπογραφία complectitur hæc capita: 1. Patriam. 2. Patrem. 3. Matrem. 4. Regenerationem. 5. Alimenta. 6. Ingenium. 7. Studia. 8. Militiam. 9. Conſummationem. De his Scripturę verbis vtentes breuiter agemus.

CXXXV.

1. Patria. Col.3. Phil.3. Renatorum hominum Patria eſt Cœlum, in quo Chriſtus eſt ſedens à dexteris Dei. Iuxta dictum: Nos enim vt cœlorum municipes nos gerimus: vnde etiam Seruatorem exſpectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Etſi autem iidem adhuc militantes, in hoc mundo ſunt, non tamen ſunt ex
Ioan.17. hoc mundo, ideóque exoſi mundo.

CXXXVI.

2. Pater. Matt.6. Rom.8. Ioan.1. 1.Ioan.3. Deum autem Patrem cœleſtem agnoſcunt, reuerentur, amant, & inuocãt, dicentes, Abba, Pater. Non enim ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Deo geniti ſunt. Nobilitas horum celebratur & in hoc dicto: Quiſquis natus eſt ex Deo, peccatum non committit: quoniam ſemẽ ipſius
Rom.8. in eo manet: nec poteſt peccare, eo quòd ex Deo natus eſt. Item: Quòd ſi filij, igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Sumus
2.Pet.1. autem filij per adoptionem: diuinæ conſortes naturæ.

CXXXVII.

3. Mater. Gal.4. Omnium renatorum Mater eſt Eccleſia. Sublimis, ait Paulus, verò illa Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrûm.

CXXXVIII.

4. Regeneratio. Ioan.3. Neceſsitas & αὐτοπαθείας, & effectus. 1.Pet.1. Gratiarũ actio pro regeneratione. De Regeneratione noſtra hæc dicta tenenda ſunt. Niſi quis regenitus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod genitum eſt ex carne, caro eſt (id eſt carnale) & quod genitum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. In hoc dicto videre eſt, planè neceſſariam eſſe regenerationem natis ex carne. Eam autem perfici à Spiritu ſancto. Regenitos eſſe ſpiritu, hoc eſt, ſpirituales, quia ductum Spiritus ſequuntur.

Item: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ex multa ſua miſericordia regenuit nos in ſpem viuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem quæ nec perire poteſt, nec contaminari,

nec

nec marceſcere, nobis in cœlis ſeruatam. Hæc obſeruentur cauſſæ regenerationis. ἄπαν κύριον, eſt Deus Pater. παντοκρατορία, Miſericordia eius. Finis, Spes vitæ æternæ.

Hæc hominis inſtauratio diuerſis & ſignificantiſſimis Metaphoris adhibitis dicitur παλιγγενεσία, ἀνακαίνωσις, καινὴ κτίσις, ζωοποίησις, id eſt, Regeneratio, Renouatio, Noua creatura ſeu creatio, Viuificatio. Omnes autem hæ Metaphoræ, mirabili harmonia concinentes, ſignificant ἀλλοίωσιν, ſeu alterationem qualitatum, &c. Metaphoricę appellationes.

CXXXIX.

Alimenta noui hominis vocamus, Habitum, Cibum, Hoſpitium. 5. Alimẽta.

Veſtis nuptialis, quam in lauacro regenerationis induit nouus homo, eſt Chriſtus. Iuxta dictum: Nam quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Chriſti iuſticia, noſtram iniuſticiam tegit, vt ſancti & iuſti coram Deo appareamus. A Sacramento ad rem Sacramenti procedit, quia fideles alloquitur. Matth. 22. Galat. 3.

Cibum potúmque ſpiritualem hæc dicta declarant: Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego excitabo eum in vltimo illo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioan. 6.

Communem autem nobis & Patribus hunc cibum eſſe, docet Paulus? Omnes eandem eſcam ſpiritualem ederunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra: petra verò erat Chriſtus. 1. Cor. 10.

De Hoſpicio renatorum dicitur: Nempe igitur non amplius eſtis hoſpites & inquilini, ſed conciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Item: Vt noris quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & ſtabilimentum veritatis. Epheſ. 2. 1. Tim. 3.

CXL.

Complector Ingenij voce, lumen diu initùs accenſum in mente, voluntatis conuerſionem ad Deum, virium in homine rectitudinem, conſenſum, alia bona dona, quæ in nobis operatur Spiritus ſanctus. Etſi autem, vt aliud eſt reſpectu ſubſtantiæ magnes, aliud eſt vis trahendi ferrũ: ſic aliud eſt ſubiectum animæ, aliud eius potentiæ, aliud harum rectitudo: nunc tamen cùm de potentiarum ſeu facultatum reformatione agamus, communi nomine vocamus ingenium. Paulus nuncupat, τὸ τοῦ πνεύματος φρόνημα, intelligentiam Spiritus. 6. Ingenium. Rom. 8.

Huc faciunt dicta: Intelligentia Spiritus, pax & vita. Item: Delector lege Dei quoad interiorem hominem. Mente ſeruio legi Dei. Item: Spiritualis diiudicat omnia, ipſe verò à nemine diiudicatur. Rom. 7. 1. Cor. 2.

CXLI.

Tu verò, ô homo Dei, iſta (auaritiam & alia) fuge: ſectare autem iuſticiam, pietatem, fidem, caritatem, tolerantiam, lenitatem. Decerta præclarum certamen fidei: apprehende vitam æternam, &c. Item: Deponere, quod 7. Studia. 1. Tim. 6. Epheſ. 4.

ad priſtinam conuerſationem attinet, veterem illum hominem, qui deceptricibus cogitationibus corrumpitur: renouari verò Spiritu mentis veſtræ, & induere nouum illum hominem, qui ſecundũ Deum conditus eſt ad iuſticiam & ſanctimoniam veram. Ex hac arbore boni illi fructus Spiritus naſcuntur, de quibus Paulus Apoſtolus ait: Fructus Spiritus eſt caritas, gaudiũ, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, temperantia. Aduerſus eos qui ſunt eiuſmodi, non eſt lex. Item: Quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis: ſi qua virtus, & ſi qua laus eſt, hæc cogitate.

Gal. 5.

Philip. 4.

Vt ſummatim dicam, homo renatus per fidem fungitur officijs Eccleſiaſticis, Politicis, Oeconomicis, vt adductis S. Patrum exemplis Paulus docet Hebr. 11. Intelligit enim, hominem ad ſocietatem honeſtam certis legibus colendam & iuuandam eſſe conditum. Sed de his non agam pluribus.

CXLII.

3. De Militia.

Hominis Chriſtiani militiam, verbis Pauli, quàm meis explicare malo. De hoſte domeſtico, quem in ſinu fouet, dicitur: Caro concupiſcit aduerſus Spiritum. Item: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuũ reddentẽ me legi peccati quæ eſt in membris meis.

Gal. 5. Rom. 7.

De hoſtibus externis, ſed ſpiritualibus: Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus imperia, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales malitias in ſublimi.

Epheſ. 6.

Exemplo autem ſuo Paulus rem totam illuſtrat, cùm ait: Certamen illud bonum decertaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, &c.

2. Tim. 4.

Meminerint autem Studioſi, in hac militia nõ tantùm aduerſa, ſed etiam ea quæ caro ſecunda eſſe putat, nobis ſuſpecta eſſe debere. Oppugnamur enim à dextris & ſiniſtris. Ideo diſcamus gloriari in aduerſis & infirmitatibus, vt qui ſciamus Dei virtutem in infirmitate noſtra perfici. Oblectemur in infirmitatibus, in cõtumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto: cùm enim infirmi ſumus, tum potentes ſumus.

2. Cor. 12.

CXLIII.

9. Cõſummatio.

Regenerationis noſtræ complementum differtur in id tempus, quo mortuis reſuſcitatis, electos ſuos congregabit Filius Dei, & in æternam vitam traducet. Ideo vita æterna dicitur παλιγγενεσία, regeneratio. Quæ donorum Spiritus ſancti perfectio tum futura ſit, ex hac Antitheſi liquet: Poſtquam autem aduenerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt abolebitur. Sed de hac re in poſtrema parte Hiſtoriæ humanæ pluribus agendum erit. Proinde hæc vel attigiſſe ſatis fuerit.

Matth. 25. Matth. 19

Gratia ſit Deo ſuper inenarrabili ſuo munere, Amen.

2. Cor. 9.

DE

DE RESTITVTIONE HOMINIS IN integrum, & de Regenerationis eius complemento.

CXLIIII.

IN hac postrema parte tria ordinè tractabimus. 1. Descriptionẽ æternæ vitæ. 2. Eiusdem Caussas. 3. Rationem illius, siue animum & corpus hominis beati, siue eiusdem functiones spectes. Facient hæc omnia ad illustrandum fidei nostræ articulum: Credo vitam æternam.

CXLV.

Hæc est vita æterna, vt te solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Dicitur æterna, quia fine caret. Est coniuncta cum luce: & credentibus datur: increduli enim eam non vident. pane vitæ, id est, viuificante, alitur: suam habet viam, quæ est fidei via: habet Christum ἀρχηγὸν: dicitur Vita Iesu, manifestanda olim in corporibus nostris: est enim cum Christo abscondita, in Deo: quando autem Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & nos cum eo patefiemus glorioſi. est denique donũ Dei, quo qui fruuntur, non sibi viuũt, sed ei qui pro eis mortuus est & resurrexit.

Finitio Ioann. 17 Matth. 19. Ioan. 1. & 3. & 6. Matth. 7. Act. 3. 2. Cor. 4. Colos. 3. Rom. 6. 1. Cor. 5.

CXLVI.

Sit igitur hæc definitio vitæ Dei, qua viuunt Renati: Vita æterna est Dei Patris donum, quod princeps vitæ Christus Iesus, sese his qui credunt communicans, accendit illuminando eorum corda per fidem, & viuificando, vt Deo fidei obedientiam perpetuò præstent, ad ipsius gloriam & fidelium salutem, tum in hoc mundo, abscondito adhuc vitæ dono, tum in ęterna consuetudine cum Filio Dei, &c.

Definitio caussalis vitæ æternæ.

Meminerint autem Studioſi, nos iam de vita Dei, qua internus noster homo viuit & æternùm victurus est, loqui: non de physica vita, quæ nunc est vapor, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit: & continua quędam agitatio. Dignum tamen est memoria dictum Ludouici Viuis: Vita mente prædita, id est, consilio, iudicio, ratione, quæ λογικὴ nuncupatur, à nobis autem rationabilis: quæ cognoscendo Deo, ac proinde amando condita, finem per hos gradus habet beatitudinem. Sed nos θεολογικῶς ista tractare malumus, quàm sententia & more philosophantium.

Iac. 4.

In li. 1. de Anima.

CXLVII.

Quæstio de caussis vitæ æternæ magna animorum contẽtione agitata est omnibus temporibus mundi. Nos eam breuiter tractabimus.

De caussis vitæ æternæ.

Quæstio est, Sitne vita æterna gratuitum Dei donum, an verò merces debita meritis piorum hominum?

Argumẽtum principale à sufficiente enumeratione caussarum. Vita æterna aut propter bona opera nobis datur, aut gratis propter Christum donatur. Atqui non datur propter bona opera, aut merita nostra. Ratio: Quia nõ est iusta proportio inter vitam æternam, & merita hominum: si quæ sunt. Quare concludimus, Vitam æternam gratuito Dei dono, propter Christum tamen, nobis conferri. Ita etiam Paulus docet, cùm ait: Donum autem Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

Principale argumentum de vita æterna.

Rom. 6.

CXLVIII.

Contra hanc piam & orthodoxam ſententiam, pro tuenda aduerſaria opinione, ſic argumentatur Pelagiani, & eorum tum magiſtri, tum ſequaces.

Pelagianorum argumentum 1. à contrariis.

Contrariorum eſt eadem ratio. Sed ſtipendium peccati, eſt mors, teſte Paulo. Igitur iuſticiæ ſtipendium eſt vita ęterna. Voco autem, ex ὑποθέσει aduerſariorum, iuſticiam, bona opera, & quæ præparauit Deus vt in iis verſaremur, & alia quædam παραδεδομένα.

Eph. 2. In Loc. Communibus. Meriti ratio.

Melanchthon rectè reſpondet: Valeret conſequentia, ſi contraria eſſent pariter integra. Mala integrè repugnant legi Dei: Bona nondum ſatisfaciunt legi Dei. Hæc ille.

Nos addimus, ad meriti rationem pertinere, vt quis ſua benefacta adferat, nec debeat ei cui ea largitur. Atqui neutrum tribui poteſt renatis. Nam primùm bona eorum opera, Deo accepta referri debent, qui operatur in illis & vt velint, & vt perficiant: non autem viribus ſtudióque hominũ. Deinde, bona opera à Deo prȩcepta, debita ſunt. Iuxta illud:

Luc. 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, fecimus quod debuimus. Itaque renatis tribui non debet, quòd mereantur vitam æternam.

Principium autem petunt, qui non renatis bona opera tribuunt. Stat enim illud:

Rom. 14. Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Non renati fide deſtituuntur. Non igitur ex fide agunt. Et reuera è pumice aquam poſtulant, qui à non regenitis & ſpiritus expertibus, fructus ſpiritus exigunt. Merentur itaque mortem, ſed non vitam æternam.

CXLIX.

2. Argumentum Pelagianorum. Matt. 25.

Secundò argumentantur iidem ab effectu ad cauſſam, analyticè Chriſtus affirmat ſe olim dicturum benedictis ſuis: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Poſtea, ita vt in Enthymematis inuerſis fieri conſueuit, ἀπολογίαν addit: Eſuriui enim, & dediſtis mihi quo veſcerer. Oſtendit igitur, operum meritis dandum eſſe regnum cœlorum & æternam vitam.

Reſpondeo: In hoc Sophiſmate eſt fallacia, ſecundum nõ cauſſam, vt cauſſam. Aliud eſt medium, aliud cauſſa. Bona opera ſunt mediũ, per quod Deus in poſſeſſionem regni ſui nos deducit: non autem ſunt cauſſæ ſalutis. Rectè quidam monent, Vt via non eſt cauſſa finis, nec ſtadium eſt cauſſa metæ: ſeu vt medium non eſt cauſſa viſionis: ſed per hæc ducuntur homines ad finem & metam, & per medium cernunt oculi: ita per bonorum operum ſtadium traducimur in regnum Patris. Cauſſæ autem felicitatis noſtræ ſunt, Electio, adoptio, & alia benedictionis diuinæ capita, quorum & Chriſtus meminit. Vtitur autem & verbo κεκληρονομήσατε, vt ſignificet, vitæ donum hæredibus donari, non mercenariis deberi. Addit, paratum eſſe regnum à iactis fundamen

Rom. 9. tis mundi, vt oſtendat, operibus non deberi: quando cauſſa non eſt poſterior ſuo effectu. Ita & Paulus argumentatur, de Iacob & Eſau loquens: Priuſquam nati eſſent, nec quicquam boni aut mali feciſſent, &c.

CL.

3. Argumẽtum. Inſtant Pelagiani, & ſic paralogizant: Cauſſa præcedit ſuum effectum. Bona autem opera vitam æternam præcedunt. Sunt igitur cauſſa.

Reſpon-

Respondeo: In Minore est Paralogismus à dicto secundum quid, ad dictũ simpliciter. Complementum regenerationis & vitæ æternæ præcedunt bona opera, quæ sanctificationis sunt propria, sed non eius initia, quæ in hac vita nulla esse possunt sine bonis operibus. Quid enim? Annon fide filij Dei viuimus? Vt igitur animalis vitæ documenta sunt Sensus & Motus: ita vitæ æternæ, quæ in hac militia in nobis incoatur, indicia sunt Sensus & Motus Deo placentes, quos in nobis creat, & indies excitatiores facit Spiritus sanctus. Istis initiis quid sit tribuendum, liquet ex hoc dicto: Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transiuit à morte in vitam. Ac vt ne illud quoque repetam, quod antea de medij & caussæ distinctione dixi: istud velim Studiosi perpendant, Non omne quod rem antegreditur, eius esse caussam. Item, Omnium perfectissima opera nostra fore in æterna vita. Caussa igitur vitæ æternæ est gratuita electio, non meritum nostrũ.

Gal. 2.

Ioan. 5.

CLI.

Impossibile est duas contradictorias Propositiones, simul esse posse veras. Sed vera est hæc Propositio: Vita æterna est merces. Iuxta illud: Voca operarios, & redde illis mercedem. Item: Merces vestra copiosa est in cœlis, &c. Quare non stabit illud Pauli: Dei autem donum vita æterna, &c.

4. Argumentum Pelagianorum ab antinomia. Matt. 20. Matt. 5. Rom. 6.

Respondeo: Pugnantia non tribuuntur vni & eidem, simul & respectu eiusdem. At cùm vita æterna dicitur Merces, & cùm eadem dicitur donum, nequaquam respectu vnius, vtrumque de ea prædicatur. Quare non est contradictio in illis duabus Propositionibus, Vita æterna est donum: &, Vita æterna est merces.

Donum est respectu tum Dei, qui illud gratis dat: tum nostri, qui illud gratis accipimus: cùm alioquin Stipendium iusticiæ dici possit, ratione ideæ.

Merces autem est, κατὰ χρῆσιν sumto vocabulo, propter has caussas.

1. Propter promissionem. Nam spontanea promissione Deus sese debitorem nostrum facere dignatus est.

2. Quia datur laborantibus in vinea Domini, qui etiam studẽt vocationem & electionem suam firmam efficere.

2. Pet. 1.

3. Quia post opus factum redditur. Etsi enim, non possunt bona opera præcedere iustificationem: tamen vult Deus, eadem antecedere glorificationem, & possessionem plenam regni cœlorum. Est itaque verum illud Augustini: Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur. Ideo dixit Paulus, Stipendium peccati, mors: vt mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret, Gratia verò nisi gratis sit, gratia nõ est. Quare hominis bona opera, cum Dei sint munera, quibus vita æterna redditur, gratia pro gratia recompensatur.

In Enchiridio ad Laurent. c. 107.

CLII.

Paulus disertè dicit, Deum redditurum vnicuique secundum opera sua, & addit. Iis quidem qui perstant, boni operis gloriam & honorem & immortalitatem, ijs qui quærunt vitam æternam. Quare sequi videtur, bonis operibus parari vitam æternam.

5. Argumentum. Rom. 2.

Respondeo: In hoc argumento est Paralogismus, secundum non caussam vt caussam. Iudiciũ enim secundũ opera, nec iustificationis, nec æternæ vitæ

cauſſa eſt. Bona opera,quæ ad ſanctificationē pertinent,conſequitur beatitudo,non vt effectus ſuam cauſſam,ſed vt conſequens cum antecedente ſuo ex Dei conſtitutione coniunctum. Aliud quinetiam eſt, ſi quæras, quæ ſit operum bonorum æſtimatio per ſe:aliud, ſi qua remuneratione Deus illa dignetur, quæras. Indebita & gratuita eſt operum imperfectorum remuneratio.

Iudicabit Deus vniuerſos homines ſecundum eorum opera:quia hęc ſunt τεκμήρια, ſeu fidei,ſeu infidelitatis. Neminem autem propter ſua opera vel iuſtificat,vel in æterna tabernacula recipit.

Rom.6. Concludimus ergo cum D.Paulo,Vitam æternam eſſe χάρισμα,id eſt,gratuitum Dei donum,per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

CLIII.

Tranſitio. Quia vitæ æternæ definitio & cauſſæ vtcunque expoſitæ à nobis ſunt, ad tertiam partem noſtri inſtituti,quæ & poſtrema eſt & latè patet,videlicet ad Beatorum qui cum Chriſto olim regnabunt deſcriptionem accedemus.Neque verò animus eſt,curioſas potius, quàm vtiles & neceſſarias quæſtiones tractare.Scimus enim,ineruditas & infrugiferas quæſtiones & λογομαχίας nobis miſſas eſſe faciendas.Certas ſolùm quæſtiones,ordine categorico diſpoſitas,vt earum Studioſi meminiſſe queant,recitabimus,& adhibitis Scripturæ quæ Lydij lapidis inſtar eſt,dictis, ſecundum fidei Canonem eas diiudicabimus.Quæſtionum hic ordo eſt.

Subſtantia. 1. Anne totus homo vitæ æternæ particeps futurus ſit, an verò pars ſolùm eius?

Quantitas. 2. Quid de ſtatura beatorum corporum ſit ſtatuendum?Item, Anne ſit futurus definitus Beatorum numerus,ſoli Deo cognitus?

Qualitas. 3. Animaliáne,an verò ſpiritualia corpora noſtra futura ſint?Item, Quæ ſint futuræ animi & corporis dotes?

Relatio. 4. Anne coniugio & Politico ordini locus futurus ſit in vita beata, an verò non?Item,Quæ ſpecies διαξίας tum futura ſit?

Actio. 5. Quæ ſint futuræ Beatorum actiones & exercitia pietatis?

Paſſio. 6. Qualis ſit futurus Sanctorum Sabbatiſmus,in quo ipſis beatam quietem agentibus,Deus in eiſdem erit omnia in omnibus?

Vbi. 7. Vbi ſint futuri Beati? Et de domo Patris,in quo manſiones multæ ſunt.

Quando. 8. Anne,cum hæc beatitudo habeat definitum initium, eadem quoque expers ſit futura finis?

Situs. 9. Anne,cum corpora Beatorum ſint glorificanda,localis motus, poſitúſque membrorum eis rectè tribui poſſit? Item, de fictitia dimenſionum penetratione.

Habitus. 10. De veſtitu nuptiali.Et,Anne vt ſtella à ſtella differt gloria, ita quoque inter Beatos futura ſit aliqua diſtinctio?De hiſce quæſtionibus, & quibuſdam cognatis,ea quæ Dominus ſuggerere dignabitur, docēdi & diſcendi gratia,candidè indicabimus.

CLIIII.

1.Anne totus homo victurus ſit in æternum? Initiò quæritur,totúſne homo particeps futurus ſit æternæ vitæ, an verò principalis ſolummodò eius pars,videlicet Anima?

Reſpondemus, Totum hominem,hoc eſt,ſpiritum & corpus eius, beatum fore:idque probamus hiſce argumentis.

1. Ab

1. Ab ὁμοουσίᾳ Christi & nostri. Natura, quàm totam (ratione partium essentialium) assumsit ὁ λόγος, tota quoque in singulis fidelibus salua erit & beata. Sed ὁ λόγος assumsit animam intelligentem & corpus humanum. Igitur & animæ & corpora hominum piorum saluabuntur. Nec est cur quis putet, plus esse in conclusione quàm in præmissis: quum τὸ ὅπ, & τὸ διότι allegatio τῆς ὁμοουσίας spectet.

2. A regenerationis gratia. Creatura, quam totam Deus regenerat & renouat, tota etiam seruabitur, & æterna vita perfruetur. Atqui totam naturam humanam regenerat Deus. Iuxta dictum Pauli: Ipse autem Deus pacis auctor, sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. Igitur, &c. 1. Thess. 5.

3. A coniunctione æterna cum Christo. Impossibile est eos vel totos, vel ex parte perire, qui toti in æternum erunt cum Christo Iesu: qui solus est via, veritas & vita. Atqui nos, qui credimus in vnigenitum Dei Filium, semper cum eo erimus: secundum illud: Cupio migrare hinc, & esse cum Christo, Item: Nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini, in aëra: & ita semper cum Domino erimus. Ioan. 14. Philipp. 1. 1. Thess. 4.

4. Ab immutabilitate diuini propositi. Dei dona eiusmodi sunt, vt eorũ Deum nunquam pœniteat. Atqui vita æterna Dei donum est. Itaque nemini illud eripit. Indigni autem sunt, qui fingunt, Beatis tædium vitæ æternæ, & proinde cogitationem de ea abiicienda in mentem venire posse: quibus opportunè respondeamus. Rom. 11. & 6.

CLV.

Piam hanc sententiam, in diuina Scriptura traditam, oppugnant, si animæ immortalitatem spectes, Epicurei: si corporum resuscitationem, Sadducæi, Philosophi quidam, & Libertini: quorum argumenta quædam recitabimus, addita confutatione velut antipharmaco quodam. Act. 17. & 23.

CLVI.

Epicureorum, totius hominis παγολεθρίαν seu internecionem statuentium, epicherema hoc erat: Cras moriemur, ergo indulgendum genio, priusquam in nihilum redeat, quod fuit antè nihil. Hoc Sophisma non nisi τῇ ὑπαπαλήξει ἢ ὑπομίσει refutãdum est. Apud Iesaiam & recitatur & refutatur comminatione pœnæ diuinæ. Vocabit Dominus Iehouah exercituum in die illa ad fletũ, & ad planctũ, & ad caluitium, & ad cingulum sacci. Et ecce gaudium & lætitia (scilicet apud istos Epicureos) occidere boues, & iugulare pecudes: comedere carnem, & bibere vinum: Comedere, inquam, & bibere: cras enim moriemur. Et reuelabitur id in auribus meis, Iehouæ exercituum. Si expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, &c. Paulus μιμητικῶς Epicuream illam cantilenam percẽset, & addit ὑπερίμησιν: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Ne errate. Mores bonos colloquia praua corrumpunt. Euigilate iustè, & ne peccate: quidam enim Deum non norunt. ad pudorem vobis loquor. Hæc inter alia notandum, quòd Epicureorum furorum caussam facit τὴν τοῦ θεοῦ ἀγνωσίαν, id est, quòd Epicurei & Sardanapali isti, sint Dei & voluntatis eius planè ignari.

1. Epicureorum Epicherema de animæ & corporis mortalitate. Isaiæ 22. Si, pro non. 1. Cor. 15.

Epicureorum de totius hominis interitu tum διαλογισμοὺς, tum voces impias, Sapiens recitat: Dixerunt, inquit, ipsi non rectè secum existiman- Sap. 2.

tes,Breuis & moleſta eſt vita noſtra,nec eſt remedium contra mortem hominis,nec fuit cognitus qui ab inferis reuerterit.Quoniam temerè nati fuimus,& poſthac ita ſumus futuri,quaſi nunquam fuiſſemus:propterea quòd fumus eſt ſpiritus in naribus noſtris,& ſermo ſcintilla è corde noſtro excitata.Quo exſtincto,corpus noſtrum redigetur in cinerem,& ſpiritus quaſi aër fluxus diffundetur,&c.

CLVII.

II. Sadducæorum Sophiſma. Luc.20.

Sadducæorum λεπτολόγημα de corporum reſurrectione Euangeliſtæ percẽſent,vnà cum refutatione.Dato vno inconueniente,plura ſequuntur. Sed data hac propoſitione,Mortui reſurgent:ſequetur abſurdum,videlicet,Vnã mulierculam ſeptem fratribus nuptam fore:aut ſi vni tantùm cedat,diſſidiũ inter eos fore.Quare potius neganda videtur reſurrectio mortuorum.

Reſpondet Saluator ad Minorem,& oſtendit,primùm Sadducæos petere principium,cùm hoc prę ſupponunt,Nuptiis locus erit in illa beata & ſpirituali vita:quod eſſe falſum,infrà docebimus.deinde, euidentiſſimè Animarum immortalitatem & Corporum reſurrectionem Syllogiſmo expoſitorio probat,cùm ait:Deus eſt non mortuorum,ſed viuorũ.Deus eſt Deus Abraham,Iſaac & Iacob.Omnes igitur iſti viuunt ei.Hoc etiam de animabus eorum intelligendum ex eo liquet, quòd corpora eorum mortua eſſe, nemo dubitaret:quæ reſuſcitanda eſſe ſimul probat.

Inſtantia. Si quis excipiat,Animarum Abrahæ,Iſaac & Iacob immortalitatem,corporúmque ſuſcitationem,hoc argumento adſtrui:ſed non agi de aliorum hominum animabus & corporibus, quibus illud immortalitatis donum non ita vt aliis datum,& reſuſcitationis ſpes facta,videri poſſit.

Ei reſpondeo,neminem noſtrùm excludi ex catalogo viuorum,cùm vniuerſaliter dicatur:πάντες γὰρ αυτῷ ζῶσιν:Omnes enim viuunt ei. Hoc enim cum ampliatione accipiendum eſt.

Præterea notum eſt,Singulare, potentia aliquando vniuerſale eſſe: quia ſicut in vno,ſimiliter ſe habet in omnibus. Itaque ſi anima Abrahæ eſt immortalis,etiam omnis hominis anima immortalis erit. Particularia Theologiæ potentia vniuerſalia ſunt.Proinde ex ipſis tanquam vniuerſalibus argumenta rectè ducuntur. Sic enim argumentatur Paulus,de Iuſtificatione:
Rom.4. Abraham,fide ad iuſticiam imputata,iuſtificatus eſt.Igitur nos quoque ea ratione iuſtificamur. Ratio:Non enim ſunt diuerſi iuſtificationis modi. De
Rom.9. Electione:Iacob,priuſquam natus eſſet,& nequicquam boni malíve feciſſet, electus eſt. Non igitur alia eſt etiam noſtræ electionis ratio : cùm non ſit aliud noſtræ electionis principium,quàm illius.

CLVIII.

Libertinorum Sophiſma.

Libertini,errorem veterem, à D. Paulo in Epiſtolis ad Theſſalonicenſes & alibi quoque improbatum & refutatum,renouantes, argutantur in hunc modum:Id quod de reſurrectione animorum dictũ eſt,non erat detorquendum ad corporum reſuſcitationem. Sed Scripturæ dicta de Reſurrectione hoc tantùm ſibi volunt,eos qui mortui fuerant peccato,per communionem reſurrectionis Chriſti viuere,& in nouitate vitæ ambulare.Itaque non euincitur ex eis Corporum reſurrectio.

2.Tim.2. Vetuſtiſſimum eſſe hunc errorem, liquet ex hiſce Pauli Apoſtoli verbis:

Sermo

Sernsō eorum depaſcitur vt gangræna:ex quibus eſt Hymenæus & Philetus: qui circa veritatem aberrarunt à ſcopo, dicentes Reſurrectionem iam eſſe factam:& ſubuerterunt quorundam fidem.

CLIX.

Etſi autem ſufficere poterant modò adducta Apoſtoli verba, ad refutandas Libertinorum præſtigias:tamen & aliud eiuſdem Apoſtoli teſtimonium adducemus,& quid dialecticè dici poſſit,docendi cauſſa,indicabimus. Soſutio. Paulina.

Certum eſt tum nobis ſperandam Reſurrectionem carnis, quando redibit Filius Dei in gloria ad iudicandum viuos & mortuos:non prius. Atqui nondum dies ille illuxit. Iuxta dictum Apoſtoli Pauli:Rogamus autem vos, fratres,per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti,& noſtri in eum aggregationem,ne citò à mente dimoueamini,neque turbemini, neque per ſpiritū: neque per epiſtolam, tanquam per nos ſcriptam, quaſi inſtet dies illa Domini,&c. Itaque nondum facta eſt illa reſurrectio. 2. Theſſ.2.

παρημολογία.

Etſi igitur damus Spiritualem illam reſurrectionem, quæ propria eſt interni hominis,in nobis incoatam, ſecundum illud Pauli: Sicut excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in noua vita ambulemus: tamen & id affirmamus de corporum noſtrorum reſuſcitatione, quod hæc Filij Dei vox monet:Veniet hora, qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem eius,&c. Rom.6. Ioann.5.

Manifeſtum autem eſt Libertinos παραλογίζειν, ab eo quod eſt ſecundum quid,ad id quod ſimpliciter: In hac vita nulla alia eſt, quàm ſpiritualis illa animorum reſurrectio à morte peccati. Igitur nulla alia corporum reſuſcitatio,poſt hanc vitam ſperanda eſt.

CLX.

Concludimus itaque contra Sadducæos, Libertinos & alios, Saluandos tam corporibus quàm ſpiritibus beatam acturos vitam, & quidem hoc ordine in eius poſſeſſionem eoſdem deduci.

Qui in Domino moriuntur,eorum ſpiritus ad Dominum migrant, & ad ſpiritus iuſtorum conſecratorum,vt hæc dicta oſtendunt: Factum eſt vt moreretur Mendicus,& aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Item: Hodie mecum eris in Paradiſo. Item: Cupio migrare hinc, & eſſe cum Chriſto. Corpora eorundem in puluerem redeunt,è quo ſumta ſunt. Fiet tamen id quod Apoſtolus noſter docuit:Mortui reſurgent primùm. Deinde nos viui,qui reliqui erimus,rapiemur ſimul cum eis in nubes, in occurſum Domini in aëra:& ita ſemper cum Domino erimus. Luc 16.& 22. Philipp.1. Geneſ.3. 1.Theſſ 4.

CLXI.

Ex his etiam liquet,quàm ſit prodigioſum eorum deliramentum,qui fingunt, Animam intelligentem vnà cum corpore emori & exſtingui, & cum eodem olim reſuſcitandam. Quaſi verò ſpiritus ille noſter ad Dei imaginem conditus,& qui depoſito tuguriolo corporis ad Dominum migrat, qui ad ſpiritus iuſtorum aggregatur, qui Deum præſentem habet, & conſolatione in ſinu Abrahæ fruitur,flatus quidam euanidus ſit,& in auras diſſipetur? Ioānis 22. Papæ hæreſis, Animas non videre Deū ante nouiſſimum diē Gen 2. Phil.1. Hebr.12. Luc.16.

CLXII.

De Quantitatibus glorioſorum corporum dicturo,duarum quæſtionum

fontes occurrunt, Dimensio & Numerus: de quibus ordine agendum erit: sed ex diuinis Scripturis, & vt spei fidéique, non curiositati humanæ hac in parte seruiamus.

CLXIII.

Anne Beatorum numerus definitus sit futurus?

Quæritur primò, Cùm illud extra controuersiam sit, totum hominem, præordinatum ad æternam vitam, huius fore participem, Anne definitus Beatorũ numerus, soli Deo cognitus, nobis sit statuendus? Respondeo: Certum fore Beatorum numerum, qui Deo soli cognitus est, nemo pius dubitare potest, cùm id disertissimè testentur hæc luculentissima testimonia Scripturæ.

Ioan 10. 2. Tim. 2. Philip. 4. Ephes. 2. Matth. 10

Ego sum pastor ille bonus, & agnosco oues meas, & agnoscor à meis. Itẽ: Solidum Dei fundamentum stat, habens sigillum hoc. Nouit Dominus qui sint sui: &, Discedat ab iniusticia omnis qui nominat nomen Christi. Huc faciunt illustria dicta de ijs quorum nomina libro vitæ inscripta sunt: item, de Sanctorum conciuibus & domesticis Dei. Quis dubitet horum esse certum numerum, ei Patrifamiliâs cognitum, qui in numerato habet capitis cuiusque nostrúm pilos? Eódem spectant & ea, quæ de Censu verorum Israelitarum in lib. Numeri & Apocalyps. habentur. Disertè dicitur adimplendus conseruorum numerus, Apocal. 6. Et in sequente capite signatorum numerus celebratur.

CLXII.

Cognata est priori hæc quæstio, Anne Beatorum in vita æterna maximus futurus sit numerus? Respondeo: Etsi in hac animale vita & militia omnibus ætatibus, plures mali & infideles, quàm boni & fideles fuerunt, sunt, Maith. 24 erúntque: secundum dicta: Caritas refrigescet in multorum cordibus. Itẽ: Putásne filium hominis, vbi venerit, inuenturum fidem? Item: Erunt tempora 2. Tim. 3 periculosa, & homines φιλήδονοι potius, quàm φιλόθεοι φίλαυτοι, φιλάργυροι, superbi, maledici, &c. tamen certum est, magnæ partis generis humani salute & beatitudine, declarandam esse gloriam gratiæ diuinæ, secundum illud testi- Heb. 12. monium Apostoli: Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viui, Hierusalem cœlestem, & myriadas Angelorum, conuentum & concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem vniuersorum, Deum & spiritus iustorum consecratorum, &c.

Luc. 13.

Verùm enimuerò de hac quæstione cogitantibus in mentem venire debet Christi Iesu responsum, datum percunctanti: Domine, num pauci sunt qui seruentur? Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, studebunt intrare, & non poterunt. Hoc sanè dictum, pij in eos qui malunt cum multis à via aberrare, quàm cum paucis in via vitæ incedere, dictum esse, rectissimè colligunt.

CLXV.

De ætate & statura resurgentium. lib. 4. distinct. 44.

De Dimensione corporum beatorum, ea quæ Magister Sententiarum ex Augustino & Scriptura sacra adduxit, recitabo, & quid nobis de ijs statuendum sit, paucis monebo.

Solent, ait ille, nonnulli percunctari & quærere, an in eadem ætate & statura corporis omnes resurrecturi sint? Quidam putauerunt, omnes resurrecturos

cturos ſecundum menſuram ætatis & ſtaturæ Chriſti: ideo quia Apoſtolus ait: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis & plenitudinis Chriſti. Sed his verbis non eadem reſurgentibus aſſignatur ſtatura, ſed ætas. Omnes enim in eadem ætate reſurgent, in qua Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, cuiuſcunque ætatis mortui fuerint. Virum autē poſuit, nō vt diſtingueret ſexum, ſed vt ſignificaret perfectionem virium quam tunc habebunt: ſed non omnes eandem ſtaturam corporis obtinebunt. Vnde Auguſtinus: Non ait in menſuram corporis vel ſtaturæ, ſed ætatis: quia vnuſquiſque ſuam recipiet menſuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiamſi ſenex obijt: vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Et paulo pòſt: Non eſt autem fas dicere, quòd in reſurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hîc, nec erat habiturū diu viuendo: nec maiora corpora redigenda ſunt ad modum Dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, cùm nec periturus ſit capillus, vt ait Dominus: Capillus de capite veſtro non peribit. Hæc & alia ille refert, quæ diiudicanda propono.

Ephe. 4. Paulus de interni hominis incrementis loquitur.

De Ciuit. Dei lib. 22. c. 14.

Luc. 21.

CLXVI.

Nos ſapere decet ad ſobrietatem, & ſic de quantitate corporū beatorū diſputare, vt humanæ curioſitati (quæ ferè non patefacta ſcrutatur, reuelata verò negligit) frenos non laxemus.

Illud ſatis eſt ſcire & firmiter ſtatuere, corpora noſtra ſuam habitura dimenſionem, nec futura ἀσώματα, inuiſibilia, & quę attingi nequeant. Sicut euidentiſſimè conuincit hæc demonſtratio: Ieſus Chriſtus trāsformabit corpus noſtrum humile, vt conforme fiat corpori ſuo glorioſo pro efficacitate qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia.

Phil. 3.

Atqui Chriſti glorioſum corpus, non fuit poſt reſurrectionem ἀσώματον, ἀόρατον: ſed ſenſibus externis percipi potuit, viſu, tactu, &c. Iuxta dicta: Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipſe ſum. cōtrectate me, & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, prout me conſpicitis habere. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Paulo pòſt, in diſcipulorum gratiam, vt omnem ſcrupulum eis eximeret, edit partem piſcis, & aliquid ex fauo apiario. Quomodo etiam Thomas, digitum veſtigio clauorum, manum lateri eius immittere potuit, ſi expers fuit quantitatis glorioſum Chriſti corpus?

Luc. 24.

Ioan. 21.

Quare & noſtra corpora ſuam habitura ſunt definitam & conuenientem quantitatem & menſuram, ὅπερ ἐστὶ δεῖξαι.

CLXVII.

Quemadmodum autem ſtella à ſtella in gloria differt, & eædē plurimùm differūt magnitudinis reſpectu: ita quoque ſtaturæ differētia in recēs reſuſcitatorum corporibus futura, videri poteſt: ſecundum illud Apocalypſeos: Vidi mortuos, magnos & puſillos, ſtātes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt.

Simile. 1. Cor. 15.

Apoc. 20.

De incremētis corporū nolim temerè ἀφοβατεῖν. Pronūciet de iis, cui vberior Spiritus ſancti reuelatio obtigit. Nos memores ſimus, tum noſtri moduli, tum illius Paulini præcepti: Ne quis ſapiat ſuprà quàm oportet ſapere: ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt menſuram fidei.

Rom. 12.

CLXVIII.

3. Qualitates Beatorum. Iam ordo quæstionum suprà propositarum postulat, vt de Qualitatibus dicamus. Altera quæstio est, Sintne animalia, an verò spiritualia beatorum corpora futura? Altera, Quæ dotes tum animi, seu spiritus, tum corporis humani sint futuræ?

CLXIX.

Ad quæstionem priorem, qua quæritur, Animaliáne, an verò spiritualia futura sint Beatorum corpora? in hunc modum Doctor gentium, cuius nos discipulos profitemur, respondet: Seminatur corpus animale, excitatur corpus spirituale. 1. Cor. 15. est corpus animale, & est corpus spirituale. Ita enim scriptum est: Factus est primus Adam εἰς ψυχὴν ζῶσαν: posterior autem, εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. Gen. 2. At spirituale non est prius, sed animale: deinde spirituale.

CLXX.

Obiectio, Si spiritualia erunt beatorum corpora, tum definitio corporis humani & organici eis non conueniet: & in dubium vocabitur Carnis resurrectio. Sed consequens est absurdum: igitur & antecedens.

Respondeo, Paralogismum esse à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. κατά τι erunt corpora nostra spiritualia, ratione qualitatum, & vitæ diuinæ. Qualitates voco, gloriam, incorruptibilitatem, potentiam. Vitam diuinam voco, æternam vitam, quam Deus dabit.

Non autem simpliciter erunt & dicuntur spiritualia. Corpus enim humanum essentiales suas proprietates retinebit, & definitione differet à Spiritu.

CLXXI.

Instabit forsan aliquis, & dicet: Nisi detur hæc hypothesis, Corpora nostra simpliciter spiritualia erunt: sequetur absurdum, videlicet nullam spem superesse vitæ & salutis. Ratio consequentiæ συλλογιστικῶς ita probari videtur.

Caro & sanguis non possunt regni Dei hæreditatem consequi. Corpora autem hominum (nisi fiant spiritualia) carne, sanguine & aliis ἑτερογενέσι ἢ ὁμογενέσι partibus constant & constabunt. Igitur non erit eis locus in regno Dei.

Respondeo: In hoc Sophismate est fallacia Accidentis. Maior loquitur de qualitate, vt docet Epexegesis quam subiunxit Apostolus: καὶ ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖ. Quod prius vocauit Carnem & Sanguinem, id postea φθορὰν, corruptionem nuncupat.

Minor autem de substantia corporis humani & eius partium agit. Illa prædicatio est figurata: hæc propria. Sententia est: Caro, non quà caro est, sed quà corrupta caro est, regnum Dei hæreditate non percipiet.

CLXXII.

Animorũ beatorũ dotes. Sed quænam erunt spiritus nostri dotes in æterna vita? Vita Dei, lux intelligentiæ, imago Dei, perfecta caritas, lætitia inenarrabilis & perpetua: seu omnium in homine virium ὑποταγὴ, τάξις καὶ ἁρμονία, seruiens gloriæ Dei, & felicitati beatorum hominum. Iuxta hæc dicta: Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet. 1. Ioan. 5. Quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis glorioſi. Col 3. Ego sum resurre- Ioan. 11.

resurrectio & vita:qui credit in me,etiamsi mortuus fuerit,viuet:& quisquis viuit,& credit in me,non morietur in æternum. Cernimus nunc per speculum & per ænigma,tunc autem coràm: nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout edoctus fuero. Carissimi, nunc filii Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus. Scimus autem fore,vt cum ipse patefactus fuerit,similes ei simus:quoniam videbimus eum sicuti est. Caritas nunquam excidit. Statuo non esse paria quæ præsenti tempore perpetimur,futuræ gloriæ in nobis retegendæ. Quæ oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis venerunt,quæ præparauit Deus iis qui ipsum diligunt. 1. Cor.13. 1.Ioan.3. 1.Cor.13. Rom.8. Isa.64. 1.Cor.2.

CLXXIII.

Tunc iusti fulgebunt, vt Sol,in regno Patris sui. Itaque in tempore visitationis suæ resplendescent, & veluti scintillæ in stipulis discurrent. Iudicabunt gentes, dominabuntúrque populis: & Dominus in eis perpetuum regnabit. Mat.13. Sap.3.

Denique,vt summatim omnia complectar,Deus erit omnia in omnibus: nos totos possidebit,reget,beatos faciet,& conseruabit in æternum. 1.Cor.15.

CLXXIIII.

Corpora autem beatorum hominum qualia tandem erunt? Corporum glorificatorũ qualitates ex illustri illa ἀνπδότῳ, quã Paulus tradidit, colligere licebit. Seminatur corpus obnoxiũ corruptioni, excitatur incorruptum:seminatur ignominiosum,excitatur glorioſum:seminatur infirmum, excitatur potens:seminatur corpus animale,excitatur corpus spirituale: est corpus animale,est & corpus spirituale. Item:Oportet hoc corruptioni obnoxium induere incorruptam naturam,& mortale hoc induere immortalitatem. Corpora glorioſa. 1.Cor.15.

CLXXV.

Neque verò cum Origene,ætherea corpora,quæ nec visu, nec tactu possint dignosci, beatis affingimus. Non enim μετῳσίωσιν, hoc est mutationem substantiæ, sed ἀλλοίωσιν,id est, qualitatum alterationem, agnoscimus. Idem enim corpus,quod attinet substantiã,resurget, sed spiritualibus quibusdam qualitatibus(quales in corpus cadere possunt)ornatum & instructum.

CLXXVI.

Ex eo,quòd Beatorum corpora glorioſa,subtilia, agilia, spiritualia fore dicuntur, quidam colligunt, futurum vt & ipsi in aliis simus, & per medios transeamus: & alii in nobis sint, & per nos transeant. Addunt nonnulli & hanc hyperbolen: Sicut nunc cogitatione mentis longè latéque dissita loca veluti perlustrare possumus: ita olim corpore subtili & agili ocyssimè loca remotissima adire poterimus. De penetratione Dimensionum.

CLXXVII.

Nos verò negamus,corpora nostra, amissis proprietatibus essentialibus, in spiritus esse vertenda,ídque probamus.

1. Ab exemplo: Si Christi corpus glorioſum videri, & palpari potuit, tum & nostra sensibus erunt exposita. Sed prius est,vt superius demonstratum est. Corpora sanè,quæ oculis aspici,manibus tangi poterunt,ea non erunt in aliis corporibus,nec per media corpora transibunt. Atqui nostra corpora sensibus illis obnoxia erunt. Immò & Christi corpus conspicuum erit. Iuxta dictum: Videbunt Filium hominis venientem. Videbũt, in quem pupugerunt. Ergo,&c.

2. Posita quantitate in corporibus beatorum, excluditur figmẽtum de penetratione dimensionum. Atqui suprà ostendimus, Corporibus beatorum non defuturam suam quantitatem: ne sint ἀσώματα. Nullo modo igitur dari potest penetratio dimensionum.

3. Sicut gloria humanitatis Christi non tollit naturam eius & proprietates specificas: ita nec à corporibus beatorum hominum, gloria tollet eorum propria, quæ verum & humanum corpus constituunt.

CLXXVII.

Orthod. fid. lib. 1. c. 4.

4. Damascenus, de Dei omnia replentis & permeantis omnipræsentia differens, verè dicit: πῶς ὃ συνθήσεται τὸ διὰ πάντων ἥκειν, καὶ πληροῦν τὰ πάντα θεόν. Id est: Quomodo vero componitur, cum per omnia meet, & impleat omnia Deus? sicut inquit Scriptura: Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Sic igitur argumentor à caussa penetrationis. Illa natura seu per aliqua, seu per omnia permeat, quæ non est composita, vt diuina. Corpus verò glorioſum compositum est. Ergo alia non permeat corpora.

Ier. 23.

Addit Damascenus dictum, quod reuera est Principium: ἀδύνατον γάρ, σῶμα διὰ σωμάτων δύνειν, μὴ τέμνειν καὶ τεμνόμενον, καὶ πλεκόμενον, καὶ ἀνταναπτόμενον. Impossibile siquidem est, corpus corpora permeare, nisi hoc quidẽ diuidat, illud verò diuidatur, cedat, recurrat. Ex hoc dicto liquet, Deo non esse vel ἄϋλον σῶμα affingendum, cùm is omnia permeet: id quod de substãtia corporea dici nullo modo potest. Si qui ἐρισπικοὶ his non acquiescunt, & corpus glorioſum fingunt vel vbique esse, vel per alia permeare corpora, eos non tantùm principia negare, sed etiam ἀσύστατα dicere, nihil dubium est. Quid enim? An nõ hæc ἀσύστατα sunt, Glorioſum corpus, est verum & humanum corpus & αἰσθητὸν: & idem illud penetrat alia corpora, in momento est in diuersis locis?

CLXXIX.

4. Relatio.

Quæritur quarto loco, Cui tandem diuinæ διατάξεως speciei locus sit futurus in æterna vita? Item, Quænam in vita beata sit futura graduũ gloriæ, & varietatis præmiorum distinctio?

CLXXX.

Primam quæstionẽ, quę de ordinis diuinitùs instituti gradibus agit, quod attinet, hæc distinctio tenẽda est: Alii seruiũt huic animali vitæ, vt ordo Cõiugalis, Ciuilis, & Docentiũ in Ecclesia, Alii gradus vitæ spirituali cõgruunt, vt subiectio quam fideles Deo debent, cum omnibus suis adiunctis. De his ordinè viderimus.

CLXXXI.

Coniugij & procreationis finis.

Coniugalem ordinem, & sobolis procreationem, in æterna vita locũ non habiturum, & testimonium Filii Dei, & euidentissima ratio docet.

Luc. 20.

Testimonii hæc verba sunt: Filii huius æui ducunt vxores, & nuptum dantur. Qui verò digni habiti fuerint qui æuum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis, neque ducunt vxores, neque nuptum dantur. Neque enim mori possunt amplius, pares enim Angelis sunt: & filij sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis. Sic argumentatur Dominus: Qui mori non possunt, ii nuptias non contrahunt. Beati mori non possunt. Igitur, &c. Item: Quicunque sunt ἰσάγγελοι, ii exemplo Angelorum, nuptias non contrahunt. Beati homines ἰσάγγελοι erunt. Itaque abstinebunt à nuptiis.

Rom. in

Ratio, præter iã adductas, etiam hæc adduci potest: Vbi plenitudo Gẽtiũ introierit,

introierit, totúsque Israel salutis factus fuerit particeps, tũ generis humani propagatione, ad Dei gloriã, nõ erit opus. Sed in regeneratione futura totus Israel seruabitur. Proinde non erit locus propagationi & coniugio.

Nihil dicemus & de hac causſa, quòd in animali & naturali vita actionibus, quæ istarum facultatũ sunt propriæ, locus est: & quòd homo ex homine nascitur respectu naturæ, non regenerationis. Vnde liquet, plenè renouati hominis alias esse functiones, quàm animalis: hoc est, plurimum interesse inter hominem ψυχικὸν & hominem πνευματικόν.

CLXXXII.

Ex Monarchiarum Mundi vltimæ periodo liquet, Ciuili gubernatione in hac solùm vita opus esse, non autem in æterna, in qua Christus solus, non iam, vt antea, in medio inimicorum: sed hostibus scabellum pedum eius factis, liberè & in æternum regnabit. Huc pertinet Oraculum: Quemadmodum autem vidisti, quòd de monte abscissus est lapis, qui manibus abscissus non est, & comminuit ferrum, æs, testam, argẽtum & aurũ: ita Deus magnus indicauit Regi illud quod futurum esset posthac. Periodus gubernationis ciuilis. Psal. 110. Dan. 2.

CLXXXIII.

A fine ordinis Politici idẽ rectè colligi potest. Magistratus Dei minister est, vltor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Item: Magistratus sunt terrori non bonis operibus, sed malis. Nemo autem malus in æterna illa vita erit, nemo peccabit. Itaque non opus erit Magistratu. Rom. 13.

CLXXXIIII.

Nec etiam opus erit externo ministerio Ecclesiæ, consummata iam coagmentatione Sanctorum, & ædificatione corporis Christi, quod est Ecclesia. Ministerio tantisper nobis opus est, donec fide opus est: quæ Paulo teste ex auditu est. Fide autem in via nobis opus est, non in patria. Itaque & ministerio in via solùm, non etiam in patria, nobis opus est. Melanchthõ cõdem facere iudicauit verba Ieremiæ, quæ Paulus adducit: Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eã: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Nec docebunt vltrà vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suũ, dicendo: Cognoscite Iehouã. Omnes enim cognoscent me. Hæc tamen verba Veteris & Noui Testamenti Ecclesiæ antithesin, ductam à lucis intelligentiæ distinctione, continere, alijs videntur. Ministeri i Ecclesiastici periodus. Eph. 4. Rom. 10. Ier. 31. Hebr. 10.

CLXXXV.

Vt autem ad solis iubar exstinguitur lumen cereiː ita prophetiæ abolebũtur, quando Iehouah orietur, & gloria eius consummata super Ecclesiam videbitur. Hæc commutatio iucunda erit electis Dei filiis. Diuinarum enim rerum cognitio, quam in patria habituri sumus, mirum in modũ, ea qua hæc imbuuntur animi nostri, præstantior erit. Cernimus, ait Paulus, nũc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nũc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout edoctus fuero. 1. Cor. 13. Isa. 60. 1. Cor. 13. Ordo inter Deum & fideles, in æterna vita.

CLXXXVI.

Quæ igitur forma διαξίας locũ habebit in Regno illo æterno? ἐφοτάγη seu

subiectio illa, qua omnes Deo subiecti erunt ad gloriam eius qui vniuersa propter semetipsum operatus est. De huius beatæ ἀποκαταστάσεως incoatione dicitur: Velim autem vos nosse, Christũ esse omnis viri caput: caput autẽ mulieris, virũ: caput verò Christi, Deum. At de eiusdem consummatione dicit idẽ Apostolus: Deinde erit finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri: cùm abo leuerit omne imperium, & omnem potentiam & virtutem, &c. Paulo pòst addit: Nam omnia subiecit sub pedes eius. Quum autem dicit, Omnia esse ei subiecta, palàm est (hoc dici) excepto eo qui subiecit ei omnia. Postquam verò subiecta fuerint ei omnia, tunc & ipse Filius subiicietur ei qui subiecit ei omnia, vt Deus sit omnia in omnibus.

1. Cor. 11.

1 Cor. 15. Luc. 1.

CLXXXVII.

In hisce dictis Pauli accuratè obseruabimus.

1 Christum hìc, quatenus sustinet Mediatoris personam, introduci: non quatenus ὁμοούσιος καὶ ὁμότιμος est æterno Patri.

2. Agi etiam, non de gloriæ & potentiæ regno, cuius non erit finis: sed de regno intercessionis pro Ecclesia, quod tum sortietur suam periodon, cùm abolitis peccato & morte, mediatoris munus Patri plenè probabit. Tũ enim intercessione pro peccatoribus, non erit opus.

Luc. 1.

3. Duplicem esse subiectionem: aliam quidem hostium deuictorum, in quorum medio Christus tãtisper regnat, donec militat Ecclesia: aliam verò, filiorum, qui Christo Iesu vnigenito filio accensentur. Hic igitur cum suis membris Patri subiicietur, vt is sit omnia in omnibus.

CLXXXVIII.

Cùm, Deum omnia in omnibus fore, testatur, non hoc vult, rerum naturam in Deum conuertendam, sed ad vitæ spiritualis causas & commoda, & ad gubernationem nostri, respicit. In hac mortali vita opus est nobis multis omninò rebus & adminiculis, victu, remediis, vestitu, hospitio, gubernatione & protectione, quiete & exercitiis: hæc enim sunt media, quibus Deus, Efficiens illa & vniuersalis causa omnia mouens & naturam fouens ac sustentans, vtitur. At in beata vita, istiusmodi rebus non erit opus: Deus enim omnium vice erit.

CXXXIX.

De gradibus præmiorum & gloriæ.

Iam ad alteram quæstionem accedamus, Erítne distinctio gloriæ & præmiorum in æterna vita? Respondent aliqui distinctionem aliquam fore: idque probare conantur.

1. A contrariis: si erit diuersitas aliqua ignominiæ & pœnarum æternarum, tum & gloriæ ac felicitatis distinctio quædam erit. Sed prius est, iuxta hoc dictum: Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in die iudicii, quàm vestra. Igitur, &c.

Matt. 11.

2. A testimoniis: intelligentes, ait Daniel, fulgebunt vt splendor firmamenti: & iustificantes multos, tanquam stellæ in seculum, & in perpetuum. Item: Amẽ dico vobis, vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis etiã vos super thronos duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.

Dan. 12.

Matt. 19.

3. Angelorum sunt distincti ordines & nouem chori. Probabile igitur est, etiam beatorum hominum distinctos fore ordines.

Nos

Nos contenti certa ſpe æternę vitæ, de gradibus iſtis non demonſtratiuè, ſed probabiliter ſolùm aliquid dici poſſe, credimus. In vltimo Epicheremate manifeſta eſt petitio principij. Quis enim idoneis teſtimoniis & rationibus hactenus fidem nobis fecit, vt tot choros angelorum ſtatuere oporteat? Nec ſanè eſt, cur ex diuerſis angelorum appellationibus, diuerſos ordines colligamus. Ephe. 1.

CXC.

Actiones beatorum hominum, pietatis exercitio iugi definiũtur, ac vitæ & regni communione. Iuxta hæc dicta: Fidus eſt hic ſermo. nam ſi cum eo mortui ſumus, cum eo etiam viuemus: ſi toleramus, etiam cũ eo regnabimus. Item: Beatus & ſanctus qui habet partẽ in reſurrectione prima, in hos enim ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum eo mille annis. Imago autem regni cœlorum & cultus diuini, quo in æternum defungemur, in ſequente capite propoſita eſt. 5. Actio. 2. Tim. 2. Apoc. 20. Numerus finitus pro infinito.

CXCI.

Nulla erunt πάθηματα beatorum, quę vel ſpiritibus eorum, vel corporibus, moleſta eſſe poſſint. Sabbatiſmum perpetuum agent, in quo ipſis quieſcentibus, Deus in eis efficax erit, communicabítque illis lucem, læticiam, iuſticiam & alia bona. 6. Paſsio.

Itaque, ait Paulus, reliquus eſt aliquis ſabbatiſmus populo Dei. Nam qui ingreſſus eſt in requiem eius, requieſcet & ipſe ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus. Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis in idẽ incidat contumaciæ exemplum. Hebr. 4.

CXCII.

Vbi erunt beati homines? Reſpondet Chriſtus, In domo Patris mei habitationes multæ ſunt: alioquin dixiſſem vobis: Vado paraturus vobis locum. Et cùm profectus fuero, & parauero vobis locum, rurſum veniam, & aſſumam vos ad meipſum: vt vbi ſum ego & vos ſitis. Vnde colligimus in cœleſti loco nos fore. Etſi enim, non in phyſico loco, vt eum philoſophus definit, corpora fore damus: alicubi tamen, & quidem in cœleſti loco, futura credimus. Non habemus hæc ſitam ciuitatem, ſed futuram inquirimus, ac lætamur nos in occurſum Domini, in aëra abripiendos, vt ita ſemper cum Domino ſimus. 7. Vbi. Ioan. 14. Heb. 13.

CXCIII.

De die aduentus Chriſti in gloria & de hora nemo ſcit, ne angeli quidem cœlorum, ſed Pater meus ſolus: vt ipſemet Dominus noſter Ieſus Chriſtus monet. Itaque nõ eſt noſtrum noſſe tempora ſiue opportunitates, quas Pater in ſua ipſius poteſtate poſuit. 8. Quando Matt. 24. Act. 1.

Nos dum exſpectamus Seruatorem noſtrum reducem, memores ſimus dicti: Cauete vobis, ne quando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & repentè vobis ſuperueniat dies ille. Item: Rogate vt digni habeamini, qui effugiatis omnia iſta quæ futura ſunt, & conſiſtatis coram filio hominis. Luc. 21.

Exſpectamus autem æternam vitam, quæ noſtri reſpectu initium habebit, finis autem erit expers. Nulla enim creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino Rom. 8.

1. Thes. 4. Col. 3. noſtro: ſemper erimus cum Domino: qui ſolus eſt vita noſtra.

Etſi autem multi & magni viri olim Chiliaſtarum opinionem, de Aureo illo ſeculo mille annis duraturo, amplexi & profeſsi ſunt: nos tamen cum tota Scriptura poſt animalem hanc vitam nullam aliam, quàm ſpiritualem & æternam, ſperamus.

CXCIIII.

9. Situs. Penultima quæſtio eſt, Anne beatorum corporum localis motus, & poſitus membrorum ſit futurus, an verò non?

Reſpondeo: Etſi de iis rebus, quas Spiritus ſanctus ῥητῶς non deſcripſit, nō eſt curioſè laborandum: & nobis potius contendendum, vt intremus per angu
Luc. 13. ſtam portam, quàm quicquam curioſè de motu corporum quærendum: quia tamen Scriptura, propoſito corporis Chriſti exemplo, diſcrimen inter
Luc. 24. Ioan. 20. ſpiritum & corpus glorioſum confirmat: credimus: vt animæ proprium motum: ſic corpori & eius partibus motum localem, non eſſe derogandum.

Etſi in cœlo, vt in loco erimus, ac vera erunt noſtra corpora: hoc eſt, hu-
Ioan. 14. mana, organica, glorioſa tamen: quis ſanus dubitet de eorum dimenſionibus & motu locali? Si qui localem motum, eò quòd indigentiæ ſit, corporibus beatorum derogandum cenſent, leui ſanè de cauſa nobiſcum pugnant.

CXCV.

10. Habitus. Vltima quæſtio eſt, de habitu & ornatu Beatorum: de qua etiam, paucis tamen, agemus: vt tandem aliquando receptui canamus.

2. Tim. 4. Apoc. 7. & 20. Matt. 22. Paulus beatis tribuit τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον, coronam iuſtitiæ: Ioannes, ſtolas albas, ablutas ſanguine Agni: Chriſtus Ieſus, veſtem nuptialem. Hæ & ſimiles ſententiæ, Metaphora à re veſtiaria ducta, monēt, non tantùm animos noſtros Spiritus ſancti dotibus ornandos: ſed etiam corporibus, gloriæ, incorruptibilitatis & potentiæ dona conferenda: vt ſint præclara Spiritus ſancti templa.

CXCVI.

Vt igitur κεφαλαιωδῶς ea omnia complectamur, quæ hactenus de Hominis creation, corruptione, regeneratione & inſtauratione plena, dicta ſunt: ſelectiſsima aliquot diuinæ Scripturæ dicta, veluti ſynecdochicas Theſes, recitabimus, ſi illud monuerimus, de eodem homine, ſi eius hypoſtaſin & partes eſſentiales ſpectes, hæc omnia prædicari.

De Adamo ante lapſum.

Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit illos.

CXCVII.

De homine corrupto.

Rom. 5. Per vnum hominem peccatum introiit in mundum, ac per peccatū mors & ita in omnes homines mors tranſiit, in quo omnes peccauerunt.

Quod

Quod natum est ex carne, caro est. Ioan. 3.

CXCVIII.

De homine Renato.

Deus qui dives est misericordia, propter multam caritatem suam qua dilexit nos, etiam cùm essemus per offensas mortui, vnà viuificauit nos per Christum, cuius gratia estis seruati: vnáque excitauit, vnáque collocauit in cœlis in Christo Iesu, &c. Eph. 2.

CXCIX.

De homine planè restituto.

Quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & vos patefactis glorioſi. Item: Carissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum patefactum est quod erimus. Scimus autem fore, vt cùm ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est. Et quisquis habet hanc spem in eo, purificat se: sicut & ille purus est. Col. 3. 1. Ioan. 3.

CC.

Omnipotens, æterne & viue Deus, Pater æterne Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, Paracleto, Deus iuste, sapiens & misericors, Tibi gratias agimus ex toto corde, quòd te nobis patefeciſti expresso verbo, & illustribus testimonijs de nostra creatione & restitutione: & celebramus sanctum tuum nomen, quòd initiò homines ad imaginem tuam, hoc est, iustos & sanctos creauisti, & rebus à te conditis præfeciſti tuósque cultores esse voluisti, hospitio eisdem in Paradiso, concesso, & additis multis maximis donis & priuilegijs. Δοξολογία.

Agnoscimus & deploramus veris gemitibus & lacrymis, tristissimũ lapsum Adæ, qui ingentem & horribilem ruinam secum traxit, iram videlicet tuam iustam & inenarrabilem, & naturæ nostræ corruptionem tãtam, vt abominabiles tibi facti, destituamur tua gloria, simus naturà filij iræ, mortui in offensis & peccatis. Peccauimus, Domine, & iniquitatem fecimus, impiè egimus, rebellauimus, & recessimus à mandatis tuis. Pudet nos nostri, qui digni non sumus vt oculos nostros attollamus, & te Patrem vocemus. Tibi, Domine, iusticia: nobis autem pudor faciei. Ne, quæso, intres in iudicium cum seruis tuis: quia ex operibus legis non iustificabitur coram te omnis Caro. Ne obserues iniquitates nostras. ἐξομολογησις.

Nos enim ad Iesum Christum, filium tuum vnigenitum & Seruatorem nostrum, in quo acquieſcis, te trahente & vocante confugientes, tibi gratias agimus ex toto corde, quòd in ira tua misericordiæ memor, gratia nimirũ tua exuberante supra offensam, ipse prior tanto amore nos peccatores, infirmos & inimicos olim tuos, prosecutus es, vt Iesum Christum Filium tuum, & Dominum nostrum, esse velles sapientiam nostram, iusticiam, sanctificationem, redemtionem, viam, veritatem & vitam, vt in eo solo εὐχαριστία.

gloriaremur, qui etiam in hunc mundum venit, vt peccatores saluos faceret:& quòd eiusdem συμφύτους, seu insititios factos,Spiritu tuo sancto regeneras & illuminas,consolaris & gubernas : & accendis in cordibus nostris lucem fidei,caritatem, spem,tolerantiam,& alios motus tibi placentes : ac inprimis vitæ æternæ initia & suauissimum gustum, quo ærumnarum nostrarum amaror mitigatur.

Precatio. Miserere, obsecro , totius Ecclesiæ tuæ afflictissimæ,quæ adhuc à cœlesti patria exulans, non minus à falsis fratribus , quàm ab hostibus manifestis,vexatur & turbatur : collige & protege eam: sanctifica eam per veritatẽ tuam: sana eius vulnera : da ei piam pacem cum veritate coniunctam : relinque nobis semen sanctum, ne simus instar Sodomæ & Gomorrhę.

Serua etiam in inclyta hac vrbe Basilienſi Ecclesiam, πολιτάρχας totúmque ordinem Politicum, Verbi diuini fideles Ministros, Academiam totam , & hæc pia agmina,doctrinam Propheticam & Apostolicam docentium & discentium. Accende in nobis φιλαλήθειαν καὶ φιλησυχίαν. Conserua hæc halcyonia. Da ne refrigescant in nobis,amor veritatis , odium mendacij, & caritas erga proximos. Vtinam breui illucescat lætissimus dies , illustris aduentus Iesu Christi Redemtoris nostri, qui nos traducat , ex lacrymarum valle, in cœlestem Academiam,vt vno omnes ore Deum aspicientes, in ęternum eundem celebremus: Amen. Amen.

Perscriptum Mense Ianuario
Anni 1579.

Prouerb. 28.

Fugiunt, tametsi nemo persequatur, impij : Iusti autem instar leonis confidunt.

ÆQVO LECTORI S.

MIHI verò, Candide Lector, in Theologicis exercitijs Dei donum & in carissimis fratribus , & in meipso ἀναζωπυρεῖν studenti , semper cordi fuit illud Theodoreti: ὃ δεῖ ζητεῖν τὰ σεσιγημένα, τέργειν δὲ πρεσήκει τὰ γεγραμμένα. Itaque ea quæ fidei respondere, inq; S. Scripturis exstare persuasum habebam & adhuc habeo , Ornatissimis viris, M. Paulo Cherlero, M. Huldrico Racio, D.Ioan. Lyndio, D. Ioan. Meledonio, D. Chiloni Zythandro, D. Isaaco Fœclero , & alijs fidelibus Verbi Dei Ministris,exponenda ,in Disputationibus Rœtelæ Marchicorum à me iampridem institutis,cõcredidi. Deum precor , vt quemadmodum sancto illi instiiuto vbertim benedixit:ita porrò quoque pijs studijs optimorum illorum virorum benedicat. Visum autem mihi fuit , Analyticas illas Theses in laudatissima Academia Basilienſi repetere , tum quia eadem hæc profiteor,quæ olim cùm in secessu amabili Rœtelæ viuerem , bona conscientia docui : tum quòd alia ratione bonis & doctis quibusdam viris , Exemplaria petentibus gratificari non possem. Bene vale, & precare vnà nobiscum Christum Iesum,vt φιλαληθείας καὶ φιλαδελφίας dona nobis benignè largiatur ad instaurationem Ecclesiæ & gloriam Dei : Amen.

Ioh. Iacobus
Grynæus.

DE

DE SYMBOLO APOSTOLICO,
Disputatio prima.

I.

QVemadmodum vniones & gemmæ, non quantitate saxa præcellunt, sed qualitatibus, forma, elegantia, colorum varietate, pretio & vsu: ita Symbolum Apostolicum non copia persuasorijs humanæ sapientiæ verborum, studio piorũ Ecclesiæ Doctorum conscriptas cœlestis Doctrinæ σωματοποιήσεις & compendia, vincit, sed his quatuor, τῇ αὐθεντίᾳ, τῇ μεθόδῳ, τῇ τελειώσει καὶ τῇ χρήσει, id est, Auctoritate, Ordine, Perfectione, & denique Vsu, longissimè præcellit.

II.

Rectè igitur D. Augustinus: Symbolum, ait, breue est verbis, sed magnũ est sacramentis. Quicquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quicquid denunciatum in Scripturis, quicquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deũ nato, vel de Spiritu sancto, vel de suscipiẽdo omni Sacramẽto, vel de morte Domini resurrectioníq; eius mysterio: totũ breuiter hoc Symbolum continet, & continendo habet & cõfitendo. Serm. 181. de Tempore.

III.

Eius sanè auctoritas sacrosancta apud omnes pios semper fuit & erit: quum & magno veterum consensu (cui temerè reclamare, nostrum non est) Apostolis tanquam Spiritus diuini amanuensibus, acceptum referatur: & complectatur sanorum sermonum absolutissimam Hypotyposin & exẽplar: quod cum fide & caritate nobis omnibus audiendum, & per sanctum Spiritum seruandum, Apostolus monet. 2. Timot. 1. Auctoritas Symboli Apostolici.

IIII.

Ordo partium accuratissimus est, miro compendio Fidei nostræ historiam, ὡς ἐν τύπῳ delineans: cuius hoc specimen esto. Ordo.

- Historia Fidei nostræ agit tum de
  - Deo,
    - Primùm quidem ipsius Dei respectu vel
      - Absolutè, vnum esse Iehouam, Spiritum æternum & omnipotentem, lucem inaccessam habitantem, edocens.
      - Relatiuè, ratione vel
        - Suiipsius, qui sic vnus Iehoua est essentia, vt interim Trinus sit, quod attinet Personas.
        - Creaturarum: quando Prouidentiæ, Misericordiæ & Iusticiæ eius lucidissima documenta percenset.
    - Deinde Oeconomiæ operum eius respectu. Heic occurrunt duo:
      - Decretũ Dei, quis à sæculis ante tempora sæcularia promisit spẽ vitæ Electis suis. Tit. 1. Huc pertinet Dei
        - Prouidentia,
        - Propositum,
        - Prædestinatio.

        } Rom. 8.
      - Patefactio & exequutio decretorũ Dei facta temporibus suis, partim
        - 1. In ipsis Mundi primordijs, Creatio.
        - 2. Militante Ecclesia,
          - Redẽtio.
          - Sanctificatio.
        - 3. In cõsummatione sæculorum, Regeneratio completa.
  - Homine, cuius tempora quatuor:
    - 1. Creationis, in quo ille Imagine Dei excelluit. Gen. 1.
    - 2. Corruptionis, in quo Terreni Patris imaginem gestauit. 1. Cor. 15.
    - 3. Incoatæ reparationis, in quo à Domini spiritu renouatur ad imaginem eius qui ipsum condidit. 2. Corinth. 3.
    - 4. Perfectæ instaurationis, in qua conformis fit imagini Primogeniti inter multos fratres: Rom. 8.

V.

Etsi autem è Methodica delineatione, doctrinæ perfectio colligi potest: vt tamen plenius ea cognoscatur, Symbolum Apostolicum in quatuor parteis diuidemus, & de singulis ordine disputabimus, Deo institutum nostrũ benè fortunante.

1. De Deo Patre, & Creatione nostri.
2. De Filio Dei, & de Redemptione nostri.
3. De sancto Spiritu, & de sanctificatione nostri.
4. De Ecclesiæ Dei Origine, Vnctione, Doctrina, Sacramentis, Militia & Meta, ad quam tendit.

VI.

Vsum commendant, primùm Fides. Corde enim credentes Dominum Iesum ex mortuis à Deo resuscitatum, & ore Dominum confitentes, seruamur. deinde Caritas, quæ confessionis huius symbolo admonita, fidei consortes agnoscit & amat, postremò Spes, quæ resurrectionis carnis & æternæ vitæ fiducia & expectatione, militiæ huius (in qua tantisper dum in carne viuimus, à Domino peregrinamur) tædia & multiplices ærumnas lenit & superat. Vsus.

VII.

Priusquam autem ad Articulorum διαθρωσιν & enucleationẽ accedamus, hæc Theologica Theoremata præmittimus.

1. Vnus quidem est Iehouah: essentiæ, operũ adextra, & cultus ratione. Theoremata sacra.
2. Idem tamen trinus est, Personarum proprietatum Characteristicarũ, officiorum respectu.
3. Deus est seculorũ Rex, immortalis, inuisibilis, solus sapiens, beatus.
4. Omnia sunt ei præsentia: nihil præteritum aut futurum.
5. In eum non cadunt ἀλλαγὴ, conuersionis obumbratio, pœnitudo.
6. Dei vi vniuersa fiunt, iuxta consilium voluntatis eius. Ephe. 1. 11.
7. Eius consilium stat, & omnis voluntas eius fit. Isa. 46.
8. Quos in Christo ab æterno ille elegit, eorum nomina, nunquã oblitteranda, libro vitæ inscripsit.
9. Cùm etiam electio nostra gratuita sit, vocationem, iustificationem, sanctificationem omnium nostrûm gratuitam esse, nemo intelligens non agnoscit.
10. Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa. Rectè igitur toti Trinitati Creatio, Redemptio, Sanctificatio tribuuntur, seruata interim distinctione officiorum & personarum.

Electionis nostræ fiducia facit.

1. Ad nos in aduersis consolandos. Si enim antequam mundus esset, dilexit & elegit nos Deus: suúmque decretum vocatione & iustificatione cõprobauit: tum etiam nunc curæ ei sumus & erimus.
2. Ad παρρησιασμὸν. Videmus enim non nostris operibus, sed gratiæ Dei nos debere Electionem, ipsáque adeo bona opera.

Disputatio secunda: in qua agitur de Deo Patre, & de Creatione nostri.

I.

VT de natiua sententia primi Articuli Symboli Apostolici, Credo in Deũ Patrẽ, omnipotentẽ, creatorẽ cœli & terræ, nobis certò cõstet, tria hęc

ordine norabimus, Propositionē, Verborum ἔμφασιν, & Locos communes.

II.

Propositio, de Deo creatore.

Propositio hæc tradi potest: Quemadmodum certò persuasi sumus vnctione Spiritus sancti, esse Deum patrem & esse remuneratorem quærentibus se:ita fide intelligimus perfecta fuisse secula verbo Dei, vt ex his quę nō apparebant, ea quæ videntur, fierent. Hebr. 11.

III.

Credo. Hoc verbum significat fiduciam certam & ἔλεγχον, veritate diuina nitentem. Vt enim certò statuimus Deum esse æternum, mundi conditorem, auctorem boni in tota rerum vniuersitate: sic non dubitamus, ἐλέγχειν, redarguere & conuincere contradicentes opiniones: Nullum est numen: Mundus ab æterno exititit: Omnia casu fiunt.

IIII.

In Deum. Fides non in creaturis, sed in creatore acquiescit. Ideo in Deū nos credere, profitemur. Etsi autem in scripturis sæpissime promiscuè sumuntur, idem significantes phrases de fide quas distinxit Augustinus: libet tamen sancti Patris verba adscribere, ad declarandam verbi (Credo) ἐναργίαν. Vide, inquit, quòd Dominus noster non iubet nos discutere diuina iudicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. Non dicit, Credo Deum: vel, Credo Deo: quamuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est, credere illi: aliud, credere illum: aliud, credere in illum. Credere illi, est credere vera esse quæ ille loquitur. Credere illum, credere quia ipse est Deus. Credere in illum, diligere illū. Credere vera esse quæ loquitur, multi & mali possunt. Credere ipsum esse Deū hoc & dæmones possunt. Credere verò in Deū, soli nouerunt qui diligunt ipsum: qui nō solùm nomine Christiani sunt, sed & factis & vita: quia sine dilectione fides inanis est. Serm. 181. de tēp. Verā autē & viuificā fidem non omniū esse, sed tantùm electorum, cū Apostolo adfirmamus. Sic enim electi in Deum credunt, vt eum tanquam summi boni fontem ament, ei confidant vni, beatos sese eius solius gratia & fauore iudicent, eius se esse lætentur, illum vnum inuocent, ei soli gratias agant, &c.

V.

Patrem. Nomen hoc dulcissimum & consolationis plenum est, quia de Dei (qui nos in dilecto Filio vnicè complectitur & diligit) φιλανθρωπία & bonitate certiores facit. Hoc autem loco hypostaticè sumtum ad primam in S. Trinitate personam, quæ hæc opponitur Filio & Spiritui sancto, restringitur: cum aliàs, si quando Deus Redemtor nobis opponitur, tribus Personis conueniat.

VI.

Omnipotentem. Deo omnipotentiam tribuimus, quia Iehouah Deus noster in cœlo est, & omnia quæ voluit fecit, facit, faciet: siue creationem spectes, siue creatarum rerū gubernationē & ordinationem ad certos fines.

VII.

Creatorem. Sic Deum rectè appellamus, cùm & mundum hunc è nihilo condiderit, & eum cum omnibus suis partibus tantisper conseruarit & cōseruaturus sit, donec ipsi visum erit, ad gloriam suam.

VIII.

Cœli & Terræ. Per σωνεκδοχὴν subintelligimus, omnes creaturas visibiles & inuisibiles. Omnes enim per eum factæ sunt, & consistunt, qui omnes

sustentat verbo potentiæ suæ. Hebr. 1. Col. 1. Fatemur tamen, Cœli nomine, cœlestes: Terræ autem, terrestres creaturas intelligi posse. Hæc breuiter de verbis.

IX.

Treis autem principes Loci communes hæc notandi. Primus, de Deo Patre: secundus, de Omnipotentia eius: tertius, de eiusdem operibus.

X.

De Deo Patre. Nobis vnus est Deus, qui est Pater ille, ex quo omnia. 1. Cor. 8.

XI.

De eiusdem omnipotentia. Quanquam Deus seipsum negare non potest: apud Deũ tamẽ possibile est omne verbũ: nam omnia quæ vult, facit.

XII.

De eiusdem operibus, tum internis, tum externis. Interna vocamus, Prædestinationem & Electionem & alia quædam: externa, Creationem & Cõseruationem. Illa Mundi primordia præcesserunt: hæc autem comitata & sequuta sunt. Loquimur breuitatis caussa de quibusdam, non de omnibus Dei operibus.

XIII.

Prædestinationem quod attinet, vt secundum electionẽ, propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante, distincti sunt homines: quia Deus cui vult miseretur, quem autem vult indurat. Rom. 9.

XIIII.

Itaque nos elegit in Christo, antequam iacerentur fundamẽta mundi, vt essemus sancti. Ephes. 1. Nostra igitur salus ab electione, quemadmodũ & fides, dependet. nõ enim quia fideles, ideo electi sumus: sed quia electi, ideo fideles. quod eò notandum, vt cùm sit contrariorum eadem doctrina, interitus & incredulitatis principia sic à nobis intelligantur, vt ne culpa aliqua Deo aspergatur. Citra enim culpã suã, Deus vniuersa propter semetipsum creauit, etiam impium ad diem malum.

XV.

De Creatione. Deus fecit Mundum & omnia quæ in eo sunt: hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat. Act. 17. Dij, qui non fecerunt cœlum & terrã, pereant de terra. Ierem. 10. Propriè igitur verus Deus, Conditor vocatur.

XVI.

Eidem verò Deo rerum vniuersarum conseruatio & gubernatio rectè tribuuntur. Vt enim nos homines in ipso sumus, viuimus, mouemur: sic omnia sustinet verbo illo suo potente. Ipsi gloria in æternum.

Perscriptum Basileæ ipso die Marci Euangelistæ. 1576.

DISPVTATIO TERTIA, DE SECVNDA & tertia Symboli Apostolici parte, hoc est, de Redemtione & Sanctificatione Electorum.

I.

In secunda Apostolici Symboli parte agitur de Redemtore generis humani D. nostro Iesu Christo, & de eius beneficijs, rebus olim gestis, & in cõsummatione Mũdi peragendis. De ea parte acturi, hæc quatuor ordine trademus: primò, Theologica Theoremata: secũdò, Propositionẽ cũ Typica eius declaratione: tertiò, Locos Communes: postremò, Vsum horũ omnium.

II.

Vt Redemtionis nostræ beneficium plenius cognoscatur, hæc Theoremata præmittimus.

1. Reconciliatio cum Deo & Redemtio, prę supponunt inimicitias cum Deo, & seruitutem sub lege peccati. Rom. 6. & 8.

2. Homo enim, ad Dei imaginem conditus, in prima sua integritate & honore non perstitit: sed per eius inobedientiam, peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors. Gen. 3. Rom. 5.

3. Ideo quod ex carne natũ est, caro est: cuius affectus inimicitia est aduersus legem Dei, cui subiici nequit. Hinc Seruum arbitrium, & omnium in homine virium deprauatio ἐν ἀπαξίᾳ quum omnes homines natura sint filii iræ, mortui in peccatis, mancipia iniusticiæ, destituti gloria Dei. Ioan. 3. Rõ. 8. Eph. 2. Rom. 3.

4. Hominis etiam caussa, totus Mũdus, quem Deus in hominis gratiam cum omnibus suis partibus optimum cõdiderat, vanitati, corruptionis seruituti & maledictioni obnoxius esse cœpit. Gen. 3. Rom. 8.

5. Deus omnes sub incredulitate cõclusit, vt omnium misereretur: eorũ, inquam, quos ab æterno ordinauit ad vitam. Rom. 11. Act. 14. Eph. 1.

6. Eo loco fideliũ res fuerunt (si ipsos in se consideres) quo Latronis cũ Christo Domino nostro crucifixi: cui prærer omne ipsius meritum iustificationis, fidei, resipiscentiæ, vitæ æternæ donum, gratis concessum est.

7. Sic enim dilexit Deus Mundum, vt Filium suum vnigenitũ daret, vt omnis qui in ipsum credit non pereat, sed habeat vitã æternã. Ergo vt Deus Pater per Filium condidit omnia: sic per eũdem suos in integrum restituit: vt idem sit conditor & redemtor noster Iesus Christus: cui vni, & quòd sumus, viuimus, mouemur: & quòd per adoptionem Dei filii ac æternæ vitæ hæredes sumus, in solidum acceptum ferre debemus.

8. Quemadmodum autem Christus, veritatem humanæ naturæ nascẽdo ex Virgine, vitæ animalis proprietatibus, patiendo, conspiciendũ & cõtrectandum sese exhibendo, probauit: sic deitatem primùm τῇ δυνάμει miraculorum effectrice: deinde, effusione Spiritus sancti postremò, resurrectione sua demonstrauit. Rom. 1.

9. Liberabit autem D. Iesus etiam τὴν κτίσιν, à seruitute corruptionis. Ideo Cœlos nouos, (nouos inquam ratione renouationis & alterationis) & terram nouam exspectamus, in quibus iusticia habitet. Rom. 8. Isa. 65. & 66. 2. Petr. 3.

III.

Propositio. Iesus Christus, Deus in carne patefactus, verè est Seruator Mũdi: venit enim vt quæreret & seruaret id quod perierat, definito Dei cõsilio & præscientia, traditus propter peccata nostra, & excitatus propter iustificationem nostri: dexteráque Dei exaltatus, sedit in dextera maiestatis in excelsis, die diuinitùs præstituta iudicaturus orbem cum iusticia: nec est in alio quoquã salus: nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Luc. 19. Act. 3. Rom. 4. Heb. 1. Act. 17.

IIII.

- *Ante tempora secularia. Fuit.n. auctor*
  1. *Electionis nostræ. Eph.1. Deus elegit nos in ipso, antequam iacta essent fundamenta mundi.*
  2. *Decreti, de nobis suo tempore vocandis. 2. Tim.1. Qui saluos fecit nos, & vocauit vocatione sancta, &c.*
  3. *Promissionis gratiæ. Tit.1. Promisit is, qui mentiri nescit Deus, ante tempora secularia.*

IIII. *Quia cum Apostolo Paulo statuere debemus, nihil quicquam scitu magis ad salutẽ necessariũ, quàm probè nosse Iesum Christũ, & hũc crucifixũ, pretium operæ fuerit obseruare, quidnã is Ecclesiæ suæ tum*

- *Præstiterit*
  - *Orbe terrarum cõdito, genere humano propagato, & militante Ecclesia tempore*
    - *Testamenti veteris:*
      1. *Promulgauit tum Legem, tum Euangelium.*
      2. *Loquutus est cum patribus.*
      3. *Spiritum suum dedit Prophetis.*
      4. *Ecclesiam collegit & seruauit.*
    - *Testamenti noui:*
      1. *In carne patefactus est.*
      2. *Euangelium protulit è sinu Patris.*
      3. *Sacramenta instituit.*
      4. *In carne passus est.*
      5. *Resurrexit, &c.*
      6. *Apostolos Spiritu S. instructos Euangelizare iussit.*
      7. *Adfuit & adest Ecclesiæ.*

      Iesus Christus est hodie, heri, idem & in secula: Hebr.13. Semper viuit, vt intercedat pro nobis.
- *Præstiturus sit*
  - *Vsque ad tempora restitutionis omnium:*
    - *Ecclesiæ caput & saluator erit, suósque fideles proteget.*
    - *Hostes regni sui, qui vel*
      - *Impia doctrina & idololatria* — *Ecclesiam oppugnabunt,*
      - *Armis & sæuitia* — *conteret sub pedibus.*
  - *Instãte restitutione, & iã ingruẽte nouissimo die:*
    - *Resuscitabit mortuos. Ioan.5.*
    - *Superstites immutabit. 1. Thess.4.*
    - *Iudicabit vniuersos. Rom.14.*
  - *Restitutione omnium nostrũ vigẽte,*
    - *Corpora nostra spiritualia efficiet. 1. Cor.15.*
    - *Vita & lætitia æterna nos instruet. Mat.25.*
    - *Cohæredes in cœlestibus agnoscet. Rom.8.*
    - *Sabbatum æternum vt agamus, præstabit. Hebr.5.*

V.

Locos communes, breuiter iuxta tempora τ γεννήσεως, τ ἀναδείξεως, τ ἐξόδ & ἀναλήψεως, τ ὀπφανείας & παρκσίας: hoc est, Natiuitatis : temporis quo docendo, benefaciendo & sanando omnes à Diabolo oppressos, se conspiciendum exhibuit : Exitus è Mundo & Ascensionis in cœlum, ac eius temporis quod inter Ascensionem & Reditum ad iudicium fuit & porrò erit: & diei Domini, qua iterum veniet conspicuus in gloria & maiestate, recitabimus ordinè: si prius de Persona Domini nostri Iesu Christi, Ecclesiæ Orthodoxæ fidem exposuerimus.

VI.

Chalcedonensis Cõfessio.

Ad verbum autem adscribere libet Confessionem fidei in Chalcedonensi Synodo editam, tũ vt Orthodoxæ Ecclesiæ fidẽ & sermonem retineamus, tum vt materiam inter disputandum de ea conferendi subministremus. Sanctos itaque Patres sequentes, vnum & eundem confitemur Filium, Dominũ nostrum Iesum Christum, & concorditer docemus omnes, perfectum in diuinitate, & eundem perfectum in humanitate : verum Deum, & verum Hominem eundem ex rationali anima corpore: coëssentialem Patri, secundum Deitatem: & coëssentialem nobis, secundum humanitatem, per omnia nobis similem, demto peccato: antè secula genitum ex Patre, secundum Deitatem: postremis verò diebus, propter nos & propter nostram salutẽ, ex Maria Virgine & Deipara, secundum humanitatem: vnum & eundem Iesum Christũ Filium Dei, Dominum & vnigenitum in duabus naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter manifestatum: haudquaquam differentia naturarum propter vnitatem sublata, sed magis vtriusque naturæ (in vnam personam & vnam hypostasin concurrentis) proprietate seruata : non vt in duas personas bipartiatur aut diuidatur, sed vt sit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum & Dominus noster Iesus Christus : sicut de illo olim Prophetæ vaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit, ac Patrum nostrorum Symbolum tradidit.

VII.

Hanc Fidem ipsi quoque totis pectoribus amplectentes, vt iure creationis & redemtionis nostræ Iesum Christum vnigenitum Dei filium, Dominum nostrum esse, fide intelligimus & lætamur : sic in eius solius, tanquam vnici nostri Mediatoris, nomine Deum Patrem adoramus in spiritu & veritate: intercedente pro nobis Spiritu sancto gemitibus inenarrabilibus, dum quomodo orandum nobis sit, docet. Adoramus autem Patrem, Filium & Spiritum sanctum: hoc est, vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate: neque confundentes Personas, neque essentiam separantes (vt Athanasius loquitur:) quia eum inuocandum scimus, in quem credimus, Rõ. 10. v. 14.

VIII.

De Conceptione & Natiuitate D. Iesu Christi. Dei filius secundum carnem, conceptus est de Spiritu S. hoc est, Spiritu S. superueniente, & virtute altissimi Deiparam virginem Mariam, ex qua natus est sanctus ille Dei Filius, obumbrante, sanctificato ad eam sobolem semine Abrahæ & Dauidis natus. Incidit autem natiuitas Filij Dei secundum Chronographos quosdam

quosdam inter quos est Funcius, in annum Mundi 3963. in Olympiadis 194. annum 3. Herodis Magni Iudææ Regis an. 34. Coss. C. Lentulo Getulico & M. Messala, circa 41. annum Imperij Augusti: quo Iani templum tertiò clausum, Dominum Pacis natum, sententia quorundam significare visum est.

IX.

De Nominibus. Iesus dictus est: is enim solus saluum facit populum suum à peccatis ipsius. Matth. 1. Christus verò, quia non ad mensuram, vnicè Patri dilectus filius, Spiritum accepit, sed eo delibutus præ consortibus de sua plenitudine nobis largitur, nostráque caussa Mediatoris, Regis, & Apostoli nostræ confessionis munere functus est, & tantisper fungetur, donec regnum mediationis tradet Patri. Nuncupatur etiam Immanuel, tum quia θεάνθρωπος ipse est, tum quia nos Patri, sublatis inimicitijs, reconciliatos, æterno fœdere coniunxit.

X.

De Apostole, id est Legatione Iesu Christi ad genus humanum. Dominus Iesus, cùm dies τῆς ἀναδείξεως eius præstò essent, ætatis suæ an. 30. Mundi 3992. vbi baptizatus esset, & à Satana tentatus, cœpit prædicare pœnitentiã & Euangelium regni cœlorũ: & vnctus Spiritu sancto & virtute, obambulauit benefaciendo & sanando omnes sub diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo. Hac legatione functus est annis $4\frac{1}{20}$ delectis interim Noui Testamenti Ministris, qui suo tempore, in vniuerso terrarum orbe euangelizarent, Domino cooperante & sermonem confirmante per subsequentia signa.

XI.

Τὰ παθήματα. Vt diuinæ iusticiæ non tantùm, præstando plenè ea quæ Legis sunt, nostra caussa, satisfaceret: sed etiam iustificationis vitæ auctor nobis esset, Agnus ille Dei (si meritorum efficaciam & virtutem spectes) occisus ab origine mundi, (Pontio Pilato, quem prius iustificârat, damnante in gratiam Iudæorum) semel traditus ob peccata nostra sanguinis sui pretio nos redemit: triduo pòst resuscitatus, propter iustificationem nostri. Sanctificati itaque sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam: vt non sit opus Missæ sacrificio incruento, quod appellitant, sed fideli & iugi mortis Christi consideratione, & Redemtoris celebratione. Persoluit autem Christus λύτρον, id est, Redemtionis nostræ pretium, anno ætatis suæ secundũ carnem 34. Mundi 3996. secundum Funcianam supputationem.

XII.

De Descensu ad inferos, & Resurrectione ex mortuis. Vt autem dolores inferni nostra caussa sustinuit, ac reuera carne mortuus & sepultus est, vt à gehennæ cruciatibus liberasse suos testaretur, & vt fidelium monumenta κοιμητήρια sanctificaret ad resurrectionis eorum spem firmandam: sic idem vt se ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς declararet, tertio die resurrexit: Angelorum, discipulorum, mulierum, hostium etiam ipsius testimonio comprobata eius resurrectione: quæ vt spiritualis resurrectionis (cuius Sacramentum Baptismus est, quo abluimur, vt hîc quoque à morte peccati resurgentes, in nouitate

vitæ ambulemus. Rom. 6.) argumentum est: ita etiam resurrectionis corporum nostrorum ad vitam æternam principium. 1. Cor. 15.

XIII.

De Ascensione in Cœlum, sessione ad dexteram Dei Patris, & reditu ad διηγοκειοίαν peragendam. Hic Iesus, qui assumtus est ab Apostolis in cœlum, quemadmodum viderunt eum euntem in cœlum, Dextera Dei exaltatus, in ipsum cœlũ ingressus est, vt appareret in conspectu Dei pro nobis: sic veniet in consummatione seculi, hominibus rebus huius seculi intentis, in gloria sua, omnésque sancti Angeli cum eo, & tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, iudicabítque orbem terrarum cum iusticia.

XIIII.

Vsus secundæ partis Symboli Apostolici.

Supereſt autem, vt de vsu, quem docendi causſa bipartitum, Theoricum inquam & Practicum, esse affirmamus, quædam coronidis vice addamus: eadémque opera ostendamus, quid inter fidem Electorum & Reproborum, ipsorúmque adeò Diabolorum, intersit.

XV.

Theoricum vsum in his positum dicimus: Si primùm, omnia hæc fidei nostræ de Christo exhibito κεφάλαια, Historica esse & certissima, non Allegorica, persuasissimum habeamus. Verè natus est ex Virgine Christus, non vt Marcion olim furenter contendit, speciem quandam naturæ humanæ, non autem veritatem, assumsit. Idem in carne passus est, resuscitatus est, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, redibit ad iudicium. Deinde, si temporis διαδοχὴν agnoscamus, & firmiter statuamus, in Incarnatione Filij Dei, eius Passione, Resurrectione, Exaltatione, Sessione ad dexteram Dei, Reditu, interualla temporũ interueniisse secundum Dei consilium. Etsi autem operum istorum Christi Domini nostri mutuus est consensus καὶ ἁρμονία: referríque possunt ad duo capita, alterum, de κενώσει καὶ ταπεινώσει, hoc est, de exinanitione & humiliatione Christi: alterum, de exaltatione & gloria eiusdem, vt docuit Paulus Phil. 2. tamen distinctio illa operum Christi accuratè, etiam temporum ratione habita, nobis obseruanda est: ne cõfusio eorum pariat ἐποχὴν circa salutis nostræ sacram anchoram, quæ exitio sit eam admittentibus.

XVI.

Practicum vsum, Thesis ad Hypothesin reducta, egregiè declarat. Thesis est, qua in concione publica frequenter pios Ecclesiastas vti audimus: Christus Iesus, fidelium causſa, carnem assumsit, passus, resuscitatus, exaltatus est: itaque optimè nobis sperandum, & in Christo acquiescendum. Hypothesis est, qua ijdem κατ' ἰδίαν nos, si quando seriò peccatorum sensu, & iustificationis desiderio affici profitemur, erigunt & consolantur, dicentes: Mi frater, confide, remissa esse tibi peccata tua propter Christum Iesum. Sicut certò persuasum habes, te quoque à Deo Patre conditum: ita firmiter credas, tua causſa Christum natum, mortuum, resuscitatum, exaltatum supra omnes cœlos, vt tibi quoque in domo Patris hospitium pararet.

XVII.

XVII I.

Quemadmodum igitur Electi, & Historiam de Redemtore Iesu Christo, & de Redemtionis suæ gradibus, veram esse & πιστῶς accipiendam, nouerunt certò: ita iidem non Thesin tantùm, rectè applicantem in genere toti Ecclesiæ Christi merita & gratiam, amplectuntur: sed etiam Hypothesin sibi ipsis accommodant, se à Christo redemtos lætantur: sua, non aliena fide, viuunt.

XVIII.

Reprobi econtrà & Cacodæmones, longè aliter credere dicuntur. Illorũ enim nonnulli, veritatem in iniusticia detinentes, fide destituuntur, & tantùm discunt vt inexcusabiles sint: alij, fidem θησαυρον nacti, eam suffocant, præstiterat nunquam cognouisse, quàm cognitam repudiauisse. Vtrique Hypotheseos ignari, vel contemtores. Cacodæmones autem, non ignari historiæ de Christo, nec inexpertes virtutis & dominij illius, credunt & contremiscunt: quia Christum iudicem & vendicem apostasias à Deo reformidãt, Saluatorem agnoscere non possunt: sibi ignem æternum iusto iudicio Dei paratum nouerunt. Marc. 1. vers. 24.

XIX.

Honorem mediatoris & intercessoris quicunque Sanctis deferunt, gloriam soli Christo debitam per nefarium sacrilegium ad eos transferunt, qui nec fidei professione, nec exemplo vitæ suæ, dum superstites essent, vnquam alio quàm conseruorum loco se haberi voluerunt: & quibus ex animo doluit, si quando numinum loco à superstitiosis hominibus se haberi cognouerunt: vt Pauli & Barnabæ exempla docent Act. 14.

DISPVTATIO QVARTA IN QVA DE *Deo Sanctificatore agitur.*

I.

Spiritus vocabulũ quot modis accipiatur.

SPIRITVS appellatio, si quando in diuina Scriptura Deo tribuitur, triuariam sumitur. Aliàs ἐσιωδῶς, essentialiter. vt Ioan. 4: Deus est Spiritus. In hoc enunciato, Spiritus nomen commune est Patri, Filio, Spiritui sancto. Aliàs ἐνεργητικῶς. Ioann. 7: Nondum erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Act. 8: Vt acciperent Spiritum sanctũ: nondum enim in quenquam illorum erat illapsus. Act. 19: Immò neque, sit ne Spiritus sanctus, audiuimus. In his dictis, vocabulo Spiritus designãtur χαρίσματα Spiritus sancti: quorum alia perpetua sunt, vt fides, caritas: alia ei tẽpori accommoda & necessaria, vt διαμαθργία, donum sanandi ægrotos, δυνάμεις ἐνεργημάτων, quam declarauit Paulus, cùm Elymam cæcitate puniret, incestum Corinthium Satanæ traderet. Aliàs Spiritus nomen, ὑποστατικῶς, id est, personaliter sumtum, propriè ἡ αὐτολεξεὶ in hac disputatione designat tertiã in diuinis Personam: de qua etiam accipiendum est in hac tertia Symboli Apostolici parte: Credo in Spiritum sanctum.

II.

Spiritum sanctum esse Deũ.

Spiritum sanctum esse Deum, in hunc modum demonstramus: Quicunque est Iehouah, conditor & conseruator vniuersorum, regenerans & illuminans saluandos, fidei & inuocationis cultu honorandus, is est Deus verus. Sed illa omnia de Spiritu sancto passim in Scripturis prædicantur. Est igitur Deus verus, vt rectè Basilius lib. 3. contra Eunomium argumentatus est. Addemus & aliam eiusdem Patris demonstrationem: Solus Deus est immensus. Spiritus sanctus immensus est, Psalm. 139. Deus igitur est, non creatura, nec qualitas aliqua.

III.

Eundem esse personam.

Eundem esse hypostasin distinctam à Patre & Filio, à propriis Personæ sic demonstramus: Cui ea tribuuntur quæ indiuidui propria sunt, eum Personam esse dubium non est. Spiritui S. ea tribuuntur, quæ viuæ & intelligentis Personæ propria sunt: verbi gratia, assumere visibilem speciem, loqui, docere, consolari, offendi peccatis, &c. Quare constat eum esse hypostasin, seu Personam.

IIII.

Spiritum S. distinguendum à Patre & Filio.

Distinctam esse Spiritus sancti Personam à duabus aliis, ex ἐπιφανείᾳ facta cùm baptizaretur Christus, ac Pater se patefaceret, voce: Filius, carne: Spiritus sanctus, specie columbæ: ex institutione Baptismi, in qua nequaquam per ταυτολογίαν ociosam Spiritus sanctus Patri & Filio iungitur: ex Symbolo Apostolico: & dicto Christi, Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, rectè colligimus. De Deo enim ita sentiendum est, vt is se patefecit. Sic autem se patefecit, vt moneret Spiritum sanctum esse personã distinctã, &c.

V.

Einitio.

Est autem Spiritus sanctus, tertia persona in diuinis, essentialis Dei virtus, Patri & Filio ὁμοούσιος, coëssentialis & coæterna, à Patre & Filio procedens, qua Deus non tantùm vniuersa fouet & sustentat, sed etiam in Christo nos regenerat, viuificat, illuminat.

VI.

Processio, contra Græcos.

A Patre & Filio Spiritum sanctum procedere, contra Græcos & Moscouitas id negantes, hac argumentatione probamus: Ab eis procedit Spiritus sanctus, quorum propriè est & dicitur Spiritus. Atqui Spiritus sanctus, Patris & Filij Spiritus est & dicitur. Ioan. 16. Rom. 8. Gal. 4. Procedit igitur ab vtroque. Maior probatur eo definitionis membro, quo dicitur esse virtus essentialis Dei. Qui aiunt à Filio non procedere Spiritum sanctum, negant essentialem Filii Dei virtutem: quod est blasphemum.

VII.

Effectus Spiritus sancti.

Spiritus sancti effectus, vniuersalis est, creatio & conseruatio Mundi totius & omnium eius partium. Gen. 1. Ea enim virtute creaturæ tantisper durant & propagantur, donec vult opifex earum, qua sunt ab initio productæ. Loquimur de omnibus quarum meminit Moses in descriptione τῆς κοσμοποιΐας. Virtute autem Spiritus sancti productas fuisse creaturas, docet Moses his verbis: Spiritus Iehouæ fouebat aquas. Specialis est, χαρισμάτων Dei dispensatio, qua Electos ad eam beatitudinis metam quasi manu deducit, ad quam

ab

ab æterno prædestinati sunt.

VIII.

Ordinem dispensationis ἐν χειραγωγίᾳ istius, Apostolus indicauit his verbis: Quos præsciuit, eosdē & præfiniuit, vt sint conformes imaginis Filij sui: vt ipse sit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos prædefinierat, eos- dem & vocauit: & quos vocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Rom. 8.

IX.

Spiritus sanctus nos efficaciter vocat & ad se trahit: fidem etiam (quam eleganter D. Basilius, Theologiæ principium, vocauit) in nobis operatur, qua Christi participes facti, iustificamur à peccatis, imputata nobis Iesu Chri sti iusticia, quæ est omnibus numeris absolutissima: idem nos regenerat & sanctificat, mortificans in nobis carnem cum concupiscentijs eius, & viuifi- cans Spiritum: vt renouati ad imaginem Dei in iusticia & sanctitate vera, ambulemus in nouitate vitæ.

X.

Et quia multa humano iudicio ἀπροσδόκητα & inextricabilia, multi graues & improuisi casus etiam sanctis, tum in vita priuata instituēda & peragen- da, tum in functionibus prudenter & feliciter obeundis, euenire solent: Spi- ritus sanctus εὐβουλίαν, animi fortitudinem, corporis robur, suggerit: mitigat ingruentes tempestates, & ne lapsi conteramur supponit manum: facit, vt è re nata, seu dictis, seu factis, feliciss imè & promtissimè, animo in aduersis præsente, discrimen imminens, ceu nebulam caliginosam, Deo infirmitatis nostræ memore & vires subministrante, dissiciamus & profligemus: non si- ne hostium admiratione summa. Huius præsentię & gratiæ Spiritus sancti, encomia passim in Psalmis occurrunt: quos hāc etiam ob caussam assiduè & attentè legendos iudicamus, vt alienis & nostris vsibus edocti, discamus pe- tere & sperare ὑπηκοΐαν & protectionem & gubernationem Spiritus sancti: qui est cum Pat e & Filio, Deus celebrandus in æternum, Amen. Perscri- ptum Basileæ, Idibus Iunij, Anno 1576.

Plutarchus de Pericle.

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ περικλῆς περὶ τὸν λόγον διελαμβάνεν, ὡς τ' ἀεὶ πρὸς τὸ βῆμα βαδίζων ηὔχετο τοῖς θεοῖς, μήδε ῥῆμα μηδὲν ἐκπεσεῖν ἄκοντος αὐτῷ, πρὸς τὴν παρεστηκυῖαν χρείαν ἀφάμοσον. Si homo Ethnicus de rebus ciuilibus tanta cautione sibi agendum & dicendum existimauit: multò magis de rebus Ecclesiasticis & Spiritualibus dicturi, meminisse debent illius Apostolici dicti: Qui loquitur, loquatur vt eloquia Dei. 1. Pet. 4. Doctri- næ igitur προφὴν ἐν καιρῷ famulitio Domini nostri dent, quotquot in Ecclesia docendi munere funguntur: & de rebus diuinis, non hominum, sed ipsius Dei verbis, cum hominibus loquantur de omni consilio Dei. Act. 20.

DISPVTATIO QVINTA, DE ECCLESIA

Credo sanctam catholicam Ecclesiam, Sanctorum communionem.

I.

Homonymia. ECCLESIAE vocabulum in diuinis Scripturis, aliàs Senatum politicum: Act.19, Si quid de rebus aliis requiritis, ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται. aliàs χριστῶς Ecclesiam visibilem, in qua hypocritæ bonis permisti degunt: 1.Cor.1, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi. aliàs denique εἰδικῶς, Electorum communionem, fidelium Matrem (inuisibilem vulgò vocant, quòd eius ciues soli Deo exactè noti sint. 2.Tim.2.) significat. Ephe.5: Christus caput est Ecclesiæ.

II.

Definitio De hac vera Ecclesia disputaturi, affirmamus eam esse πανήγυριν καὶ ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων: hoc est, conuentum & Ecclesiam primogenitorum in cœlis descriptorum: genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum qui in lucrum accessit, domum Dei, Ecclesiam Dei viuẽtis, columnam & stabilimentum veritatis, Regnum cœlorum, &c. Heb.12. 1.Pet.2. & 3.Matth.13.

III.

Est autem, Paulo apostolo finitore, mysticum Christi corpus, multis mẽbris, quorũ pro gratia ipsis data, diuersa dona sunt, constans, συναρμολογούμενον, vt sit templum sanctum Dei, per Spiritum sanctum. Rom.12. Ephe.1. & 5. Seu est, Sanctorum catholica communio, vni capiti Christo Iesu Spiritus sancti vinculo sic vnita, vt per Christum viuificatæ, vnus sit Deus, vna fides, vnum baptisma, eadem spes vocationis. Eph.4.

IIII.

Vna est Ecclesia. Vt autem Dominus noster Iesus Christus, qui est hodie, heri, & in seculum, solus sanguine suo redemit Ecclesiam, & à se redemtæ caput est & Princeps, vicario non indigens: sic vna est Ecclesia Saluandorum, extra quam non est salus: in qua conciues sunt, quotquot sunt præordinati ad æternam vitã.

V.

Efficiens principalis, & finis. Deum æternum sibi in genere humano colligere Ecclesiam, patefacto arcano voluntatis suæ, iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso, vsque ad dispensationem plenitudinis temporum, vt summatim instauraret omnia per Christum, nemo pius dubitat. Eph.1.

VI.

Organicæ caussæ. Idem tamen Cooperarios (κατ' ἔδοκιαν, μὴ κατ' ἀνάγκην) Verbi & Sacramentorum fideles Ministros, egregiis à se donis instructos dare dignatur, ad instaurationem Sanctorum, in opus instaurationis, in ædificationem corporis Christi. Ephe.4. Vt autem non disiungi ab his, sed coniungi Verbi & Sa-

& Sacramentorum dispensationem: sic licet συνέργους eos agnoscat, se tamen solum incrementa dantem agnosci Dominum, non suo loco seruos Clero Domini imperare vult.

VII.

Vt Legis & Euangelij doctrina, sic Baptismi & Cœnæ Dominicæ Sacramentis, Ecclesiam contentam nec noua dogmata comminisci, aut τὰς ἐθελοθρησκείας & humanas Traditiones introducere & accumulare decet: quando ijs contenta esse potest, quæ ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, hoc est, ordinem & decorum faciunt. 1. Cor. 14.

VIII.

Legis & Euangelij antithesis.

Lex Dei, τὴν παθολογίαν, id est, Naturæ humanæ, per peccati peccantis propagationem corruptæ & mortalis, Morbum: Euangelium autem, τὴν φαρμακευτικὴν, hoc est, Morbi illius remedia, quæ Christus Iesus animarum Medicus suggerit, indicat. Lex, τὸ ἀκριβοδίκαιον vrget: Euangelium, τὴν ὀφείλειαν polliceturLex, iram operatur: Euangelium, gratiam annunciat. Lex, παιδαγωγὸς est ad Christum: Euangelium, Christum crucifixum quasi ante oculos depictum, conspiciendum exhibet.

IX.

Sacramẽta Noui Testamẽti.

Per Baptismum, insititij mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi facti, regeneramur & renouamur, vt in nouitate vitæ ambulemus: Rom. 6. Eph. 5: Tit. 3. In Eucharistia, ne in huius vitæ cursu deficiamus, alimonia spirituali reficimur & recreamur, vt pro nobis traditi corporis, próque nobis effusi sanguinis Christi substantiæ, non imaginis, per fidem συμμέτοχοι καὶ συγκοίνωνοι, viuificemur à Christo, eíque vni viuamus.

X.

Notæ & vincula Ecclesiæ.

Ecclesia visibilis ex ijs notis agnoscitur, quibus ceu vinculis & neruis eius societas iungitur, videlicet syncera verbi & sacramentorum liturgia & vsu. Vbi hæc ex ingenua confessione & vsurpatione deprehenduntur, ibi nulla est secessionis caussa, etiamsi in doctrina (citra huius fundamenti & finis periculum) & moribus quorundam eius ciuium non desint quæ emendationem requirant.

XI.

Adiuncta Ecclesiæ.

Ecclesiæ veræ, adhuc militantis προσκείμενα sunt, præter τὴν λογικὴν λατρείαν Deo debitam, eloquia Dei vt eloquia Dei proferre, Sacramenta ex fide dispẽsare & percipere: eas tantùm, quæ Ecclesiæ vsibus seruire possunt, constitutiones humanas admittere & obseruare.

XII.

Vnde autem quisque nostrûm se ciuem esse Ecclesiæ Dei colligere possit, his verbis docet Apostolus: In quo speratis & vos, audito verbo veritatis, Euangelio salutis vestræ: in quo etiam, posteaquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, Eph. 1.

XIII.

Vt autem, non potestatis prætoriæ, sed gratuiti doni est, Scripturæ diuinitùs inspiratæ enarratio, fidei respõdens: sic alienum est ab Ecclesiæ & eius ministrorũ officio, ἑτεροδιδασκαλεῖν καὶ κενοφωνεῖν. Itẽ, τὰς ἐθελοθρησκίας, Traditiones & Ceremonias seu superstitiosas, seu impias præscribere, & earũ obseruationẽ exigere ab ijs, quos in libertatẽ vindicare dignatus est Christus. Gal. 5.

Credo remissionem peccatorum.

I.

QVI ex fide profitentur, se credere remissionem peccatorum: nõ tantùm ἐν θέσει statuunt, Deum nobis omnibus, quibus dedit vt in ipsum credamus, peccata remittere: sed etiam ἐν ὑποθέσει, sibi non minus remissa esse peccata, quàm Paralytico illi, cui Filius Dei dixit, Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua: certò persuasum habent. Matt. 9.

II.

Cum hac fidei τῇ πληροφορίᾳ, è diametro pugnat dubitatio: quæ si sit affecta, cùm mendacij Deum (iustificationem à peccatis nobis & gratis & certò promittentem & conferentem) insimulet, execrabilis, & à mente Christiana alienissima esse debet.

III.

Deus, quando peccata remittit, iusticiam Christi à se iustificatis imputat: vt cùm mala, quibus laboramus, auferat, tum bona, quibus opus habemus, conferat. Rom. 4.

IIII.

Vt maximè autem filios suos ob peccata castiget in hac vita: tamen culpæ & æternæ pœnæ remssionem non disiungit: nec aliam à peccatis purgationem agnoscit, præterquam eam quæ sanguinis Christi aspersione & merito constat. 1. Ioan. 2.

V.

Etsi autem in iustificatione vitæ, gratia exuberat supra peccatum: non tamen, vt gratia auctior fiat, in peccato permanendum, sed potius in vitæ nouitate ambulandum: quando disiungi non debent, quæ coniuncta esse Deus voluit, videlicet Iustificatio & Regeneratio. Rom. 5. & 6.

VI.

Deus iniquitates nostras delet, tanquam Nubem, aut Chirographum debitoris: ac beneficij sui quo nos afficit, fidos testes esse vult Ecclesiæ Ministros, qui ideo peccata remittere, soluere ligatos, salua re auditores dicuntur (ratione videlicet ministerij: non autem auctoritatis, quæ penes solum Deum est, respectu) quia remissionem peccatorum in nomine Christi nobis annunciant.

VII.

Beneficium autem remissionis peccatorum, vt ἔνωθεν, arrhabone sancti Spiritus, & Christi communione: sic ἔξωθεν, Baptismi ablutione, & Eucharistiæ participatione, confertur & obsignatur in credentibus.

DIS-

DISPVTATIO SEXTA.

Credo Carnis resurrectionem.

I.

CORPVS animale, ignominiosum, corruptibile: resurget spirituale, glorioſum, incorruptibile. 1. Cor. 15.

II.

Resurrectio erit vniuersalis. Nam Electi ad vitam, Reprobi ad æternam mortem resuscitabuntur. Ioan. 5.

III.

Superstites in secundo Christi aduentu immutabuntur subitò, vt olim Elias: & hæc ἀλλαγὴ, immutatio, mortis primæ instar illis erit. 1. Thess. 4.

IIII.

Qui hoc beneficio resurrectionis Christi, spiritualiter à morte peccati suscitati in nouitate vitæ ambulauerunt: quando veniet Christus conspicuus omnibus: resuscitabuntur ad vitam æternam. Rom. 6. Luc. 20.

V.

Actum animabus singulis cum suis corporibus coniunctis, hominum alij secunda morte afficientur, alij æternæ vitæ donum plenum accipient.

VI.

Iudicante vniuersos Filio Dei, cui Pater dedit omne iudicium. Act. 17. Rom. 14. Matth. 25.

Credo vitam æternam.

I.

QVAM certum est hanc animalem vitam (in qua cibo, potu, pharmacis, quiete, vestitu, & aliis opus est, famis, sitis, morborum, defatigationis, frigoris & æstus, pudorísque causſa) Dei donum esse, vnà cum omnib. adminiculis, ad eam tuendam necessaris: tam certum est, nobis, qui in Christum Iesum credimus, vitam spiritualem olim conferendam, vt Christi Principis nostri cohæredes, in æternum cum eo viuamus & glorificemur.

II.

Etsi autem ἰσάγγελοι, id est, Angelis similes, Deíque filij: mori amplius non poterimus, eóque nuptiis locus non erit, completo nimirum Electorum numero: non tamẽ Spiritus tantùm noster vita æterna potietur, sed etiam corpus: quando Filio Dei carnem quoque nostram assumere in hypostaseos communionem: & eidem carnem nostram creare, & redimere à potestate mortis, placuit.

III.

Ideo autẽ variis ærumnis animalis vitæ satietatẽ in nobis generat Deus,

vt licet eam donum Dei esse grati agnoscamus, ad spiritualem tamen æternámque vitam seriò suspiremus & contendamus: promtéque Spiritus noster in morte prima (quæ corporis est) ad Christum migret: totósque in resurrectione Iustorum ad Christum recipiẽdos, lætemur, & vtriusque τῆς ἀναλύσεως seu migrationis spe, in huius vitæ difficultatibus nos erigamus & solemur.

IIII.

Quanquam autem Beatis omnibus communis erit vitæ regníque cœlestis hæreditas & possessio: vt tamen gradus sunt donorum Dei in hac vita, sic in illa consuetudine Filij Dei, gloriæ modus idem planè in omnib. non erit. Maior hauddubiè erit Pauli Apostoli, qui plurimos erudiit ad iustitiam, gloria: quàm alterius alicuius fidelis, qui vel nullos, vel paucos docuit. Dan. 12. Matt. 11. & 13. Sed hac de re non iam contendemus cum quoquam ἐριστικῷ.

V.

Quemadmodum verò quotidie orandus nobis est Dominus Iesus, vt placidum vitæ huius finem, & ἀναλύσεως seu migrationis ad Seruatorem nostrũ, lętum initium largiatur: nec Ethnico more fidelibus mors extimescenda, licet sit destructio quædam Naturæ, & priuatio animalis vitæ: ita seriis votis optandum, vt propter electos, dies malos in quos incidimus, decurtare velit Dominus: & cum Ioanne precandum, Etiam veni Domine Iesu. Apoc. 22.

DE THESI AD HYPOTHESIN IN SYMbolo Apostolico reuocanda, Theses.

I.

HOMO fidelis Symbolum Apostolicum recitans, illius articulos in hunc modum suis vsibus rectè piéque accommodabit.

II.

Credo in Deum Patrem, omnipotentem, & cœli & terrę conditorem, qui me quoque creauit & conseruauit hactenus, & porrò prouidentia sua mihi semper aderit.

III.

Credo in Iesum Christum, eius vnigenitum filium, qui mihi datus & natus, mortuus est propter peccata mea: resuscitatus propter iustificationem meam: ascendit in cœlum: & redibit inde, vt me à peccatis iam antea iustificatum, in cœlestem patriam, cohæredem omnium ipsius bonorum, reducat.

IIII.

Credo in Spiritum sanctum, qui me docet omnem veritatem, consolatur in aduersis, regit vitam & consilia vocationi meæ seruientia, & est arrhabo salutis in corde meo, méque quomodo & quo affectu Deus Pater inuocandus sit instituit. Huic me totum formandum & regendum permitto & commendo.

V.

Credo etiam esse sanctam catholicam Ecclesiam, Sanctorum communionem: ac toto pectore Domino Iesu Christo, vnico eius capiti & saluatori gratias ago, quòd fœderis æterni (cuius summa est: Ero Deus vester, & seminis vestri)

vestri) participem, per Baptismum (iusticiæ fidei signaculum) regeneratum & renouatum: Corporis sui, pro me traditi; sanguinísque sui, pro me fusi, communicatione non typica aut imaginaria, sed vera, in sacra synaxi pascit ad æternam vitam: quòd per verbi sui fideles Ministros, tanquam mysteriorum suorum promos & condos, instituit in fidei, spei, charitatis doctrina: quòd me eorum fideli ministerio peccantem arguit, sensu peccati perculsum consolatur, in officio segnem exhortatur. Vt autem ex animo lætor me ciuem esse Ecclesiæ veræ, conciuem Sanctorum, domesticum Dei: sic certò à spiritu veritatis persuasus sum, nunquam me separandum à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu. Rom. 8.

VI.

Credo etiam mihi remissa peccata: seu, fide me iustificatum, propter Christum, sine operibus legis. Vt autem iustificationis beneficium ad totius vitæ meæ periodum refero: sic cum sanctificatione coniunctum esse sciens, cum Dauide quotidie precor: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Psal. 51.

VII.

Credo etiam, me resuscitandum à mortuis, voce Filij Dei: & in omnibus periculis & ærumnis meis, resurrectionis spe meipsum consolor & erigo.

VIII.

Credo etiam & lætor, me quoque hæredem fore æternæ vitæ, læticiæ & beatitatis: qua nequaquâ dignæ sunt afflictiones huius vitæ. Scio enim Deũ meum abstersurum lacrymas etiam à meis oculis, in me quoque omnia fumeum abstersurum lacrymas etiam à meis oculis, in me quoque omnia futurum, gloriam æternam communicaturum. Pro reuelata autem sacrosanctæ huius fidei luce, gratias ago Deo Patri, Filio & Spiritui sancto: ac huic vero Deo, Vni & Trino, Ecclesiam totam, ordinem Politicum, Ecclesiasticum, Oeconomicum: ac meipsum, eósque quos mihi dedit & commendauit Dominus, vnicè in Christi Iesu visceribus commendo. Ipsi gloria in sempiternum. Amen.

Scripsi Basileæ, Idib. Martij, 1577.

Iosephus:

ἀμήχανον δ' ἐν' ἐυπραγίαις φθόνον φυγεῖν.

RESPONDENTIVM NOMINA.

1. Hermannus Petri, Suollanus.
2. Huldrichus Zuinglius, Tigurinus.
3. Iacobus Helius, Basilienſis.
4. Iacobus Kamlius, Tigurinus.
5. Henricus Iustus, Basilienſis.
6. Philippus Strubinus, Rœtelanus.
7. Iacobus Guggerus, Basilienſis.
8. Ioan. Iacobus Baumannus, Tigurinus.
9. Gregorius Brandmyllerus, Basilienſis.
10. Leonhardus Hoſpinianus, Basilienſis.

ἀδήλα.

εἰ ποτε βελεύσαιμι φίλῳ κακὸν αὐτὸς ἔχοιμι:
εἰδέ τε κεῖνος ἐμοὶ τῦτο μέμηλε θεῷ.

DE VERBO DEI, ET EIVS Sigillis, Theſes.

I.

VSVS verbi Dei, & eius τῶν σφραγίδων, Piis non eſt ſeiungendus.

II.

Quia Deus, noſtræ ædificationis cauſſa coniunctim nos hiſce vti vult.

III.

Et quæ Spiritus Dei in nobis teſtatur & obſignat ἔσωθεν, ea ἔξωθεν ab eius cooperariis annunciari, & fide cognita in nobis obſignari, pretiũ operæ eſt.

IIII.

Verbo Chriſtus annunciatur, fide apprehendendus: ſignis idem in nobis obſignatur, ne βραδυπηδία nobis obſit.

V.

Si iungi nequeant, ſufficit verbum, abſque ſigillis. Sigilli verò nullus vſus eſt ſine verbo Dei.

VI.

Itaque fideles nullo vnquam tempore Dei verbo & Spiritus arrhabone carere potuerunt: ſignaculis autem, vel nondum inſtitutis, vel Deo volente intermiſsis, ſine diſpendio ſalutis caruerunt.

VII.

Probatur nobis illud Bernardi dictum: Non priuatio Sacramenti, ſed contemptus, damnat.

VIII.

Quia tamen quid à nobis ordinariè Deus fieri velit ſpectandum eſt, cum verbi diuini auſcultatione, vſum ſignaculorum iuſtitiæ fidei aſsiduè coniungamus, vt Dei donis per fidem fruamur, & auctorem eorum celebrantes, quot modis Deo ſimus deuincti, ſeriò cogitemus.

Præſide Ioh. Iacobo Grynæo, Profeſſore Theologiæ, reſpondit Iacobus Helius Baſilienſis 15. Maij Anno 1579.

Δευτέραν ἀνεγνόων.

THESIVM,

DE VITA ÆTERNA ET EIVS Hæredibus, decades x.

De quibus eruditi aliquot Iuuenes, S. Theologiæ Candidati, in Diſputationibus Theologicis Academiæ Baſilienſis, γυμνασίας χάριν Anno 1580. reſponderunt: Auctore & præſide,

Ioan. Iacobo Grynæo, S. Theologiæ in Schola Baſilienſi Profeſſore publico.

CLA-

CLARISSIMO THEOLOGO, D. ABRAHAMO MVSCVLO, BERNENSIS ECCLESIAE Ministro vigilantissimo, IOAN. IACOBVS Grynæus, S. D.

QVOD Periandrum Corinthium, cùm Isthmum persodere aggressus esset, dicere solitum, auctor est Laërtius: μελέτη πάντα δύναται, id mihi, tum in vitæ humanæ occupationibus, tum in Disputationibus Theologicis, quæ etiam in nobis Dei donum suscitare, seu vt Paulus noster significantissimè dixit, ἀναζωπυρεῖν debent, in mentem venire solet. Reipsa enim annis iam aliquot experior, piæ & ingeniosæ iuuentuti, si fidum & exercitatum διαιτητὴν, veluti κοινὸν ἔρωτα & χειραγωγὸν habeat, qui ingenia acuat alátque, & alacritatem καὶ φιλομάθειαν accendat & foueat, quique dialecticis & placidis Disputationibus de rebus vtilibus conferendi copiam faciat, non esse difficile mediocri studio egregiam cognitionem earum rerum ὧν δεῖται πόλις, vt ille ait, vt autem nos, ὧν δεῖται ἐκκλησία, sibi parare. Etsi autem mediocritatis meæ conscientia ductus, primariũ ἀρχιδιώκτην studij Theologici me neutiquam profiteri debeo, eius tamen fidei & diligentiæ, quam in promo & condo oraculorum suorum Deus requirit, me pios quosdam testes habere lator. Visum autẽ mihi est ad te, Vir Ornatissime, has Thesiũ de beata vita Decades, mittere, vt videres specimen Theologicarum Disputationum in quibus cum laude filius tuus Vuolffgangus & alij eruditi Iuuenes, hoc tempore, in nostra Academia versantur. Vale feliciter. Basileæ, Cal. Maij. 1580.

I. M. I.

Regnet amor veri, verum spectate docentes,
Candida pax Christi seruos decet, ira sophistas.

DE VITÆ BEATÆ HÆREDIBVS

Theses disputationis primæ.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS, BERNAS.

1. PROPOSITVM nobis est, πρῶτον μὲν primum quidem vitæ illius beatæ finitionem è diuinis Scripturis ἀποφάσθαι petitam, constituere: deinde verò, Quinam illius hæredes sint, demonstrare. Dominus Iesus det, vt omnia ad ipsius gloriã, & nostrã instaurationem faciant. Amẽ.

2. Oportet autem discentes ἐπιστήμονας ea, quæ etiam saniores Philosophi & Medici de Hominis vita, piè veréque dixerunt, in quorum numero hæc sunt, Vita hominis est vnio animæ & corporis, quæ finitio materialis est. Vita est ἐνέργεια intelligendi. Et illud Aristotelis, βίος ἐστὶ λογικὴ ζωή. Item illud Platonis in Philebo: βίος ὁ τοῦ νοεῖν τε καὶ φρονεῖν, δεύτατος. Galeni quinetiam nobile dictum, in lib. 9. de Methodo Medendi: Maxima dignitas ipsarum virium est, quando viuere ipsum nobis ex harum custodia constat: vtpote cùm vitam, aut ipsas esse vires, aut earum actiones, necesse sit. Et hoc eiusdem, Actio animæ vita est, quæ plurimũ à respiratione iuuatur. In lib. de Vsu respirationis.

3. Vitam illam esse χάρισμα, donum: non mercedem propriè dictam, auctor est Paulus Apostolus, cùm ait: Donũ Dei est vita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Rom. 6. versu. 23. Genus.

4. Est autem ἐνέργεια, qua homo viuificatur & illuminatur, à Christo capite, de quo dicitur, In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum. Ioã. 1. v. 4.

5. Colligimus itaque, illam constare luce agnitionis Dei redemtoris, & vita Dei, qua is in filiis suis viuit, eósque luce amabili gratiæ illustrat. Iuxta dictum: Hæc est vita æterna: vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ioan. 17. vers. 3.

Differentia. 6. Æternam eam esse, cùm non ψυχικὴ, sed πνευματικὴ sit, nemo intelligens non videt. Matt. 25. vers. 46. 1. Cor. 15. vers. 46.

Propriũ. 7. Est etiam ἀκατάλυτος (Hebr. 7. vers. 16.) quia in futura Regeneratione, Corpus, Anima & Spiritus hominis sic consociabũtur, vt nunquam in perpetuum disiungenda sint. Abolebitur enim Mors, vt non magis nobis dominari possit, quàm Christo capiti nostro. 1. Cor. 15. vers. 54. Rom. 6. vers. 9.

Adiuncta. 8. Adiuncta eius erunt, coràm videre ea, quæ nunc per speculũ & ęnigma cernimus, cognoscere prout edocti fuerimus, cum Christo viuere, regnare, glorificari, 1. Corinth. 13. vers. 12. 2. Tim. 2. ver. 11. 12.

Subiectũ. 9. Corpus nostrum humile conforme erit glorioso corpori Christi, eritque potens & spirituale. (Phil. 3. vers. 21. 1. Cor. 1. vers. 43. 44.) Animum autem corpus iam ἄφθαρτον non grauabit, nec terrenum domicilium curis molestis liberatam Mentem deprimet.

10. Vt autem optimo Dei consilio, huius materialis & ψυχικῆς vitę, primarius finis est πρᾶξις, hoc est obedientia fidei: ita formalis & spiritualis illius vitæ τὸ ἓν ἕνεκα erit θεωρία, seu diuinæ sapientiæ contemplatio & cognitio perfecta. Loquor κατά τι: nam & in æterna vita perfectissimæ in nobis erunt virtutum functiones: vt & in hac aliquam oportet esse contemplationem rerum diuinarum, quæ tamen angustis cancellis septa est.

DISPVTATIO SECVNDA DE *Caussis externis vitæ beatæ.*

Ioan. Iacobvs Bavmannvs, Tigvrinvs.

αἴτιον κύριον. 1. Deus Pater nos viuificat per Christum Iesum. Eph. 2. vers. 5. Non autem confusè & καθολικῶς vitam æternam dare dicitur, sed vt ἴδιος Pater, per Christum nobis reconcilatus.

2. Ego, inquit Christus Iesus, vitam æternam do eis: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea. Ioan. 10. vers. 28. Inde colligimus, ἀδιώατον esse, vt è vasis gratiæ fiant vasa iræ. Quicunque enim natus est ex Deo, peccatum non committit: quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est. 1. Ioan. 3. vers. 9.

3. Porrò cùm Spiritus sanctus sit virtus essentialis Patris & λόγυ & πνεῦμα τὸ ζωοποιὸν (Ioan. 6. vers. 63.) vt ipsam τῦ λόγυ carnem viuificam nobis effecit: ita nos quoque vitæ æternæ participes facit, dum nos regenerat & προηγύμενον. viuificat.

προηγύμενον. 4. Charitas est eius caussa προηγυμένη. Deus, qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ. Eph. 2. versu 4.

προκαταρκτικὸν. Nemesis aduersus ordinis 5. Idque fecit cùm essemus mortui in offensis & peccatis: in quibus olim versati sumus, vt est vita mundi huius, secundum principem cui potestas

ſtas eſt aëris,&c.Epheſ.2.verſ.1 & 2. diuini violationem.

6. Fidem autem,quæ πληροφορίᾳ definitur,organicam cauſſam eſſe,ex hiſce & ſimilibus dictis colligimus. Iuſtus autem ex fide veniet.Abac.2.verſ.4. Rom.1.verſ.17,Item, Viuo autem, non amplius ego, ſed viuit in me Chriſtus,& vitam quam nunc viuo in carne,viuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.Gal.2.verſ.20. Inſtrumẽtalis apprehendens.

7. Cùm enim à iuſticia dependeat vita,vt fide iuſtificamur:ita quoque eadem viuificamur. Ac fieri nullo modo poteſt, vt qui iuſticiæ expers manet,vitæ æternæ particeps fiat.

8. Atque eo ſanè nomine dicimur apprehendere vitã æternam.1. Tim.6.verſ.12.habere eam,Ioan.3.verſ.15.16. Eſt enim fides ὑπόστασις, fiducia, eorum quæ ſperantur,& ἔλεγχος eorum quæ non videntur.Hebr.11.verſ.11. Inter ea verò principem locum obtinet vita æterna.

9. Proximus & ſubordinatus finis eſt, Hæreditatis poſſeſſio, quæ nec perire poteſt,nec contaminari,nec marceſcere, & quæ nobis in cælis ſeruatur, qui virtute Dei cuſtodimur per fidem, ad ſalutem quæ parata eſt patefieri tempore vltimo.1.Pet.1.verſ.4 & 5. Fines.

10. Vltimus autem finis eſt,gloria gratiæ viuentis Dei.Iuxta illud Pauli:Vnáque excitauit, vnáque collocauit in cælis in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet ſeculis ſuccedentibus ſummas opes ſuæ gratiæ, ſua erga nos benignitate in Chriſto Ieſu.Epheſ.2.verſ.6.7.

DISPVTATIO TERTIA DE VITAE æternæ cauſſis internis.

HENRICVS IVSTVS, BASILIENSIS.

1. IS demum vitæ æternæ Materia nobis eſt, qui & totius ſalutis noſtræ Materia eſt. Atqui Ieſus Chriſtus ſolus, inſtaurationis & ſalutis noſtræ Materia eſt.Ratio,Nam in eo vno,omni benedictione ſpirituali & ſaluifica,nobis Deus pater benedixit.Eph.1.verſ.3.Ergo vitæ materia eſt Chriſtus viuens & regnans in nobis. Materia.

2. Ideo dicitur Chriſtus in fidelibus ſuis, ceu in membris,eſſe & manere,Ioan.15.verſ.4: Viuere, Gal.2. verſ.12. adoleſcere in virum perfectum, &c.Eph.4.v.13.

3. Vt enim mala quibus oppreſſi ſumus auferat, & bona quibus indigemus ſubminiſtret, à peccato & morte nos liberat, & iuſticiæ vitæque ſuæ participes facit.

4. Quemadmodum per vnum Adamum peccatum, offenſa & mors intrauerat in Mundum, & omnes homines peruaſerunt: ita beneficio Ieſu Chriſti,iuſticiæ, reconciliationis & vitæ donum,omnibus fidelibus datum eſt.Rom.5. Forma.

5. Forma eſt vis ſeu facultas Deo viuendi,quemadmodum ei viuit Chriſtus.Rom.6.verſ.10.Sumus enim σύμφυτοι Chriſti ſiue mortem, ſiue reſurrectionem & vitam ſpectes.Eodem cap.ver.5 & 8.Ac huius ἐμφυτεύσεως Sacramentum eſt Baptiſmus.

6. Cùm enim pro omnibus mortuus ſit Chriſtus, vt qui viuunt, poſthac non ſibi viuant,ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit (2.Corint.

5.verſ.15.)vitam noſtram omnẽ ipſi ſoli ſacram eſſe,& non niſi cœleſtia nos meditari,conuenit.Col.3.verſ.1.

7. Vt autem caput animantis,vitam,motum & ſenſum,omnibus totius corporis Membris confert:ita Chriſtus Ieſus,qui Eccleſiæ caput eſt, dat ſalutem corpori:communicat fidelibus vitam Dei,charitatis ὑπήγνωσιν ἢ αἴδησιν, motus ſpirituales Deóque placentes,efficítque vt habeant αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ad diſcretionem boni & mali.Eph.5.verſ.23.Phil.1.veri 9.Hebr.5.v.14.

Initium vitæ æternæ.

8. De initiis æternæ vitæ,quibus fruimur in hac vita, dicit Apoſtolus: Vita veſtra abſcondita eſt in Deo,Col.3.verſ.3.

Plenitudo eiuſdem.

9. At de eiuſdem complemento idem ſubiungit:Quando Chriſtus vita illa noſtra,patefactus fuerit,tum & vos cum eo patefietis glorioſi.verſ.4.

Finitio vitæ æternæ.

10. Concludimus beatam illam vitam,eſſe donum Dei,quod ἐνεργείᾳ vitæ eius conſtans,Pater per Ieſum Chriſtum in nobis viuentem & agentem, virtutéque ſui ſpiritus nos regignentem ad vitam æternam & ἀκατάλυτον, operatur: vt hac fide illud apprehendentes,in regeneratione futura eo plenè fruamur,ad inſtaurationem noſtram,& Dei gloriam.

DISPVTATIO QVARTA DE HÆREDIBUS æternæ vitæ.

HVLDRICHVS ZVINGLIVS, TIGVRINVS.

1. SOLI fideles æternæ vitæ hæredes ſunt.Iuxta dictũ,Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.Act.13.v.48.Itẽ,Nẽpe etiam Gentibus Deus dedit reſipiſcentiam in vitam.Act.11.ver.18.

2. Vt enim fides non eſt omnium,ſed Electorum Dei tantum:(2.Theſſ.4.ver.2.Tit.1.verſ.1.)ita non omnes homines ſunt benedicti Patris cœleſtis, quibus ſolis dicetur: Poſſidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis Mundi.Matt.25.verſ.34.

3. Ideo etiam docet Filius Dei: Anguſtam eſſe portam & ſtrictam viam quæ ducit ad vitam:& paucos eſſe qui inueniant eam.Matt.7.v.14.

4. Viatores iſti Deum verè diligunt,& reipſa experiuntur,omnia etiam aduerſa ſimul ipſis conferre ad bonum, cùm ex Dei propoſito vocati ſint. Rom.8.v.28.

5. Teſtatur autem Paulus eos à vaſis iræ ſegregatos,Præſcientia, Prædeſtinatione,Vocatione,Iuſtificatione,Glorificatione, de quibus ordinè agemus,ſi hæc pauca præmiſerimus.

6. Eoſdem hæc dici Præſcitos, Prædeſtinatos, Vocatos,Iuſtificatos, Glorificandos.Rom.8.verſ.29.30.

7. Enallagen temporis præteriti pro præſenti ſumti, reſpicere ἐνδελέχειαν, ſeu actum continuum Dei præſcientis,prædeſtinantis,vocantis,iuſtificantis nos,&c.

8. Hæc Dei χαρίσματα eſſe ἀμεταμέλητα, ac proinde ἀμεταχίνητα: cùm Dei propoſitum ſuo fine fruſtrari non poſſit.(Rom.11.29.Ephe.11.ver.11.)conſilium eius ſtare & omnem voluntatem eius fieri neceſſe ſit.Eſa.46.

9. Omnia autem eò facere, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem:& vt glorioſa eius gratia celebretur.Eph.1.v.4 & 6.

10. Cùm

10 Cùm ab Electione dependeat fides per charitatem agens, ἄτοπον καὶ ἀδύνατον esse figmentum illud de fidei & Operum bonorum, seu de iustificationis & sanctificationis diuortio. Vnde liquet quid de stolido Sophismate (quo imperiti quidam piam hanc doctrinam de salutis Principiis odiosam reddere conantur) sit statuendum. Si electus sum, cùm excidere finaliter à gratia non possim, non oberunt mihi mala opera, vt maximè carni indulgeã: non autem electus sum, non proderunt bona opera, etiamsi summo eorum studio ducar. Apagesis cum eiusmodi mendaciis, quæ sibi seruent Anabatæ, si veritatis lucem, aspernari ipsis libet, non nobis ea tribuant, quę expia nostra sententia non possunt euinci.

DISPVTATIO QVINTA DE *Prouidentia.*

IACOBVS HELIVS, BASILIENSIS.

1. Πρόγνωσις καὶ πρόνοια, cùm Deo tribuuntur, promiscuè sumuntur, vt vel ex hisce verbis liquet: τῦτον τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, &c. Act. 2. vers. 23.

2. Est enim prouidentia seu Præscietia definitum Dei de rebus omnibus consilium, seu, Est ratio, qua Deus vtitur, vt omnia ad destinatos fines dirigat. Hæc definitio tradita est à Paulo, (Eph. 1. vers. 11.) Deus omnia efficit ex consilio voluntatis suæ.

3. Dei præscientia cùm non sit ociosa, non est à decreto seiungenda: vt ex præmissis liquet.

4. Definitum Dei consilium ea omnia, quæ nostri respectu, præterita, præsentia & futura dicuntur, sapientissimè, iustissimè & optimè moderatur. Itaque nostrum fuerit, in eo, tutò & suauiter acquiescere, Deóque in omnibus dare gloriam.

5. Piè itaque quidam docent, rerum omnium effectricem & moderatricem Prouidentiam, cùm & caussas omnes ordinet, & singulares etiam effectus ad fines certos dirigat, excellentius quoddam, quàm Caussæ nomen, mereri.

6. Agnoscimus simplicem Dei prouidentiam, quæ tamen ratione diuersorum effectorum (quæ ab ipsa diriguntur) diuersimodè se habere videtur.

7. Eius autem forma est vis diuina semper agens: Materia circa quam, Ens omne: Finis, vt ad finem suum vnaquæque res dirigatur.

8. Multa effecta diuerso respectu contingentia & necessaria sunt. Nam si caussas secundas & proximas respicias, multa contingentia esse & dici possunt: quæ, si prouidentiam spectes, necessaria sunt & dicuntur.

9. Sed vt ad hypothesin reuertamur, Præscientiæ respectu illud dicitur Nouit Deus qui sint sui. 2. Tim. 2. vers. 19. Atque idem sibi volunt dicta Scripturæ de Libro vitæ, seu viuentium, cui sunt inscripta nomina eorum qui sunt conciues Sanctorum & domestici Dei.

10. Illud autem Christi dictum: Nunquam noui vos: non ad ignorantiã, sed ad reprobationem hypocritarum referri debet. Suo enim tepore, æquiuocè dicti filij regni eiicientur in tenebras exteriores (Mat. 8. v. 12.) & separabuntur mali è medio Iustorum. Matt. 13. v. 49.

DISPVTATIO SEXTA DE PRÆdestinatione.

Io. RODOLPH. KVCHEMEISTERVS, TIGVRINVS.

1. PRAESCIENTIAE ſubordinata eſt Prædeſtinatio. Rom. 8. verſ. 29.
2. Itaque Pręſciti non rectè opponuntur Prędeſtinatis, neque enim præſcientia ad ſolos reprobos, nec prædeſtinatio ad ſolos electos, reſtringi debet.
3. Inter Electionem & Prædeſtinationem hoc intereſt, quod illa quidem tum Dei propoſitum, tum oppoſitam reiectionem: hæc verò ipſius propoſiti executionem, hoc eſt ſubordinatarum cauſſarum progreſſum, & fines quorum alter ad homines, alter ad Deum referri debet, reſpicit.
4. Electi ſumus in Chriſto antequam iacta eſſent mundi fundamenta. Eph. 1. verſ. 4.
5. Prædeſtinati etiam ſumus in eodem, vt per adoptionem filij illius facti, hæredes eſſemus æternæ vitæ. Eodem cap. verſ. 5.
6. Vtrunque autem ſecundum Dei propoſitum (iſtud operibus meritiſque hominum opponitur. 2. Tim. 1. verſ. 9.) peragitur.
7. Præuiſum itaque hominis bonum propoſitum, hæc opinione Pelagiana intelligi non debet, cùm niſi propoſuerit Deus ſua in nos dona conferre, nulla planè in nobis bona poſſit præuidere.
8. Prædeſtinauit autem nos Deus (ſi nos ipſos ſpectemus) vt conformes eſſemus imaginis Filij ſui: vt is ſit primogenitus inter multos fratres. Rom. 8. verſ. 29.
9. Si autem vltimum finem ſpectemus, prædeſtinauit nos ad vitam æternam, ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ, qua nos gratis effecit ſibi gratos in illo dilecto. Eph. 1. verſ. 6.
10. Immutabilē eſſe noſtræ ad vitā prædeſtinationis benedictionē inde certò colligimus, quia ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ, (Eph. 1. verſ. 11.) & apud quem non eſt tranſmutatio aut conuerſionis obumbratio. Iac. 1. verſ. 17.

DISPVTATIO SEPTIMA,

de Vocatione.

GREGORIVS BRANDMYLLERVS BASILIENSIS.

Series operū Dei. Cauſſæ.

1. PRAEDESTINATIONI ad vitam æternam, ſubordinata eſt Vocatio ſpecialis & efficax. Rom. 8. verſ. 30.
2. Vocat autem nos ſancta vocatione, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, &c. 2. Tim. 1. verſ. 9.
3. Pater nos ad ſe ſpiritu trahens & Filio donans, ἕλκων vocat efficaciſſimè: ἔξωθεν verò, per diuini Verbi & Sacramentorum adminiſtros fideles, nos inuitat. Ioan. 6. Matt. 22.
4. Vult autem nos ita, vt dignum eſt vocatione qua vocati ſumus: ambulare, cum omni modeſtia & manſuetudine, cum animi lenitate, tolerantes

alij

alij alios per charitatem, Eph. 4. vers. 1. & 2.

5. Vnde liquet ne Vocationis quidem, qua segregamur à mundo, priuilegium peccandi licentiam subministrare, vt quidam fingunt.

6. Dictum Christi: Multi sunt vocati, pauci Electi, de externa & communi vocatione, quæ non in omnibus efficax, in testimonium plurimis cedit, nos accipere conuenit. Matt. 22. vers. 14.

7. De eadem vocatione dictum est: πὸ Ierusalem, Ierusalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub alas, & noluisti. Ne quis perperam è pumice aquam, à ψυχικῷ homine liberum arbitrium postulet, & illud eo dicto stabiliri contendat.

8. De Electorum autem vocatione (per Euangelij præconium) speciali & efficace, à qua κλητοὶ Iesu Christi nuncupantur, inquit Paulus: In Christo speraſtis & vos, audito sermone veritatis, id est, Euangelio salutis vestræ: in quo etiam postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, &c. Eph. 1. vers. 13.

9. Iam verò, cùm dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum Deum pœnitere non possit (Rom. 11. vers. 29.) & Spiritus sanctus sit sigillum & arrhabo hæreditatis nostræ, quis dubitet, vt gratuitam ita immutabilem esse nostræ electionis gratiam?

10. Petrus Apostolus cùm præcipit, vt vocationem & electionem firmam faciamus, de vtriusque declaratione per opera bona, hoc est, per effecta, velut quædam πίστεις, loquitur. In sese ipsa, cùm Dei proposito nitatur, electio firmissima est, in nobis autem per fidei effecta quotidie confirmanda est.

DISPVTATIO OCTAVA DE *Iustificatione.*

LEONHARDVS HOSPINIANVS, BASILIENSIS.

1. DEVS iustificat impium, imputans suam cuíque electo fidem pro iusticia. Rom. 4. vers. 5. Inde colligemus:

2. Primùm, iustificationem præsupponere antecedentem in homine impietatem & iniusticiam.

3. Secundò, Dei solius esse iustificare hominem, natura filium iræ, gratia filium Dei & electum.

4. Tertiò, fide nos iustificari, vt causa organica apprehendente Christum & applicante eius merita: non vt opere legis.

5. Quartò, Formam eius esse ipsum actum, remissionis peccatorum nostrorum & imputationis iusticiæ Christi, quo & culpa tollitur, & bonum, quo ad vitam nobis opus est, confertur.

6. Quintò, Materiam eius esse Christum, cum omni, quam nostra causa adimpleuit, iustitia, quæ omnibus suis numeris est absolutissima.

7. Sextò, neque propter fidem, neque propter nostra opera nos iustificari: etsi fide & ex fide, aut per fidem iustificari, dicimur.

8. Fines iustificationis sunt, vt sit ipse Deus iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Rom. 3. vers. 26. Iustificationis itaque nostræ finis proximus est, vt imputatione iusti facti, Deo accepti simus: superior, declaratio iusti-

ciæ Dei. Sic enim nos iustificat Dominus, vt se summè tum iustum, tum misericordem esse, reipsa probet.

9. Fidei & Operũ, seu Euangelij & Legis iusticia, non forma seu specie differt, sed patefactione, instrumentali búsque & finalibus caussis. Ro. 3. v. 21.

10. Sacramenta non sunt caussæ, sed σφραγίδες externæ iustificationis, quã ἔσωθεν Spiritus Christi in nobis obsignat. Rom. 4. ver. 11. Ephes. 1. ver. 13. & 14. Rectè igitur Diuus Augustinus, Non, ait, Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat. Vtinam hoc cogitent qui non modò Verbo ea præferunt, sed etiam in idola transformant, operis operati opinione nimium fascinati.

DISPVTATIO NONA DE SANCTIficatione.

Ioan. Iacobvs Gvggervs, Basiliensis.

1. A Iustificatione non magis seiungi potest Sanctificatio, quàm à vita sensus & motus, à Solis corpore lux & calor.

2. Petrus Apostolus sanctificationem ita definiuit: Est non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est temporis in carne viuere. 1. Pet. 4. vers. 2.

3. Constat Mortificatione carnis & viuificatione Spiritus, quarum illa ex mortis, hæc ex resurrectionis Christi vi, ad eius συμφύτους, redit. Rom. 6. 7. & 8.

4. Forma sanctificationis est ipsa vis & facultas, mortificans veterem hominem, nouum verò viuificans, hominémque totum Deo consecrans.

5. Materia, mortificare veterem hominem, viuificare nouum hominem, purgare sese ab omni inquinamento carnis & Spiritus (id est, corporis & animi) & perficere sanctificationem cum timore Domini. 2. Corinth. 7. vers. 1.

6. Sanctificando autem separat à mundo & sibi in peculium consecrat Christus fratres suos fideles. Iuxta dictum: Nam & qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno sunt omnes: quam ob caussam non erubescit fratres ipsos vocare. Hebr. 2. vers. 11.

7. Nunquam autem non sunt nobis agendæ gratiæ Deo, quòd elegerit nos ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati. 2. Thes. 2. vers. 13.

8. Est autem sanctificatio τεκμήριον iustificationis antegressæ: vt hæc vocationis: vocatio verò electionis.

9. Ideo rectè Iacobus colligit, vanos esse homines, qui de fide illa, quæ est absque operibus & proinde mortua, gloriantur. Epist. cp. 2. vers. 20. Frustra enim de iustificatione gloriantur ij, qui tota vita se expertes esse sanctificationis produnt.

10. Et Christus Dominus noster ἀναλυτικῶς, non ex caussa effectum, sed ex consequente Antecedens, ex charitate (quæ ad sanctificationem referri debet) fidem (qua iustificamur) colligens: Cuius, ait, rei gratia, dico tibi, remissa esse peccata eius multa: nam dilexit multum. cui autem paulúlum remittitur, paulúlum diligit. Luc. 7. vers. 47.

DIS-

DISPVTATIO DECIMA DE GLORIFICATIONE.

GODEFRIDVS SCHVVEIGAVSREVTERVS.

1. GLorificatio, aliàs δοξολογίαν Deo debitam significat: aliàs splendorem, perfectionem & integritatem omnium in homine partium & virium.

2. Hæc præclara coronis est vocationis, iustificationis & sanctificationis nostræ.

3. Sequitur autem afflictionem & opprobrium Christi. Iuxta dictum: Si modò simul cum Christo patimur, vt simul cum eo glorificemur. Ro. 8. v. 17.

4. Gloria hæc à Christo tanquam capite, in nos qui eius membra sumus, deriuabitur. Iuxta dictum: Scimus autem fore, vt cùm ipse patefactus fuerit, similes ei simus. 1. Ioan. 3. vers. 2.

5. Corpus erit πνευματικὸν, incorruptũ, potens, conforme glorioso corpori Christi. 1. Cor. 15. ver. 42. 43. 44. Phil. 3. vers. 21. sed tamen humanum, verum, σὰρξ καὶ ὀστέον, αἷμα δὲ οὐκ, carnem & ossa habens. Luc. 24. ver. 38. 39. 40.

6. Spiritus autem noster, liberatus ab omni vanitate, luce noticiæ Dei, lætitia inenarrabili & alijs Dei donis plenè perfruetur, iuxta dictum: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt, quæ parauit Deus ijs qui ipsum diligunt. Esa. 64. vers. 4. 1. Cor. 2. vers. 9.

7. Erimus autem tum ἰσάγγελοι: nec mori poterimus: nec opus erit Coniugali, Politico & Ciuili ordine. Luc. 20. vers. 36.

8. Deus enim erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. vers. 28.

9. Ac tum demum deuicto à nobis per fidem mundo, experiemur id, de quo Ioannes monuit his verbis: ὁ νικῶν κληρονομήσει πάντα, καὶ ἔσομαι αὐτῷ θεὸς, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι υἱός, &c. de quibus Apoc. 21. & 22.

10. Etiam veni Domine Iesu, & eos quos in hac Mundi senecta esse voluisti veritatis tuæ testes, è terrena Academia in cælestem traducito, vt æternæ vitæ & lætitiæ suauitate, cum sanctis Prophetis & Apostolis ad gloriam æterni Patris & ipsorum salutem, perfruantur. Amen.

Paulinus.

Viue diu, sed viue Deo: nam viuere Mundo
Mortis opus: vera est viuere vita Deo.

ΠΡΟΣ
ΤΟΝ ΚΑΙ ΕΥΔΟΞΟΝ ΚΑΙ ΟΡΘΟΔΟΞΟΝ
Θεόλογον
ΡΟΔΟΛΦΟΝ ΓΑΛΘΗΡΟΝ
αὖ δ' ἄγγν.

Σκεπτόμην Θ' Γάλθηρε πάτερ κατὰ γαῖαν ἄληθες,
Μύρια λυγρὰ πόνες τ' ἀνδρόφονα παντ' ἀποναίειν
Ἀῤῥήκτως φρονέοντες ἔπι θανάτοντε φόβοντε,
Ἠμᾶς ἐπιζητεῖν καὶ παῦρα δοκεῦντα βέβαια.

Αὐτίκα μήδ' ἔργον, μήδ' ἥδεα χρήματα, μήτε
Θερπωλὰς βελτίσας ἔγνον σώζειν θανατῶντας:
Ἀλλὰ θεῦ μυσήρια, ἠὲ βίον ὄλβιον ἐν τοῖς
Κλήμα μόνον θνητοῖς ἀπάσιν ἀναφαίρετον εἶη).
Τοὔνεκα παῦρα παρόντι βίῳ τὰ ὔπλεῖστα δέδωκα
Οὐρανίᾳ σωτηρίᾳ, λιὼ μόνον ἦρχον ἐρύσσαν.
Καὶ ἴδε σῶφρον ἀνὴρ πάντων θεὲ θεία γινώσκων,
Ζῶσ', ὃν ἠ νόσ μησε θεά, γλαυκῶπις Ἀθηνὴ
Ἰάκωβος Γρυναῖος, ὃ φίλτερον ὐδὲν ἐν ἀγαθοῖ
Εὐσεβέος διδαχῆς, καίπ πᾶσα νήεις ὕλη
Ἀντιβοᾷ, ὐχ' λιῶ δικαίας ἀνήκος ἐυχῆς
Ἀλλὰ θεὲ βίῳ εὐδαίμονος ἔγραφε πλήεον
Θησαυρὸν δηνῦτα βίοντε μέζοντ' ἀπολαβεῖν.
Εἰδ' ἄγε ὦ Γάλθηρε πάτερ (σὲ γὸ ὡς πατέρ' ἠμφὶ
Τῇ αὐδῇ ἠ τοῖς βελήμασιν οἶδα θεοσίχειν
Σιωχαίεου, ἠ ἠμετέεαν τλιὼ πεῖραν ἐπαίνε.

Id est.

AD
PRAECLARVM ET ORTHODOXVM
Theologum
RHODOLPHVM GVALTHERVM
Bonum Factum.

PErpendens, Gualthere pater, mala plurima ſupra
Tellurem volui, mortalia cuncta labores
Perturbare graues, curas, mortémque metúmque
Quærere nos ſemper, conſtantia pauca videri.
Mox ego nec lucrum, nec opes ſuaues, neque ſummas
Delitias ſenſi morituros poſſe tueri:
Sed myſteria ſancta Dei, vitámque beatam
Eſſe bonum, quo non aliud conſtantius vllum.
Idcirco nihilì præſentis commoda vitæ
Feci, ſed ſolam cæleſtem quærere cœpi.
Et vide vir prudens circa Diuina peritus,
Cinxit & ornauit Dea quem Glaucocla Minerua,
IACOBVS *Grynæus, qui nihil amplius vrget*
Doctrina vera, quamuis obganniat ingens
Sylua, meis votis optatas præbuit aures.
Nam de fœlici vita conſcripſit abundum
Theſaurum, dantem vitámque modúmque fruendi.
Ergo age, mi Gualthere pater (nam te quaſi patrem
Noui conſiliis, ſtudiiſque attendere noſtris)
Si, quod ſpero, placent, conatibus annue noſtris.

Dignitatis tuæ obſeruantiſs. IOAN. IACOBVS
Bauman. Tigurin.

En

En hîc, quæ tua vita sit beata,
Et qui, lector amice, dignus hæres.
Hæc cum syderea, & quieta, durans,
Non tristis, pia, sint pares amici,
Summum non metuas diem, sed optes.

V. CL.

D. ABRAHAMO MVSCVLO

Patri φιλοτέκνῳ, filius S.

Dum, reuerende pater, te dignum scribere carmen
Tento, tui en alij mittere sacra solent.
Queis meritò semper cedit mea rustica Musa,
Si profana sacris cedere iure decet.
Etsi grata tibi nouitas, si grata vetustas,
Esse potest quicquam gratius his thesibus?
Autorem quarum laudarem, materiámque,
Insignis ni iam conspicuúsque foret:
Et quia non opus est, conantibus ista relinquo.
Téque patrem charum supplice voce precor,
Vt faueas cœptis iam iam fœliciter istis,
Hîc quorum Præses fautor & auctor erit:
Si prodest fœlix vitæ educatio, & huius
Crede suo tandem tempore fructus erit.
Viue diu, gnatóque parens sis quæso benignus,
Parens ipse patri filius esse volo.

VVOLFGANGVS *Musculus, iunior.*

Menander,

ἄριστόν ὄζει πάντ' ὄπισθεν κρυβά.

DE IVSTIFICATIONE CAPITA AD disputandum proposita ab Illustri & generoso Domino, D. HIERONYMO, *seniore,* SCHLICK, *Bohemo, Comite de Passaun, Domino in VVeiskirchen, &c. de quibus, præside.*

Doctiss. V. Domino D. IOANNE IACOBO GRYNAEO, *ordinis Theologici in Academia* BASILIENSI *Decano, ad diem 11. Martij H. IIX. in Auditorio Theologico respondit.*

MATHIAS GRYLLVS A GRYLLOVVA RACkonicenus Bohemus,

I. *Quis iustificatur?*

Homo impius: Rom. 4.5. sed tamen electus, non reprobus. Rom. 8.30.

II. *A quo?*

A Deo solo. Isa. 43.25. Marc. 2.7. Roman. 3.30. & 8.33.

III. *Quomodo?*

Cum ei remittuntur peccata, & imputatur Christi iustitia. Rom. 4, & 5.

IIII. *Propter quem?*

Propter Iesum Christum ἱλαστήριον. Rom. 3.25.

V. *Ergóne δωρεάν?*

Sanè respectu sui ipsius gratis iustificatur. Rom. 3.24.

VI. *Sed cur fide dicitur iustificari?*

Quia hæc in promissione gratiæ acquiescit, Christum apprehendit & applicat, cùm sit ὑπόστασις rerum sperandarum, & ἔλεγχος eorum quæ non videntur, Hebr. 11.1.

VII. *Cur autem Paulus addit: χωρὶς ἔργων νόμου?*

Non vt ea adesse, sed vt causas iustificationis esse neget. Porrò, si hæc opera diuinitùs mandata non iustificant, multò certè minus αἱ ἐθελοθρησκείαι & traditiones humanæ iustificant.

VIII. *Quis est finis proximus Iustificationis?*

Ne sit vlla condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8.1.

IX. *Quis verò vltimus?*

Declaratio iustitiæ Dei. Rom. 3.26.

X. *Potéstne iustificationis beneficium ob peccata perire?*

Nequaquam: Nam Dei propositum non potest frustrari suo fine: & quisquis ex Deo natus est, peccatum non committit: 1. Iohan. 3.9. Denique dona & vocatio Dei ἀμεταμέλητα sunt. Rom. 11.29.

Rom. 8.30.

Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit: quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit.

Rom. 5.

Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam hanc, per quam stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei.

THESES

DE PECCATO ORIGINIS, DE QVIbus Præside D. IOAN. IACOBO GRYNAEO, *quatuor ordinarijs disputationibus οὐν Θεῷ respondent*

I. IOAN. IACOB. BVMANNVS TIGVRINVS. *Cal. Iunij.*

An sit Peccatum Originis, contra Catabaptistas & alios.

Cùm nemo hominum ex immundo mundum dare possit. Iob. 14.4. ac omnes homines concipiantur in iniquitate: Psal. 51.5. sint natura filij iræ, seu rei mortis: Eph. 2.3. mórsque regnet in omnes, etiam paruulos: Rom. 5.14. & ipsi etiam renati in hac vita, non faciant bonum, quod volunt, sed malum, quod nolunt, agant: Rom. 7.19. Quis tandem sanus & pius dubitet & esse & habitare in homine peccatum originis? Ro. 7.17.

II. IOANNES GALBINVS BERNAS. 5. *Iuny.*

Quid sit, contra Manichæos, & Pontificios.

Non est autem ipsa hominis natura à Deo condita. Psal. 100.3. Act. 17.26. Sed malum habitans in homine: Rom. 7.17.18. quod tum reatu, tũ corruptione constat: Ab Adamo verò in totam posteritatem propagatum: Rom. 5.12.

fons

fons est non solùm vitiosorum motuum : & ad hos accedentis assensionis: sed etiam operum carnis: quo nomine eius autoramẽtum mors est. Rõ.6.23.

III. LEONHARDVS HOSPINIANVS BASIL. 22. *Iunij.*

Quas habeat causas, contra Pontificios.

Hoc ingens malum, cuius subiectum est caro: Rom. 7.18. à πανουργίᾳ Satanæ 2.Cor.11.3. per hominem sponte peccantem. Gen.3. in humanam naturam ἔξωθεν irrepsit, ac φύσει quidem, qualis ea nunc est, propagatur, (vt vel paruulorum obitus euincit: Rom.5.14.) μιμήσει autem confirmatur in iis, qui exsortes sunt Regenerationis.

IIII. HERMANNVS PETREVS SVOLLANVS. 29. *Iunij.*

Quòd sit contra Libertinos, & Carpocratianos.

Renati in Christo ἀναμαρτησίαν reatus & corruptionis suæ habent, iustitiæ Christi imputationem, & sanctificationem: & à peccato illo liberati, iustitiæ, cui membra serua ad sanctimoniam sistere oportet, mancipati sunt: Rom.6. 18.19. Vnde colligimus nequaquam ex Deo natis manendum in peccatis.

οὐκ ἐν τὸ μέγα, τὸ δεῖ:
ἀλλ' ἐν τὸ δεῖ τὸ μέγα.

Anno 1581.

AXIOMATA THEOLOGICA,

A IOANNE IACOBO GRYNAEO, *Sacræ Theologiæ in Basiliensi Academia Doctore & Professore publico ad disputandum proposita:*

DE LITERA ET SPIRITV.

I.

CVM de cœlesti doctrina, de sacris Ceremoniis, de diuino cultu, & de religiosa professione Paulus Apostolus differens, Spiritum opponat Literæ, σὺν θεῷ propositum nobis est, quid hæc duo sibi velint, paucis ostendere.

II.

Lex litera est quæ occîdit: Euangelium verò spiritus est qui nos viuificat: 2. Corin.3.6.

III.

Nuda Ceremoniarũ signa, quæ sunt αἰσθητὰ, Litera sunt: Vt Circũcisio quæ in propatulo in carne fit, nihilque valet: Rom.2.28. Gal.5.6. Sed illorum veritas, τὰ νοητὰ καὶ πνευματικὰ complectens, spiritus est: vt circumcisio cordis, quæ est ἀχειροποίητος, & cuius laus ex eius autore Deo est: Deuteron.30.6. Coloss.2.11. Rom.2.29.

DE MINISTERIO SPIRITVS.

I.

APOSTOLVS noster, cùm taretur, noui Testamenti miniſtros, Spiritus, non Literæ ministros esse, sapienter monuit, quidnam illis tum præstandum, tum cauendum sit. 2. Cor. 3.6.

II.

Vt enim suæ fidei commisso Domini Clero auctores sint, vt à carne auersi, & πνεύματι ἐναρξάμενοι eodẽ perficiantur: Gal.3.3. Spiritum in omnibus ministerij sui partibus potissimum commendant.

III.

Legem itáque vt pædagogum ad Christum: Gal.3.24. Euãgelium autẽ vt Dei potentiam ad salutem cuiuis credenti: Ro.1.16. annunciant: Sacramenta, vt σφραγῖδας iustitiæ fidei, administrant: Rom.4.11. Cultúmque Dei spiritualem: Rom.12.1. & Christianismum, cuius laus apud Deum est, requirunt: Rom.2.29.

IIII.

Etsi autem in ordinaria Cèremoniarum istarum dispensatione, ea est χέσις & vnio signi & veritatis, vt fideles verè illo vtantur, hac autem fruantur: quia tamen illa pacto nititur: hypocritis & palàm ἀθέσις signum, nõ veritatis margaritum, contingere potuit: quo nomine ἀπρίτυπτοι τῇ καρδίᾳ dicũtur Act. 7.51. Fidelibu autem, etsi signis carere interdum cogerentur, veritas tamen nunquam defuit: Ioan.8.56.1.Cor.10.3.4.Heb.13.8.Apoc.13.8.

V.

Corporalis exercitatio, Litera est: Pietas, λογικὴ λατρία, ἢ ἡ τῦ πνεύματος καινότης, Spiritus est. 1. Tim.4.8.Ro.7.6. & 12.1.

VI.

Secundum Literam Iudæi aut Christiani sunt, quicunque externa professione & in propatulo tales sũt: & quorum laus est ex hominibus. At secundũ Spiritum veri Israelitæ & Christiani sunt, qui in occulto tales sunt, & quorum laus est ex Deo: Rom.2.29.

De hisce axiomatis respondit
Disputatione prima 31.
Augusti
MICHAEL SONLEVTNERVS
Noricus.

IIII.

Econtrà Literæ ministri, quia suos carne perfici volunt, ad egena & impotentia στοιχεῖα obseruanda, eos reuocant: Gal.4.9. Inde opiniones de iustificatione operum Moralium & Ceremonialium: & de opere operato: de necessitate Sacramentorum (quorum contemtus, non autem priuatio damnat) ad salutem: de Missæ sacrificio ἱλαστικῷ, &c.

V.

Legem enim absque Christo prædicant: Enangelium in Legem trãsformant: signis id ἀτόλως tribuunt quod proprium est veritatis: & spiritus osores Literam occidentem in rebus omnibus sectantur.

VI.

Coronidis loco addimus, Sacerdotij honorem ad solum Iesum Christũ tralatum esse: quo nomine pij Ecclesiæ pastores, Ministri verbi Dei, non Sacerdotes dici: Pontificiorum autem Sacrificuli, Baalitarum posthumi haberi debent.

De his verò axiomatis respondit
in secunda Disputatione
GREGORIVS BRANDMVLLERVS
Basiliensis. 15 Septembr. 1581.

DE
PROPHETARVM ET APOSTOLORVM
Suauissima τῇ παναρμονίᾳ *in tota Theologia: déque Ecclesiarum nostrarum ex* DEI *verbo reformatarum, cum eisdem vero solidóque consensu,*

THESES:

A IOANNE IACOBO GRYNAEO, *diuinarum literarum in Academia Basiliensi Professore publico propositæ: vt de ijs, in tribus ordinarijs disputationibus, religiosa è verbo* DEI *scripto* συζήτησις *instituretur:*

Respondentibus ad interrogata pijs & eruditis iuuenibus. MICHAELE SONLEVTNERO *Norico &* HERMANNO PETRI *Suollano,*

Mense Octobri & Nouembri & Decembri M. D. XXCI.

PRO-

I.

PROPOSITVM nobis est, σωὶ θεῷ, demonstrare, dulcissimam & euidentissimam esse Prophetarum & Apostolorum παναρμονίαν: ac nostras Ecclesias illis Dei seruis piè συμφωνεῖν. Et quia rectè monet τρόπος παιδείας Canon. μὴ διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς (metaphora à Musico concentu ducta:) παναρμονίαν vocamus consensum vtriusque Testamenti ministrorum, de tota Theologia, quæ in Dei & nostri cognitione posita, sic ab illis, scriptis θεοπνεύστοις, est tradita, vt nihil habeat ἀνάρμοστον, nihil ἀνακόλουθον, nihil imperfectum: cùm sit eius ἐναρμόνιος σύνταξις, quæ etiam ἁρμοσμένην τὴν ψυχὴν & ἁρμονίαν τῶν ἠθῶν in nobis efficit.

II.

Iam verò cùm non sit fas μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, aream sequentis κατασκευαστικῆς disputationis basin constituemus, adductis tribus ὁμοψήφοις S. Spiritus prooraculis à duobus Apostolis pronunciatis. Actor. 3. 24. Sed & omnes Prophetæ à Samuele & iis qui deinceps secuti sunt, quotquot locuti sunt, etiam prænũciârũt dies istos. Actor. 10. 43. Huic Iesu Christo etiã omnes Prophetę testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemuis qui crediderit in eum. Actor. 26. 22. Auxilium à Deo nactus perstiti in hunc vsque diem, testificans ista tum magnis tum paruis, nec quicquam dicens extra ea quæ Prophetæ & Moses futura prædixerunt, &c.

III.

Argumentũ hoc reuera ὀπτιμονικὸν, hac Demonstratione cõfirmari potest.

Si Prophetæ & Apostoli eadem tradiderunt (ὧν τὴν πίστιν, καὶ τὴν πρᾶξιν, καὶ τὴν ἐλπίδα, *quorum συσήμασι Theologia vera constat*) *& est nostrarum ecclesiarum doctrinæ cum illorum doctrina* ταυτότης: *Tum sequitur* παναρμονίαν *esse inter illos & nos.*

Verum est antecedens:

Verum igitur est & consequens.

IIII.

Assumptum, in quo est τὸ ζητούμενον de credendis in Symbolo Apostolico comprehensis, sic potest δεικτικῶς confirmari, Syllogismo complectente vtriusque Testamenti summam.

Testantur Patres & Prophetæ:

Per quem Deus pater omnia condidit, per eundem in carne patefaciendum restituturum in integrum Ecclesiam catholicam.

Attestantur Apostoli & Euangelistæ:

Per Filium Dei omnia condita, & eum in carne patefactum, opus redemptionis nostræ peregisse, & nunc in cœlis pro nobis intercedere: rediturum autem vt resuscitet homines, & eosdem iudicet.

Ecclesiæ nostræ ex verbo Dei reformatæ, vno ore confitentur:

Credere se Iesum esse Christum, & in eum credentes: per nomen eius vitam æternam habituros: Ioan. 20. 31.

V.

Τὰ πρακτὰ, vnico dilectionis præcepto in Decalogo comprehensa, ὁμοθυμαδὸν isti omnes tradunt.

Moses & Prophetæ clamant:

Diliges Iehouam Deum tuum toto corde: Deuter. 6.5. Item, Dilige proximum vt teipsum.

Respondent noui Testamenti ministri.

In Christo Iesu neque Circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem agens: Gal. 5.6.

Ecclesiæ nostræ, Charitatis characterem celebrantes, illis accinunt ☞,

Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est: 1. Ioan. 2.9.10.

VI.

Eodem planè consensu περὶ τῶν ἐλπιζῶν,

Patres & Prophetæ prænunciauerunt:

Messiam, (cuius Regium ἀξίωμα, Iudicum & Regum piorum historia: Sacerdotium & sacrificium vnicum & æternum, Melchisedeci & Aaronis, ac huius posterorum officio & sacrificijs, ceu typis: Propheticum munus, scriptis, voce & ministerio sanctorum Prophetarum, adumbratum sit) vbi in carne patefactus esset, & Euangelio regni promulgato, vnica piaculari victima pro peccatis mundi satisfeciisset: in cœlum ascensurum, & dona daturum hominibus: Psal. 68.18.19. donec redeat ad suscitandos à morte homines: Dan. 12.2. & ad iudicium.

Euangelistæ & Apostoli, τὸ ἓν φρονοῦντες.

Sermo ille, aiunt, caro factus est: & commoratus est inter nos, & spectauimus gloriam eius: Ioan. 1.14. Traditus est in mortem propter offensas nostras, & excitatus propter iustificationem nostri. Rom. 4.25. Vt autem sursum receptus est à nobis in cœlum, ita veniet ad iudicandum viuos & mortuos: Act. 1.11.

Ecclesiæ nostræ τὸ αὐτὸ φρονοῦντες:

Etsi, inquiunt, peregrè absumus à Domino, dum per fidem incedimus, nõ per aspectum: 2. Cor. 5.6.7. & oportet Christum in cœlis versari, vsque ad tempora restitutionis omnium: Act. 3.21. tamen, excitati signis prognosticis instantis aduentus Christi, cum Ioanne precamur: Etiam veni Domine Iesu: Apoc. 22.10.

VII.

Cæterùm vt ἀναστατικῇ disputatione ijs occurramus, qui suauissimam illam παναρμονίαν impiè negant, sic argumentamur:

Si vnum & æternum est Testamentofœdus, quo ecclesiam electorum Deus sibi iunxit, si idem Deus & Pater, si idem mediator Iesus, si eadem doctrina, eique respondens fides, si idem arrhabo salutis nostræ, si denique eadem res sacramentis veterum & nostris repræsentata: Tum nulla est in tota Theologia δυσαρμοστία ἢ ἀσυμφωνία.

Verum est antecedens, quod συλλήβδην plurima συνεκδοχικῶς complectitur:

Ergo & consequens verum erit.

Enimuerò, si Testamentum spectes, etsi propter οἰκονομίαν pædagogicam & liberiorem, geminæ eius tabulæ celebrantur: tamẽ, idem eius auctor Deus est, idem Mediator Christus, eadem Dei Ecclesia vera, idem Pater fidelium Abraham, eadem fides, eadem electionis, vocationis, iustificationis & sanctificationis ratio, si inquam spiritum, non literam, spectes: Ro. 4. & 9. Gal. 4. &c.

VIII.

VIII.

Porrò, si respicias doctrinam, scitè dixit Iustinus Martyr: Quid est Lex? Euangelium prænunciatum. Quid Euangelium? Lex impleta. Etsi autem lex fidei & operum distingui debent: Rom. 3. 27. tamen amicè conspirant, & eandem speciem Iusticiam prædicant: eodem capite, vers. 21. 22.

IX.

Si denique obsignationem interiorem, & sacramenta consideres, idē Spiritus sanctus est arrhabo hæreditatis omnium saluandorum. Eph. 1. 13 14. & sacramenta veterum & nostra, re & virtute eadem: 1. Cor. 10. 2. 3. 4. signis autem diuersa sunt: Col. 2. 11.

X.

Concludimus itaque non solùm Prophetas & Apostolos συμφωνεῖν de tota doctrina, citra omnem veram ἀνωμαλίαν: sed etiam Ecclesias nostras illis per Dei gratiam consentire: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Psal. 116. 6. 7. 8.

Custodit simplices Iehouah: exhaustus eram, sed attulit mihi salutem. Reuertere anima mea in requiem tuam: quia Iehouah insignem rerum commutationem tibi contulit. Quia eripuisti animam meam è morte: oculum meum è lacrymis: & pedem meum è lapsu.

APHORISMI, DE VNICO ET ÆTERNO Testamento. De quibus in Theologica disputatione, Præside,

D. D. IO. IACOBO GRYNÆO S. THEOLOGIÆ *ordinario Professore, & facultatis Theologicæ Decano,*

Respondit. 23. Febr.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS BERNAS.

I.

TESTAMENTVM vocamus gratiæ & reconciliationis fœdus, quo solos Electos, per & propter Christum, æternus Pater, ad gloriam gratiæ suæ, sibi per vinculum Spiritus sancti iunxit.

II.

Vnicum esse dicimus substantia, quia idem omnium Electorum Deus: idem Mediator & Sponsor Christus: idem arrhabo Spiritus sanctus: eadem legis & Euangelij doctrina: eadem fides: idem Pater fideliū: eadem Circumcisio, Eucharistia, idem Baptisma: si in his tribus rem Sacramentorum spectes.

III.

Idem illud Testamentum, tanquam subiectum, in Vetus & Nouum, respectu Accidentium, distinguitur. Nam vt in Vetere plus fuit bonorum terrenorum, vmbrarum, seruitutis & timoris, denique Sacramentorum, quàm in Nouo: ita in hoc maior est fidei & doctrinę lux, maior libertas, maior denique Ecclesiæ fœcunditas, ob accessionē plenitudinis gentiū, quàm in illo.

IIII.

Cùm iis quæ diximus, non pugnant dicta Spiritus sancti, de abrogatione Veteris Testamenti, de eius vmbris & figuris: denique & ea quæ propemodum contumeliosè in illud dicta videntur, cum κατάπ, non autem ἁπλῶς prolata esse res ipsa testetur.

V.

Aeternum autem illud esse, vel hæc ἕυχὴ ostendit: Deus verò pacis (auctor) qui magnum illum ouium per sanguinem fœderis æterni Pastorem, Dominum nostrum Iesum à mortuis reduxit, perficiat vos in omni opere bono. Hebr. 13.20.

Greg. Nazianzenus.

Θεῦ διδόντος ἁδὲν ἰσχύει φθόνος:
ᾧ μὴ διδόντος ἁδὲν ἰσχύει πόνος.

Ieremiæ 31. vers. 33.

Nam hoc illud est fœdus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos, dictum Iehouæ: indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inscribam eam, & ero eis Deus & ipsi erunt mihi populus.

Non autem docebunt amplius quisque proximum suum, & quisque fratrem suum, dicendo cognoscite Iehouam: nam quotquot erunt, cognoscent me à minimo eorum, vsque ad maximum eorum, dictum Iehouę: nam condonabo iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordabor amplius.

DECAS PRIMA

THESIVM DE HISTORIA FIDEI Christianæ: de quibus, Præside, D. Ioanne Iacobo Grynæo, S. Theologiæ Professore in Academia Basiliensi, γυμνασίας χάριν, publicè respondit, ad diem 18. Ianuarij, Anno Christi 1582,

Andreas Baudisius, Vratislauiensis.

SYMBOLVM CHRISTIANÆ FIDEI, ORTHODOXÆ RELIGIONIS CAPVT.

VT cedunt auro fulgenti splendida saxa:
Vtq; micans, aurum, vincere gemma solet:
Non quòd inæqualis superentur pondere lancis,
Corpora vel numero sint potiora suo.
Sed quia natura nitidæ vis insita gemmæ,
Exiguæ gemmæ pondus amare facit.
Haud secus inter se cedunt (licet omnia sacra)
Scripta, quibus certum est stare salutis opus.
Omnia sed superat Fidei pulcerrima nostræ
Forma, caput nitidi luminis instar habens.
Non quia doctrinæ spatiosa volumina pandat:
Sed mira doceat quòd breuitate DEVM.
Fundamenta iacit CHRISTVM, cornúque salutis,
Quo pereunte, perit dulce salutis opus.
Gemma micans aurum vincit, non pondere: Mira,
Formula sic Fidei, fert breuitate, caput.

Gr. Fr. Vr.

DE CHRISTIANÆ FIDEI HISTORIA, Theſium Syntheticarum Decas prima.

I.

1. Propoſitio.

FIDEI Chriſtianæ, quæ ſola verum Deum, omnipotentem, veracem, iuſtum & miſericordem agnoſcit & colit, Hiſtoriã vniuerſam σωμδέπει adumbrare: ad gloriam IESV ducis & perfectoris eius, Hebr. 12. 2. ad noſtram & aliorum inſtitutionẽ: denique & ad ἔλεγχον καὶ ἀποδίωξιν plumbeorum Satanæ telorũ, quibus ab illo adamantina fidei Petra impetitur, Θεοῦ σωμδέλοντος nobis eſt propoſitum.

II.

2. Auctoritas & vſus Artic. fidei.

Oportet autem pias mentes ἐνπίθεως, articulorum fidei noſtræ ſacroſanctam eſſe auctoritatem, & incomparabilem vſum. Etenim contra eos qui ſeriò negant ἀξιώματα Theologię, quæ ſunt ἀμετακίνητα καὶ ἀξιόπιστα, non eſt diſputatione, ſed conſcientiæ appellatione vtendum, exemplo pij illius Cõfeſſoris, qui in Nicena Synodo Philoſophum διαλεκτικώτατον conuertit: & res ipſa docet, eadem fidei noſtræ ἀξιώματα, nobis eſſe tum φυλακτήρια arma, quæ nos muniunt tegúntque aduerſus iacula Mali illius ignita: tum etiam ἀμυντήρια, quibus & hoſtem & eius tela repellimus.

III.

3. Deſcriptio hiſt. fidei.

Vocamus autem Hiſtoriam fidei Chriſtianæ, formam doctrinæ, de Deo Creatore & Redemtore: quam Paulus Apoſtolus vocat magnum pietatis myſterium, de Deo qui conſpicuus factus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu, conſpectus eſt ab Angelis, prædicatus eſt Gentibus, cui fides habita eſt in mundo, & qui ſurſum receptus eſt in gloriam. Rom. 6. 17. 1. Tim. 3. 16. Vt autem ea, bona fide ab Apoſtolis, velut præclarum depoſitum, tradita eſt: ſic etiam à nobis per ſpiritum ſanctum aſſeruanda eſt. 2. Tim. 2. 13.

IIII.

4. Auctor, ſeu αἴτιον κύριον.

Enimuerò certiſſimum eſt, ei ſoli tanquam auctori Hiſtoriam Fidei acceptam eſſe ferendam, à quo & illius correlatiuum, videlicet fides (quæ definitur τῇ πληροφορίᾳ de gratia Dei erga nos) proficiſcitur. Cur enim fidei lux diuinitùs accenditur in cordibus Electorum, niſi vt de Creationis & Reſtitutionis arcano, illis certò conſtare poſsit? Ac cùm Deus, pro ſua bonitate & ſapientia, ἔξωθεν per ſacrum Verbi & Sacramentorum Miniſterium: ἔσωθεν autem, per Spiritum ſanctum, capita fidei nobis aperiat, inculcet & obſignet vt credamus vera eſſe: quis non intelligat abſurdum eſſe fingere, alium eſſe fidei, alium hiſtoriæ illius auctorem? Porrò, ſi ab eodem fonte diuerſa χαρίσματα promanant: iuxta dictum: Diſcrimina ſunt donorum, ſed idem Spiritus. Item: Sed omnia hæc efficit vnus & idem Spiritus. 1. Cor. 12. 4. & 11. non eſt cur correlatiua χαρίσματα ab eodem profecta eſſe negemus.

Conſtat autem, Fidem eſſe Dei donum. Iuxta hæc teſtimonia. Ioan. 6. 65. Nemo, inquit Chriſtus, poteſt venire ad me (hoc eſt, in me verè credere) niſi fuerit ei datum à Patre meo. Epheſ. 6. 23. Pax ſit vobis fratribus & charitas

cum fide,à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. Phil.2.29. Quia vobis datum eſt in Chriſti negocio, non ſolùm in eum credere,ſed etiam pro eo affligi.

Fateamur itaque,à Deo Hiſtoriam fidei noſtræ profectam promulgatám que eſſe:ac citra eam ne quidem imaginatione fidem veram poſſe concipi.

V.

5. Obiectũ.

Verſatur autẽ Fidei hiſtoria,nõ circa creaturas earúmq; præſidia: multóque minus circa iners, inutile & fictitium numen, ſed circa promiſſionem gratię,eius Dei,qui ſolus eſt Bonum Verúmque ſummum,ἄκπτον,infinitum, æternum,ἀυτεξόσιον,ἀυτοάγαθον: qui vniuerſorum conditor eſt & conſeruator: qui ſe patefecit expreſſo verbo & illuſtribus teſtimoniis: qui per Filium vnigenitum vniuerſa condidit & Eccleſiam ſaluam facit & ſanctificat ad æternam vitam.

Atqui Deus Pater,Filius & Spiritus ſanctus, eſt hic vnus verus & æternus Deus,conditor,conſeruator & opitulator,&c. Pater enim æternus, per Filium vnigenitum,virtute Spiritus ſancti omnia condidit:& in genere humano ſanctificat ſibi æternam Eccleſiam, à qua agnoſcatur & celebretur in hac & futura vita.

Quare circa hunc fides noſtra ſic verſatur, vt non eſſentiam illius ſolam, ſed etiam voluntatem reuelatam: non creationem & conſeruationem tantùm, ſed etiam reſtitutionem eius partis generis humani, cui datum eſt in eum credere,reſpiciat,ac firmiter ſtatuat τὴν ἀποκατάστασιν non eſſe minus Dei opus,quàm ſit creatio & creatarum rerum conſeruatio.

V I.

6. Operum Dei ratio.

Cæterùm cum fides,quid Deus ſua & noſtra cauſa agat, ſpectet, operæpretium erit hæc tria accuratè notare. 1. Actiones eſſe ἀδιαιρέτους. Ioann. 5.17.19.& ſeq. 2. Idem opus ſeruato agentium & agendi modo, rectè tribui diſtinctis perſonis. 3. Diſcernendas eſſe Dei πράξεις, quæ intra eius eſſentiam fiunt,nec ποίημα aliquod poſt ſe relinquunt,ac ſunt æternæ:& eiuſdẽ ποιήσεις,quæ voluntatem eius ſequuntur,& extra illius eſſentiam fiunt. Prioris ordinis ſunt communicatio gloriæ inter Patrem & Filium. Ioan.17.5. Mutua agnitio,εὐδοκία,lætitia,κοινωνία Patris, Filij & Spiritus ſancti: qui tres vnum ſunt.1.Ioan.5.7.Ad poſteriorem referri debent: Primùm Actiones Dei generales. Deinde Speciales, quæ in diſpenſatione & procuratione ſalutis Eccleſiæ poſitæ ſunt. Generales Dei actiones ſubdiſtinguendæ ſunt, in eas quæ ſunt communes creaturis rationalibus & brutis ac inanimatis rebus, & in eas quæ rationales creaturas reſpiciunt. Communes Dei actiones ſunt creatio totius rerum omnium vniuerſitatis, eiúſque conſeruatio & adminiſtratio, in qua lucent opificis omnipotentia, bonitas,ſapientia,& aliæ proprietates. Creaturas κοσμικὰς ſi reſpicias,occurrũt hæ Dei actiones:eximia beneficentia naturæ hominum ſuſtentatrix, teſtiſque de φιλανθρωπίᾳ Dei. Act.14.17.& opera præſentis iudicij: quod videlicet Deus alios per fidem Euangelij viuificat,alios autem excæcat.Ioann.9.39. & 12.v.7,31. Specialis Dei actio in Eccleſia eſt,ἡ ἀποκατάστασις,reſtitutio,Act.3.21. Hæc χῦ σωτερίου,nunc redemtio,nunc reconciliatio,interdum aliter vocatur.Complectitur autem illa has actionum ſpecies,Præſcientiam, Prædeſtinationem,Vocationem,Iuſtificationem,Glorificationem.Rom.8.29.30.

V I I.

VII. 7.

Rectè autem dicitur forma & velut exædificatio Historiæ fidei, ipsa σύνταξις operum Dei, quibus editis, tanquam ex arcana illa sua sede lucéque inaccessa prodiens, sese & voluntatem suam patefecit Ecclesiæ, ad gloriam suam. Forma hist. fidei.

Atqui hæc est διάταξία & series operum Dei conditoris & Redemtoris.

1. Deus Pater (volens innotescere) ad gloriam virtutis, iustitiæ & misericordiæ suæ, condidit per Filium, Spiritus sancti virtute, mundum, & in eo visibiles & inuisibiles, rationales & ἀλόγους creaturas: & auctor est omnis boni in Natura.

2. Idem per eundem filium Iesum Christum, virtute sancti Spiritus, res humanas lapsu primorum hominũ deperditas miseratus, omnes à se præordinatos ad vitam æternam, redemit è potestate tenebrarum: ac per adoptionem filios & hæredes æternæ vitæ constituit.

3. Et hac ratione sanctificauit sibi Ecclesiam sanctam & catholicam, cui, peccatis ei condonatis, spem resurrectionis & beatæ vitæ fecit: ac nititur hæc fiducia immutabili decreto Dei de saluandis credentibus. Marc. 16. 16.

Quare rectè & ἀκόλουθως dicitur, hæc operum Dei σύνταξις (quæ non nisi συνεκδοχικῶς à nobis est delineata) forma, seu structura Historiæ fidei.

VIII. 8.

Obseruent autem piæ mentes gradus & incrementa operum καὶ ἀποτελεσμάτων Dei, omnipotentis & summè iusti ac summè misericordis. Operum Dei collatio.

Magnum Dei opus est, & omnibus creaturis ἀδυνάτον præstare, vt homines (de inferioribus enim creaturis nunc nihil dicemus) viuant, moueantur & sint. Act. 17. 28. & vt vitæ animalis præsidia ipsis non desint. Psal. 107.

Sed multò est maius, instaurare deperditos: hoc est, è potestate Sathanæ ereptos, transferre in regnum lucis, Christo inserere, & spe saluos facere. Rom. 6. 5. & 8. 24.

Illud verò omnium est maximum, pòst amabilem gustum iustitiæ, vitę & lætitiæ æternæ, complemento tantorum bonorum post hanc vitam reipsa frui. 1. Cor. 2. 9. Vt enim vita spiritualis, & donorum cœlestium plena fruitio, præferri debent animali vitæ & initiis χαρισμάτων: ita complemẽtum nostræ instaurationis (cuius descriptio extat in his verbis: Deus erit omnia in omnibus. 1. Cor. 15. 28.) præponi debet eius initiis, quibus in hac vita vtimur, vt magis magísque proficiamus.

IX. 9.

Totam autem fidei Historiam eò spectare, vt sapientiæ (quæ posita est in Dei conditoris & redemtoris, nostríque cognitione vera) luce illustrati, instauremur ad gloriam gratiæ Dei, extra controuersiam inter pios positum esse non dubitamus. Finis.

X.

Iam verò cum Historiæ fidei epitome, in symbolo Apostolico, sic vel ab auctoribus, vel à consensu cum Apostolorum doctrina dicto, ex-

tet:quid orthodoxa Antiquitas de eo pronunciauerit, verbis Auguſtini & Ambroſij adſcriptis,coronidis vice ſubiungemus.

Auguſt. de Tẽp. ſermone 171.

Symbolum ergo fidei noſtræ tali ratione inſtitutum Maiores noſtri dixerunt. Tradunt enim,quòd poſt aſcenſionem Domini & Saluatoris noſtri ad Patrem,cum per aduentum Spiritus ſancti,diſcipuli eius inflammati linguis omnium loquerentur,ad ſingulas quaſque nationes,vt Dei verbũ prędicarent ituri,ac diſceſſuri ab inuicem, NORMAM prius ſibi futuræ prædicationis in commune ſtatuerunt,ne localiter ab inuicem diſcedentes,diuerſum vel diſſonum prædicarent iis,qui ad fidem Chriſti inuitabãtur. Omnes igitur in vnum poſiti,& Spiritu ſancto repleti, breue ſuæ prædicationis indicium conferendo in vnum, quod ſentiebat vnuſquiſque computabat, atq; hanc ita credentibus dandam eſſe REGVLAM inſtituerunt.Symbolum breue eſt verbis,ſed magnum eſt Sacramentis. Quicquid enim præfiguratum eſt in Patriarchis,quicquid denunciatum in Scripturis,quicquid prędictum eſt in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu ſancto,vel de ſuſcipiendo omni Sacramento,vel de morte Domini reſurrectioníſque eius myſterio, totum breuiter hoc Symbolum continet, & continendo habet & confitendo.

Ambroſ. ſer.39.

Iſta autem ipſa clauis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum conſtet, quemadmodum ſolida ſit:arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apoſtolorum Symbolo fides ſancta concepta eſt,qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem ſuo cõſilio conflauerunt : clauem enim quandam ipſum Symbolum dixerim, per quod reſerantur diaboli tenebræ, vt lux Chriſti adueniat, aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata,vt iuſticiæ fulgeant opera manifeſta.

Synodus Epheſina in Epiſtola ad Neſtorium:

Non ſatis eſt fidem voce duntaxat confiteri,niſi rectè quoque eam interpreteris.

Eraniſtes apud Theodoretum:

Τὰ μὲν κεκρυμμένα οὐ δεῖ ζητεῖν, τὰ δὲ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν.

DECAS SECVNDA

THESIVM DE HISTORIA FIDEI CHRIſtianæ:continens ſummam piæ doctrinæ de Deo creatore:de qua, in ordinaria & publica Συζητήσει Theologica, Deo inſtitutum proſperante,Præſide D.Ioanne Iacobo Grynæo,S.Theologiæ Profeſſore ordinario, ad diem 8.Februarij, Anno Chriſti 1582, reſpondit

THOMAS ROTVS BORVSSVS.

Auguſtinus.

Omnis diſciplina ſapientiæ eſt,Creatorem & creaturam cognoſcere.

Si quisquam, insuetum vulgo, proferre laborem
Instituit, dignum laude putamus opus.
At quæ, Mortales, nobis mens facta tueri,
Quæ manus, in medium, Numinis, alma, tulit?
Miramur noua: vilescunt vetera: Actibus istis
Haud suus eximijs rebus habetur honos.
Non cæco mundi conflata est machina casu,
Nec frustrà, tanto tempore, durat opus.
Artificem ornat opus: cumulat præstantia honorem,
Et decus, æternum, monstrat, vtrumque, DEVM.
Non cœlo indiguit Numen, non puluere terræ,
Vnica sed nostri causa propago fuit.
Et dubitamus adhuc laudes cumulare Tonantis,
Perpetuus siquidem sidera motus agat?
O stultas mentes. Quid erit Mortalibus vnquam
Pulcrius, vnde Deûm noscere fata queant?
Moles firma manet, nec legibus ire recusat,
Donec diuino Iudice finis erit.
Non hîc casus agit: non hîc sors stulta ministrat:
Omnia sed durant, iura ferente DEO.
Non certè DEVS est, & non Mens prompta gubernat,
Complexu quicquid vastus hic Orbis habet.
Hinc quoties fas est spacioſum cernere mundum
Factori promptus debita vota feres.
Grata DEO est Pietas. Hic finis maximus esto,
Vt digno Superûm Numen honore colas.

Gr. Fr. Vr.

DECAS SECVNDA THESIVM DE *Historia fidei Christianæ, complectens σωματοποίησιν doctrinæ orthodoxæ de conditore DEO.*

I.

HAEC est Ecclesiæ Dei cõfessio orthodoxa & catholica, de Deo conditore, déque eius Operibus & Prouidentia: Credo in Deũ Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. Repetita autem illa est & illustrata in Nicenæ Synodi Cõfessione, his verbis: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.

Sic autem, per fidem, lumini rationis prælucentem, piæ Mentes in hac τῇ κατασκευαστικῇ Disputatione, ἀποδεικτικῶς ratiocinantur.

Deus ille conditor noster, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest: 1. Tim. 6. 16. sic nobis agnoscendus est, quemadmodum is sese nobis, multis & illustribus testimoniis tum factorum, tum dictorum patefecit: nec fas est puræ mentis cultum, rectè veréque agnito non præstare.

Atqui ita sese nobis conditor illeDeus,tum in Mundi & Naturæ speculo, tum verò potissimùm in Verbi sui Theatro, patefecit, vt se Essentia vnum Iehouam: Personis distinctis Trinum: conditorem sese vniuersorum quæ hæc pulcerrimum Mundi σύστημα continet,& moderatorem,omnipotentem, bonum,sapientem haberi:& à nobis verè agnosci & coli,velit.

Quapropter nobis,summa cum religione conditor ille noster & conseruator, agnoscendus & colendus est, & longissimè anteponendus omnibus rebus conditis.Decet enim nos,qui ipsius dono, in illius noströque noticia, eò progressi sumus, vt per fidem intelligamus constructum fuisse Mundum verbo Dei:Heb.11.3.multum ijs dissimiles esse, de quibus Apostolus, Cum, inquit,Ethnici Deum cognouerunt, tamen vt Deum non glorificauerunt, neque gratias egerunt.Rom.1.21.

II.

Minoris propositionis demonstrandæ caussa κατὰ σύνθεσιν 1. De Deo conditore: 2. de Creatione & Prouidentia: 3. de Rebus conditis: 4. de Opificis cultu,κεφαλαιωδῶς agemus.

Ac de conditore Deo,cum beato Athanasio credimus & confitemur, & adoramus,ἕνα θεὸν ἐν τριάδι,καὶ τριάδα ἐν μονάδι μήτε συγχέοντες τὰς ὑποστάσεις, μήτε τὴν οὐσίαν μερίζοντες.

Quemadmodum autem Patris,Filij & Spiritus sancti personas,distinguimus characterisiticis proprietatibus, quæ sunt gignere,nasci & procedere:ita essentialia ἰδιώματα, creaturis ἀκοινώνητα,personalibus differentiis neutiquam discernimus.

Etenim quæ personis non distinguuntur, sed sunt vna,eadem simplicissima καὶ ἀμέριστος Dei essentia,ea non discerni debent notionibus personalibus, sic vt ingenita,genita & procedentia dicantur. Sed omnipotentia, immensitas,æternitas,sapientia,& alia Deitatis essentialia ἰδιώματα,non distinguuntur personis,sed illis tribus communes sunt: & non nisi πρὸς λόγῳ & actu intelligendi,distinguuntur & ab essentia & à se inuicē. Quocirca hypostaticis notionibus ea discriminare fas non est, ne (vt hoc addamus) pro hypostaseon trinitate,essentiæ quoque τριάδα,impiè statuamus.

III.

Certissimum verò est, eius prouidentia Mundum administrari, & consuli rebus humanis,nec solùm vniuersis,verùm etiam singulis, cuius omnipotentia initiò condita sunt omnia & conseruantur,secundum Dei cōsiliū.

Sed æternus Pater,per λόγον omnia fecit,Ioann.1.3. virtute Spiritus sancti: qui vtrique illorum est coæternalis & coëssentialis.Gen.1.2.

Fateamur igitur,eiusdem decreto æterno,quicquid fuit, fuisse: quicquid est,esse:quicquid futurum est,fore:cùm omnia efficiat ex consilio voluntatis suæ. Eph.1.11.& omnia ea præsentia habeat, quæ tantùm nostri respectu tempore discernuntur.

Percipiunt autem piæ mentes ex hac doctrina eximiæ consolationis dulcissimos fructus, cum vident & Dei omnipotentis manu & imperio omnia contineri,tempestates,aduersa & secunda optimè dispensari, pios protegi, diabolos & eorum mancipia coërceri:denique ea solùm fieri, quæ Dei manus & consilium prius definierat facienda.Act.4.28.

IIII.

Non autem minus euidens est,valdè bona,(in suo tamen vnumquodque genere)

genere) esse quæcunque à Deo summè bono profecta sunt, & per eundem consistunt. Ac non indignum est Platonis dictum, cuius hîc mentio fiat: Deus boni causa est, non mali.

Atqui per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates: omnia, inquam, per eum & eius respectu condita sunt. Estque ipse ante omnia, & omnia per ipsum consistunt. Col. 1. 16. 17.

Proinde cũ Mose dicam⁹, Omnia quæ creauit De⁹, erãt valdè bona. Gẽ. 1. 31.

Obseruandæ autem sunt distinctiones creaturarum, quarum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ, Luc. 24. 39. Corporeæ subdistinguuntur respectu, 1. essentiæ. 2. vitæ. 3. sensus. 4. localis motus, & 5. intelligentiæ, qua solus homo, ex Dei dono excellit. Incorporeæ creaturæ Dei sunt, Angeli, (quorum alij perstiterunt in prima integritate, & electi dicuntur. 1. Tim. 5. 21. alij autem peccauerunt. 2. Pet. 2. 4. & non seruata sua origine deseruerunt suum domicilium. Iud. v. 6.) & Animæ humanæ, quas nequaquam è tradu ce propagari (corporum instar) sed à Patre spirituum, Hebr. 12. 9. creari, etiam inde colligimus, quòd simplicem καὶ ἀμέριστον essentiam, neque totius, neque partis ratione traduci posse, persuasum habemus.

Etsi autem Homo initiò ad Dei imaginem conditus, bonus erat. Gen. 1. 26. 27. tamen quòd mutabilis esset, Satanæ versutia circumuentus, Genes. 3. & 2. Corint. 11. 3. deliquit grauissimè: ac per vnum hominem peccatum introijt in mundum, & per peccatum mors. Rom. 5. 12.

Cauendum itaque nobis est, ne hominis statum, in quo fuit ante lapsum, cum eo qui primum secutus est, confundamus. In illo enim refulsit in homine illustris & amabilis Dei imago, iusticia originalis, liberum arbitrium, omniúmque in homine virium rectitudo, denique & immortalitas: in hoc verò imago τὸ χοϊκὸν. 1. Cor. 15. 49. peccatum originis, seruitus sub peccato, ἀταξία omnium hominis partium & facultatum, & tristissima mortalitas: cui corpora sunt obnoxia, tum quia ijs polluuntur spiritus hominum, qui ea inhabitant, quæ singulis diuinitus destinata sunt: tum etiam, quia sunt animata peccantium instrumenta, cum sistunt membra sua vt sint ὅπλα τῆς ἁμαρτίας. Rom. 6. 13.

V.

Quòd si Deum conditorem, etiam Ethnici homines, cęteris paulò saniores, pura mente colendum, censuerunt: & vt Liuij verbis vtamur, Religionẽ piè magis quàm magnificè exercendam, rectè pronunciauerunt: tanto magis ipsi nobis summè eundem spiritu & veritate adorandum & colendum, Ioan. 4. 23. existimare debemus, quanto maior in nobis est fidei lux, quàm in illis naturæ & rationis fulgor fuit.

Sed antecedens verum est, vt monent hæc pulcerrima dicta, quorum primum Socratis est: secundum Aristotelis: postremum iunioris Plinij.

Καλὸν μὲν ἓν θεὸν ἱερὰ ἀθανάτοισι θεοῖσι. Si vnius Dei mentionem fecisset, nihil verius dici poterat.

Qui, inquit Peripateticorum princeps, dubitant, vtrum oporteat Deum (sic enim loqui præstat, quàm Deos) venerari, & parentes honorare, annon supplicia extrema merentur?

Animaduerto, inquit postremus ille, Deos ipsos nõ tam accuratis adorãtiũ precibus, quàm innocentia & sanctitate lętari: grauiorémque existimari, qui delubris eorũ purã castámque mentẽ, quàm qui meditatũ carmẽ intulerit.

Verum igitur est & consequens, quod monet, omnia ea quæ à Deo accepimus, eidem sanctificanda, vt ei debitus honos præstetur, sed ex fide. Iuxta illud Pauli: Precor igitur vos fratres per miserationes Dei, vt sistatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, acceptam Deo, rationalem illum cultum vestrum. Rom. 12. 1.

VI.

Sed enim piæ Mentes, cum φιλαληθείᾳ odium sophistices & mendaciorum coniungentes, ἀϕασκευαστικῶς ita quoque argumentantur.

Summo studio nobis cauendum est, ne assentiamur profanis opinionibus, quæ ἐκ διαμέτρου pugnant cum vera, de Deo conditore, doctrina: néue locum demus sermonibus, qui depascunt vt gangræna. 2. Tim. 2. 17.

Atqui Ethnicorum, Hæreticorum & sequacium blasphema deliramẽta, de dijs innumerabilibus, de Mundi æternitate, de Angelis & Hominibus, de fortuna & casu humanæ ignorantiæ κρησφυγέτοις & inuolucris, de numinis cultu, & de multis alijs, aduersantur sanæ doctrinæ.

Quare præcipuo studio nobis esse debet, ne vnquam eis locum demus & assentiamur, sed potius vt veram doctrinam toto pectore constanter retineamus, semper memores pulcerrimi apophthegmatis beati Augustini: Veritas duas comites habet, sapientiam & constantiam.

VII.

Vt autem Minorem istius Syllogismi non solùm probemus, sed etiam illustremus, eodem quo iam antea vsi sumus ordine, de præcipuis capitibus, sed tamen ὡς ἐν τύπῳ agemus.

De Deo & eius τῇ μοναρχίᾳ, etsi quidam saniores Ethnici paulo rectius quàm vulgus imperitum pronunciauerunt: veritatem tamẽ iniustè detinuerunt, eámque in mendacium mutarunt, & seruierunt rebus creatis præterito creatore. Ro. 1. 18. 25. nec figmentum de minorum gentium Deunculis, ita vt par erat, refutauerunt.

Vulgus Ethnicorum esse πολυθείαν, à Poëtis confictam, ac sua Numina desiderijs hominum seruire putauit, magnopere probans illud Pindari: Θεῶν πλεισάντων ἁδὲν πότε φάνεται ἔμμεν ἄπισον.

Manichæi duos Deos φῶς καὶ ὕλην, confinxerunt, & à bono Deo bonas creaturas: à malo autem Deo, malas creaturas, eásque φύσει καὶ κτίσει tales, conditas esse, furenter contenderunt. Quid hoc aliud est, quàm duos Deos infinitos & ἀντιπάλους fingere, & Deo diabolum (horrendum dictu) comparare?

Sabellius Afer Iudaizans, monaden Personarum, seu τὸ ἓν τριώνυμον, impiè confinxit, vt à se fascinatis persuaderet, Deum non solùm τῇ ὑσίᾳ, sed etiam τῇ ὑποστάσει, vnum esse.

Synchytæ finxerunt, finitæ & conditæ naturæ, ὑσιωδικὰ infinitæ Deitatis ἰδιώματα reipsa communia esse posse.

VIII.

De Prouidentia, præcipuæ Philosophorum sectæ (nihil enim iam de vulgi erroribus dicemus) non modò pugnantia cum vero, sed etiam inter se plurimum repugnantia, tradiderunt.

Aristoteles, Mundum æternum, Prouidentiam vniuersalem, & sublunaria κατ' ἰδίαν non administrantem, imaginatus est: quòd in Physicis rebus, non nisi Physicas causas magnifaceret. Quasi verò in Ethicis & Politicis actionibus solis luceat Prouidentia?

Stoici, libertatis Dei hostes, secũdis caussis, quæ finitæ sunt, primã & infinitam sic alligauerunt & subiecerunt, vt nec liberrimam, nec omnipotentem

nec etiam iustissimam & moderatissimam esse, verè agnoscerent.

Epicurei, quantùm in ipsis fuit, Deum remouerunt ab administratione Mundi, & impiè negauerunt Efficientem principem & finales eius caussas. Qui enim Prouidentiam negat, Deum esse negat: qui nullus sine τῇ προνοίᾳ verè esse potest. Noti sunt eorum versiculi pleni impietatis:

Omnia sunt risus, sunt puluis, & omnia sunt nil:
Cæcus enim & præceps omnia casus agit.

IX.

Iam & de Creaturis perperam multi pronunciauerunt: nos de δοξομανίαις, circa rationales Creaturas, quibusdam exemplis solùm agemus.

Sadducæi Angelos & Spiritus esse, impudenter negauerunt. Act. 23.8.

Manichæi, quosdam Angelos & Homines origine & creatione malos: quosdam κτίσει καὶ φύσει bonos ἀναγκάσους, commenti sunt: cùm hominum vitiũ ἔξωθεν irrepserit, interueniente Satanæ impostura, Genes. 3.2. Cor. 11.3. Diaboli verò οἴκοθεν mali esse cœperint, Ioan. 8.44.

Οἱ μετεωριζόμενοι καὶ ἀεροβατοῦντες, confinxerunt nouem choros Angelorum, & alia multa, perinde ac si nudiustertius è tertio cœlo ideo ablegati essent, vt confidenter ista nobis dicerent.

Humanas animas, esse Dei partem, Gnostici: dormire, vbi è corporibus suis euocatæ sunt, Psychopannychitæ: mortales esse, Arabes quidam, & eorum complices: non videre Deum ante nouissimum diem, Ioannes XXII. Papa Rom. (qui sub Ludouico Bauaro Imp. vixit) denique non ita in qualitatibus, ἀλλοιώσει horribili deprauatas, integritatem suam & bona tum intelligendi, & eligendi, tum etiam præstandi facultates, post lapsum amisisse: Originis peccatum non esse tragicè amplificandum, ne nihil boni supereſse in hominum natura videatur; esse enim liberum in nondum renatis arbitrium: Pelagiani & Iesuitæ, falsò adfirmant.

X.

Etsi autem quispiam det, de Numinis cultu Ethnicis non planè ignotas fuisse quæstiones An sit? & Quòd sit: cum cæteris cordatiores & Numen colendum: & pura mente colendum, docuerint: quis tamen pius & intelligens præcipua ζητήματα, τί ἐστιν, καὶ τὸ διότι, iisdem ignota fuisse, non colligat ex hac demonstratione?

Quicquid ex fide non est, peccatum est. Rom. 14.23. Omnes autem Ethnicorum, Pseudoiudæorum, Mahometistarum, Hæreticorum, Pseudochristianorum Religiones commenticiæ, ἐθελοθρησκείαι, opiniones, non sunt ex fide. Ideo sunt peccata: & proinde ἐθελύγματα.

Hæc omnia cogitãtes, ne Ethnicis aliísque errantibus, stolidè insultemus: néue rabiosè verã & vtilẽ Philosophiã (quæ practicæ & theoreticæ humanæ centro spacióq; circunscripta, & modestissimè contenta, sublimẽ illã diuinãque fidei, caritatis & spei doctrinam, quæ Theologiæ propria est, non profitetur) insectemur: sed primùm quidẽ Deo gratias agamus, quòd quæ abscõdit à sapientibus & intelligẽtibus illis, ea nobis infantibus detexit: Mat. 11.25. deinde, rectè veréque à Philosophis tũ dicta tum scripta, vt ab eo, qui lucem intelligentiæ solus largitur, profecta, ne aspernemur, ne per imprudentiam vllis Dei salutaribus donis, nos ipsos spoliemus: postremò, meminerimus doctrinæ tũ Theologicæ tum Philosophicæ (huic annumero & alias præclaras Facultates, quas vocant) lucem, nobis summo perpetuóque studio referendam esse, ad nostram & aliorum institutionem & emendationem: & imprimis ad Dei optimi maximi laudem.

DECAS TERTIA
THESIVM DE HISTORIA FIDEI CHRI-

ſtianæ: in qua agitur de REDEMTORE DEO. *De ea autem in publica diſputatione ad diem 22. Februarij, Præſide D. Ioanne Iacobo Grynæo reſpondit*

PAVLVS RADECIVS NISSENVS SILESIVS.

AD
Clariſſimum Virum, virtute, doctrina & genere præſtantiſſimum,
D. IACOBVM MONAVIVM V. ratiſ.
I. C. ἀγ πολυΐστωρα.

VNVS EST MEDIATOR INTER DEVM ET HOMINES IESVS CHRISTVS.

QVando tibi miſero pertentant crimina pectus,
Sollicitæ menti nec datur vlla quies:
Ne poſcas veniam Sanctos: quia poſcere vanum,
Cum nequeant dulcem ferre ſalutis opem.
Sors eadem eſt ſanctis patribus, quæ noſtra fatigat
Membra. Quid auxilij pulvis & vmbra feret?
Non etiam humanis quicquam de viribus: inde
Aut fide, irato, poſſe placere, Deo.
Solius merito CHRISTI Patris ira quieſcit,
Illius & ſanat, vulnera noſtra, cruor.
Vna ſuper ratio eſt miſeris ſperare Salutem,
Si CHRISTVM, firmo pectore, & ore, ferant:
Nulla ſalus extra hanc Petram. Qui plura requirit
Numina, certè expers ille Salutis erit.
Vnum igitur CHRISTI meritum ſcelus omne piauit,
Atque ſtat inſonti ſanguine parta Salus.
Hinc quoties angit ſcelerum turpiſſima imago
Mentem, ne meritis, Improbe, fide tuis.
In cruce quin potius CHRISTI pendentis adhære
Vulneribus, iuſto & ſanguine iuſtus eris.
Sola Salus CHRISTI meritum eſt, & Gloria CHRISTI
Vnica, non hominum, crimina tollit, opus.

Gr. Fr. Vr.

DECADIS TERTIÆ DE HISTORIA Fidei Chriſtianæ

I.

CVM inſtituti noſtri ratio poſtulet, vt iam de Redemtore Deo agamus, initiò cum beato Paulo hanc eius partis Hiſtoriæ Fidei noſtræ, σύνοψιν præmittimus: Magnus ille DEVS & Seruator noſtet Ieſus Chriſtus, dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos

nos ab omni iniquitate,& purificaret sibi ipsi populum peculiarem,studiosum bonorum operum. Tit.2.13.14.

Credimus itaque, Dominum nostrum Iesum Christum, solum, suo solius merito,gratis,seu citra nostra merita,ex consilio voluntatis æterni Patris Ecclesiam redemisse.

Pontificij cdiuersò,ea lege Christum Iesum Redemtorem agnoscunt, vt tamen ad meritorum illius cumulum,& Sanctorum & propria cuiusque hominis merita,accedere contendant.

II.

Hæc cum sint ἀντιφατικὰ, nascitur ex pugnantibus sententiis τὸ ζητούμενον, Anne D.noster Iesus,solus sit Christus,& ἀληθῶς ὁ Σωτὴρ τοῦ Κόσμου: Ioan.4.42.

Subiectum in hac quæstione est D.Iesus, de quo cum Athanasio credimus & confitemur,ὅτι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ,θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστι.Θεὸς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς πρὸ αἰώνων γεννηθείς, καὶ ἄνθρωπος ἐκ τῆς οὐσίας τῆς μητρὸς ἐν τῷ αἰῶνι τεχθείς, &c.

Attributum,solus est Christus,& Redemtor Ecclesiæ suæ. Hoc est, non habet in hoc munere vllum Mortalium συναίτιον : quia ipse solus torcular calcauit,& de populis non fuit quisquam cum eo:Isa.63.3.Ipse vnus est Mediator Dei & hominum: 1. Timo.2.5. Porrò cum à Christo Iesu nos omnes illuminatos & redemtos esse piè gloriamur,δεῖ ὑποτίθεσθαι, nos iam antea in carcere & vmbra mortis vinctos hæsisse,inque potestate tenebrarum fuisse.Matt.4.16.Ioan.8.36.Colos.1.13.

III.

Iam verò vt in hac disputatione κατασκευαστικῇ, Analyticè nos disputare, & ad testificandam nostræ fidei πληροφορίαν, res ipsas εἰς ἀμεταμέλητον πιθέναι, veritatis & pacis amantes homines videant,primùm de externis Redemtionis nostræ principiis,postea de internis,σωὶ θεῷ, dicemus.

Dominum Iesum Christum sic esse totius Ecclesiæ λυτρωτὴν, vt nec Angeli,nec Sancti Dei homines vlli,eius θεμάτιοι sint,sic demonstro.

1. Per quem DEVS Pater mundum condidit,per eundem & Ecclesiam redemit:Heb.1.2. 1. Causa efficiēs Redemtionis, seu Redemtor.

At per Filium solum condidit mundum:Col.1.16.

Per eundem igitur solum & Ecclesiam redemit.

2. Caput dat salutem corpori.Christus autem caput:Ecclesia corpus.Itaque Christus dat salutem Ecclesiæ.Eph.5.23.

3. Nemo alius potuit esse Redemtor, nisi qui θεάνθρωπος esset. Oportet enim, vt Redemtor medius sit inter Deum & hommes : & Mediator satisfaciens iusticiæ Dei, & nos Deo reconcilians. Solus autem Iesus Christus est θεάνθρωπος : Ioann.1. 14. Solus itaque Iesus Christus est Redemtor.

4. Certissimum quoque est, eum solum esse Redemtorem totius Ecclesiæ, qui inde vsque ab initio mundi ei adfuit gratia & Spiritu suo & merito.

Iesus Christus autem est hodie, heri idem & in secula: id est, semper adfuit Ecclesiæ, & pro ea intercessit, à piis visus est, pauit eos spirituali alimonia, denique is fuit, in quo omnes fideles omnibus mundi temporibus acquieuerunt & acquiescunt & porrò quoque acquiescent: Hebr. 13.8. Ioann. 8. 56. 1. Cor. 10. 3. & 4. Apoc. 13. 8.

Concludimus itaque, solum Dominum nostrum Iesum Christum esse Redemtorem Ecclesiæ suæ.

IIII.

Finis proximus & vltimus Redemtionis.

Idem à finibus Redemtionis sic probo.

1. Is demum solus est Ecclesiæ λυτρωτὴς, qui ideo τὰ λυτήρια obtulit, vt eam sanctificaret, vt iam sit genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem (sibi Deus) vt proprium vendicat: 1. Pet. 2. 9.

Sed Iesus Christus is est, qui pro Ecclesia semetipsum eo nomine exposuit, vt eam sanctificaret, purgans lauacro aquæ per verbum: Eph. 5. 26. Dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem ζηλωτὴν καλῶν ἔργων: Tit. 2. 14.

Ideo ipse vnus est Redemtor Ecclesiæ Catholicæ, de qua hic agimus.

2. Cuicunque Redemtionis nostræ gloria in solidum debetur, eidem soli & κατόρθωμα, ἢ ἐνεργήτικα τῆς λυτρώσεως ἡμῶν acceptum ferri debet. Iuxta oraculum: Ecce purificaui, & non tanquam argentum: elegi te in fornace afflictionis. Propter me, propter me inquam faciam. Nam quomodo esset pollutum (nomen meum) gloriam quoque meam alteri non dabo: Isa. 48. 10. 11.

Soli Domino nostro Iesu Christo debetur gloria Redemtionis nostræ. Iuxta dictum. Vt ne glorietur vlla caro coram eo. Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus, est nobis sapientia à Deo, iusticiáque, & sanctificatio & redemtio: vt sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur: 1. Cor. 1. 29. 30. 31. Ier. 9. 23. 24.

Itaque ei soli Redemtionis nostræ κατόρθωμα tribui debet: ne dum partem aliquam nostræ salutis meritis propriis acceptam ferimus, non sine nefario sacrilegio Dei gloriam nobis arrogemus.

V.

Forma. 3.

Ecclesiæ totius (quæ post lapsum Adæ incidit in Dei offensam, in ignorantiæ rerum diuinarum barathrum, ínque Satanæ casses & tyrannidem) ἀπολύτρωσις siue Redemtio in his tribus posita est.

I. In piaculari ἢ λυτηρίῳ sacrificio, quo & Deo satisfit, & τὰ λύτρα persoluuntur: & Deus Ecclesiæ reconciliatur, interuentu Mediatoris merito suo semper intercedentis.

II. In sanctificatione per Veritatem, hoc est, Veram Religionem: Ioan. 17. 17. Sic vt nec institutio, nec consolatio, nec exhortatio, neque alia ædificationis eius adminicula ei desint.

III. In perpetua gubernatione & defensione Ecclesiæ.

Ac, qui vnus, solúsque, hæc omnia summa fide & caritate, inde vsque ab initio mundi, ad eius consummationem præstat, is demum vnus, solúsque Redemtor Ecclesiæ dici potest & debet.

Iesus

Iesus autem Christus is est, de quo solo hæc omnia verè dici possunt. Etenim,

1. Summus Sacerdos est & victima, meritis suis semper pro Ecclesia intercedens, nec habet vllos in hoc munere collegas. Iuxta hæc dicta: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek. Item: Propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium. Vnde & seruare prorsus potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens vt interpellet pro eis: Hebr. 7.21.24.25. Item: Agnus mactatus iam inde à iactis mundi fundamentis: Apoc. 13.8.

2. Veritas est: Ioann. 14.8. eiúsque summus promus & condus, quo nomine se vnum Doctorem nostrum esse profitetur, Mat. 23.8. & 10.

3. Est Dei Filius, & Rex bonus Israelis, id est, omnium fidelium, qui sunt puro corde: Ioan. 1.50. Psal. 73.1. Vt autem hostes στομάχους, in quorum medio nunc regnat, debellat: ita quoque populum suum Verbi diuini sceptro regit: vt habetur Psal. 45.5 & 6. Sagittæ tuæ sunt acutæ, populi sub te cadent, in cor inimicorum huius Regis cadent. Solium tuum, Deus (stabit) in seculum: Virga rectitudinis sceptrum regni tui, &c.

Denique & agendo & patiendo, ea omnia præstitit tulítque, quæ peragi totius Ecclesiæ & salutis eius intererat.

Neque est, cur quisquam opinetur, Redemtionis totius Ecclesiæ τὴν ἐνδελεχισμὸν, hoc est, continuam eius dispensationem, aut tempore Incarnationi Verbi præstituto suspensam, aut Christi in cœlum τῇ ἀναλήψει abruptam, aut denique doctrinæ Sacramentorum & τῶν ἱερατικῶν non planè eadem dispensatione interpolatam fuisse. Certum enim est, ea lege, primùm quidem ἐνσαρκωσιν Verbi ad tempus plenum dilatam, Gal. 4.4. vt tamen Patres in Christum incarnandum, nos in eundem incarnatum credamus: cum Iesus Christus sit hodie, heri, idem in secula: Hebr. 13.8. Deinde verò ἀνάληψιν Christi nequaquam obstare, quò minus ὁ ἄνθρωπος virtute, maiestate & gratia sua nobis adsit vsque ad consummationem seculi: Matth. 28.20. Postremò, cum vtriusque Testamenti Ecclesia, eundem Deum Patrem & Mediatorem Christum: eandem fidem & doctrinam: eandem rem Sacramentorum: idem pietatis, τὴν λογικῆς λατρείας studium habuerit: non est, cur per paralogismum τὸ μὴ ἄπιον ὡς ἄπιον, ex diuersis gradibus lucis doctrinæ, eius diuersitatem: ex varietate numeróque Symbolorum, rerum veluti disparatarum varietatem & inæqualitatem: denique & literæ, λειτουργικοῖς σχηματίσμασιν, Spiritus & pietatis diuersas formas, colligamus. σχολήψεις

Concludimus itaque ex istis omnibus, id quod fideles illi apud Samaritanos olim verè dicebant de Domino nostro Iesu: Scimus hunc verè esse Seruatorem illum mundi, Christum: Ioan. 4.42.

VI.

Is solus est Ecclesiæ totius Redemptor, qui solus τὰ λύτρα pro ea persoluit. 4 Materia Redemtionis.

Solus Dominus noster Iesus Christus persoluit pro Ecclesia τὰ λύτρα. Iuxta hæc dicta: Matth. 20.28. Filius hominis non venit, vt sibi ministraretur,

sed vt miniſtraret, darétque animam ſuam in Redemtionis pretium pro multis: 1. Tim. 2.5 & 6. Vnus enim Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Ieſus, qui ſemetipſum dedit Redemptionis precium pro quibuſuis. 1. Pet. 1.18.19: Vt qui ſciatis, vos non caducis (rebus) argento vel auro, fuiſſe redemtos ex vana veſtra conuerſatione πατροπαραδότου: ſed pretioſo ſanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati, nempe Chriſti. Item: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi: Ioan. 1.29.

De hoc itaque Redemtore noſtro συλλογιζόμεθα, Ieſum hunc eſſe Chriſtum Filium DEI, & credentes vitam habere per eius nomen: Ioan. 20.31. Ac nihil dubium eſt, hanc ob cauſam eum vocari non Redemptorem tantùm, ſed etiam (à materia pariter & à complemento) Redemtionem: 1. Cor. 1.30.

VII.

Vt autem doctrina de Redemptionis noſtræ diſpenſatione illuſtretur, in iuniorum gratiam tria hæc ordine, ſed breuiſſimè attingemus: 1. Initium. 2. τὴν ἐνδελεχισμόν. 3. & eius coronidem.

1. De initio hoc ſaltem annotaſſe ſatis fuerit, Deum Patrem, qui nos in Chriſto Ieſu filio ſuo elegit, antequam iacerentur fundamenta mundi, Eph. 1.4. & cui nota ſunt ab æuo omnia opera ſua, Actor. 15.18. pro immenſa ſua miſericordia καὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ, primos noſtros parentes prolapſos in peccatum & mortem, erudiiſſe & conſolatum fuiſſe, promiſſione gratiæ, de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, Gen. 3. 15. Ac tum Redemptionis ac collectionis Eccleſiæ initium fuiſſe, cum etiam tum temporis firmum eſſet illud: Nouit Dominus, qui ſint ſui: 2 Tim. 2.19.

II. De τῷ ἐνδελεχισμῷ illud ſtatuendum, ſapientiſſimo DEI conſilio, hominum, qui ſpiritu & corpore conſtant, cauſa, inſtitutam eſſe συστοιχείωσιν Miniſterij & cultus Externi ſeu literæ, & Interni ſeu ſpiritus, quæ duraret tota ſeculorum, quibus Eccleſiæ militandum eſt in his terris, ſucceſſione: ſic tamen, vt aliquid inter pædagogiam primæ ætatis mundi, vniúſque populi Iſrael regimen, & inter eiuſdem virilem ætatem & ſenectutem, & Catholicæ Eccleſiæ gubernationem, intereſſet. Gal. 4.1.2.3.4. Ideo ſæpe dicitur, Subſtantia quidem vnicum & æternum Dei Teſtamentum & fœdus (quo ſibi Electos ſuos iunxit.) ſed diſpenſatione duas eiuſdem Teſtamenti tabulas eſſe.

Vtitur eo ordine, qui ad Eccleſiam inſtaurandam, omnium eſt optimus. Etenim ἔξωθεν per Verbi & Sacramentorum miniſterium, ἔσωθεν per Spiritus ſancti ſubminiſtrationem, hæc omnia peragit, obſignat & teſtificatur.

1. Liberare ſeſe totam Eccleſiam à poteſtate tenebrarum: & eam transferre in regnum lucis, in quo illa habet Redemtionem per ſanguinem illius. Coloſ. 1.13.14.

2. Iure filiorum donatam, καὶ σύμφυτον, viuificare, vt fructum copioſum ferat. Rom. 6.5. Ioan. 15.5.

3. Vt autem magis magíſque caro quidem mortificetur, ſpiritus autem viuificetur, circumcidere eam ἀχειροποιήτῳ circumciſione, Coloſ. 2.11. ſanctifi-

care

care & regenerare eam purgatam lauacro aquæ per verbum, Ephes. 5. 25. ídque vt Christum induens, sancta sit, ἵνα ἄμωμος, Gal. 3. 27. Ephes. 5 27. alere eam cibo potúque spirituali, pane videlicet vitæ & aquis salientibus in vitam æternam, Ioan. 6. 1. Cor. 10. 3. & 4. Ac ne pietatis exercitia ei desint, non solùm σωματικὴν γυμνασίαν, sed etiam, & quidem præcipuè, λατρείαν præscribere & requirere, 1. Tim. 4. 8. & cruce σύμμορφον sibi facere, 2. Tim. 2. 12. Luc. 24, 26. Postremò, vnumquemque fidelium per mortem primam ad se in cœleste regnum traducere: vt sit tandem Deus omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. 28.

III. De Redemtionis nostræ coronide, quam Redemtor Christus suo tandem operi impositurus est, monent hæc dicta. Luc. 21. 28. Cum autem hæc fieri incipient, erigite & attollite capita vestra, quoniam appropinquat Redemtio vestra. Roman. 8. 23. Sed & ipsi, qui primitias Spiritus habemus, nos ipsi, inquam, apud nos ipsos suspiramus, adoptionem expectantes, id est, Redemtionem corporis nostri. Ephes. 4. 30. Per Spiritum sanctum obsignati estis in diem Redemtionis. Hæc Redemtio ἀποκατάστασις πάντων vocatur, Act. 3. 21. Vnde colligimus, cum salutis nostræ donum non sit διαδιαφύλακτον, vt quod obsignet omnipotens Dei virtus, non esse cur de perseuerantia nostra in gratia & fide Christi, addubitemus.

VIII.

Vt autem Catholica Dei Ecclesia credit, Iesum Christum in carnem veniisse, 1. Ioan. 4. 2. (Est enim τέλειος θεὸς, καὶ τέλειος ἄνθρωπος, ἐκ ψυχῆς λογικῆς, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκὸς ὑφεστάμενος. ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, ἐλάττων τοῦ πατρὸς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ὃς εἰ καὶ θεὸς καὶ ἄνθρωπός ἐστιν, ἀλλ' οὐ δύο ἀλλ' εἷς ἐστι χριστός. εἷς δὲ οὐ τροπῇ τῆς θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεόν. εἷς πάντως, οὐ συγχύσει τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἑνότητι τοῦ προσώπου, vt beatus Athanasius ait) sic eundem pro ipsa carne passum, 1. Pet. 4. 1. resuscitatúmque profitetur: & quæcunque Deus ille Redemtor in carne conspicuus factus, dicitur in diebus carnis suæ, Hebr. 5. 7. peregisse & perpessus esse, in Symbolo Apostolico ἱστορικῶς & distinctè intelligit & profitetur.

Nos iuniorum causa χρονολογίαν historiæ de Deo in carne conspicuo facto, ὡς ἐν τύπῳ, oculis subiiciemus.

Natus est Iesus Christus, filius Altissimi, de semine Dauid, ex Maria Virgine, anno mundi 3962. Circumcisus octauo die pòst, videlicet Calendis Ianuarij: Matth. 1. & 2. Lucæ 2.

Anno ætatis suæ 12, Hierosolymæ in templo, Paschæ tempore, diuinæ suæ sapientiæ specimen publicum edidit: Luc. 2.

Anno ætatis suæ 30, Christus à Ioanne Baptista in Iordane baptizatus, & illustri θεοφανείᾳ Messias declaratus, discipulos XII. vocauit, & Euangelium regni prædicauit.

Anno æt. 34, in quarto Ministerij sui Paschate, nostrum Pascha pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. 1. Corinth. 5. 7. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioann. 19.

Die Martij mensis 24, instituit Cœnam sacratissimam, μνημόσυνον sui, & habuit orationem & precationem ἀγωνίου. 25 crucifixus est.

26 Sabbatum magnum in sepulchro peregit. 27 Resurrexit propter iustificationem nostri.(Rom.4.25.)5 Maij,eodem anno,ascendit in cœlum: Act. 1.15.Maij,in Pentecostes festo effusus est Spiritus sanctus in Apostolos, sic vt variis linguis magnifica Dei opera celebrarent:Act.2.

De reditu Christi iam regnantis in cœlis ad dexteram æterni Patris, cum Apostolo Paulo Catholica Ecclesia testatur,in die nouissimo,Dominum,cũ hortationis clamore & voce Archangeli,ac Dei tuba descensurum è cœlo, ac iudicaturum viuos & mortuos,1.Thess.4.16.Matt.25.

IX.

Iam vt ἀναστατικῶς differentes,Pontificiorum errores,de Sanctorum meritis & intercessione:de Papa, qui se Ecclesiæ caput & Christi vicarium esse falsò contendit,demoliamur,sic argumentamur secundum ordinem articulorum Symboli Apostolici de Christo.

1. CREDO. Si in Sanctos non est credendum, tum non sunt in Redemtionis opere,Deo Redemtori,ceu σύνεργοι adiungendi.Sed prius est.Nam & in Deum,non in creaturas credendum est, & Sanctis quoque opus fuit & est Redemtore.Igitur & posterius.

2. IN IESVM. Si Sanctorum meritis vel χτ' μέρος remissio peccatorum nostrorum debetur,tum sequitur, non solum Christum illum Domini esse Iesum,sed etiam alios multos.Atqui,teste Angelo, solus ille Christus Domini est Iesus:id est,is qui liberat populum suum à peccatis ipsius:Matth. 1. 21.Ergo sequitur, nequaquam Sanctorum meritis vel χτ' μέρος remissionem peccatorum acceptam ferendam esse.

3. CHRISTVM. Si ἀξίωμα ἀρχιερατικὸν,καθηγητικὸν, καὶ βασιλικὸν in solidũ vni Christo competit,tum verò,non sine grandi sacrilegio, pars aliqua intercessionis,prætorię potestatis,in interpretanda Scriptura,& dominij in Ecclesiam, vel vita hac defunctis Sanctis, vel vllis superstitibus decerpi tribuíque potest.

Verum est antecedens.

Verum igitur & consequens.

4. DOMINVM NOSTRVM. Si ideo solus Christus est Dominus noster,quia idem solus est conditor & caput corporis sui,hoc est, Ecclesiæ, salutem ei præstans:tum sequitur,Papam Dominum Ecclesię,seu caput succenturiatum non esse.

Verum est antecedens.Eph.5.23.Hebr.3.4.6.

Verum igitur & consequens.

5. QVI CONCEPTVS EST DE SPIRITV SANCTO, NATVS EX MARIA VIRGINE.

Si Iesus Christus,filius Altissimi,secundum carnem, de semine Dauidis, ex Maria virgine natus est,& fratribus per omnia similis factus est : tum sequitur,commentitiam esse transsubstantiationem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem Christi,quam in Missa sua, vi verborum consecrationis,Pontificij fieri putant. Neque enim vel bicorporeus est Christus, vel idem vnúmque eius corpus, tum ex substantia Virginis matris, tum ex disparatis panis viníque substantiis,conflatum censeri potest.

Sed

Sed verum est antecedens. Rom. 1.3. Hebr. 2.17.
Verum igitur & consequens.

X.

6. PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS. Si solus Christus nostra causa crucifixus, vnica oblatione in perpetuũ consecrauit eos qui sanctificãtur, nósq; liberauit ab execratione Legis: nec quisquam alius, ne quidem Apostolus, pro nobis crucifixus est: tum verò ruit alto à culmine Missa, quæ quotidie à sacrificulis celebratur: & fiducia meritorum eorum, quæ Sancti, tum agendo, tum patiendo, sibi aliisque parasse dicuntur: Heb. 10.14. Ga. 3.13.14. Et notum est illud: Num Paulus pro vobis est crucifixus? 1. Cor. 1.13.

Ergo & consequens certum est.

7. MORTVVS ET SEPVLTVS. α. Si Christi solius mors est λύτρον pro peccatis nostris, & si Christus sepultura sua nostra cœmeteria sanctificauit: tum sequitur, Martyrum martyria non esse pretium Redemtionis nostræ, ac frustra Pontificios thure, aqua lustrali, & aliis nugis sepulchra consecrare.

Vera sunt quæ antecedunt.
Vera igitur & quæ consequuntur.

β. Si non nisi cruento Iesu Christi sacrificio, semel oblato, purgari, potuerunt conscientiæ nostræ à peccatis: tum verò non est, cur incruentum Missæ sacrificium, viuis & mortuis, ad salutem prodesse, putemus.

Verum est antecedens, iuxta dicta: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo, purgabit conscientiam vestram à mortuis operibus, ad seruiendum Deo viuo. Item: Alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo (si videlicet Christum oporteret sæpius se offerre Deo Patri victimam piacularem & expiatricem:) sed nunc semel in consummatione seculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus est. Hebr. 9.14.26.

8. DESCENDIT AD INFERNA. Si Christus omnes dolorum formas, mortísque adeò & inferni tormenta nostra causa tulit & superauit, purgatorij autem dolores nec subiisse, nec toleraſſe legitur, tum sequitur hos esse fictitios.

Verum est antecedens.
Ergo & consequens.

Ratio consequentiæ: quia alioqui sequeretur, aliquos dolores Christum tum in vita, tum in morte, non tulisse nostra causa.

9. TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS. Si Christus solus resuscitatus est propter Iustificationem nostri, & vt in ipso spiritualiter nunc resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus, & vt olim resurrecturi simus ad æternam vitam, promeritus nobis est: tum sequitur, non vllis sanctis hominibus, eorúmve meritis, sed soli Christo, iustificationem nostri, sanctificationem & resurrectionem à mortuis acceptam ferendam esse.

Vera ſunt,quæ antecedunt.Rom.4.25.& 6.4.1.Cor.15.20,Ergo,&c.

10 ASCENDIT AD COELOS. Si Chriſtus aſcendit in cœlum,tum ſequitur,nequaquam eſſe localiter in ciboriis armariiſque Pontificiorum: ac in theatrica circumgeſtatione & oſtentatione, libum illud cruſtaceum non eſſe Chriſtum,ſed idolum Maoſim,de quo Daniel.

Verum eſt antecedens.

Verum igitur & conſequens.

11. SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS. Si is ſolus,qui ad dextram Dei Patris ſedens, ſemper viuit, vt interpellet pro nobis, eſt pro interceſſore habendus:tum verò Sancti pro interceſſoribus habendi non ſunt, tum quia amore ſtudióque noſtri & virtute cum Chriſto conferri nequeũt, tum quia ignari ſunt noſtri:Iſa.63.16.

Verum eſt antecedens,iuxta dictum:Propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium. Vnde & ſeruare prorſus poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper viuens,vt interpellet pro eis, &c. Hebr. 7. 24.25.

12. INDE VENTVRVS EST IVDICARE VIVOS ET MORTVOS. Si Chriſtus ſolus auctoritatem de ſalute noſtra pronunciandi & ſtatuendi à Patre accepit,& ſi idem ſolus iudicaturus eſt ſuo tempore viuos & mortuos: tum non eſt,cur Papa ſibi etiam nunc ſumat iudicium de vtriſque, ſic videlicet,vt ſuperſtites à ſe diſſentientes,pro ſua libidine damnet:vel pro ſuo libitu,peccata iis interdum non ſolùm remittat,ſed etiam permittat,vt inceſtas nuptias, & impunitatem parricidij & fratricidij, Sodomiæ & aliorum ſcelerum,de quibus in Taxa S.pœnitentiariæ agitur:pro iis autem,qui vita hac functi ſunt, deprecationes, interceſsiones, & ſacrificia, quæ illos è tormentis liberent,præſcribat.

Verum eſt antecedens,iuxta dictum: Neque enim Pater iudicat quenquã, ſed omne iudicium dedit Filio.Ioan.5.22.

Verum igitur & conſequens.

CORONIS.

Vt natiua ſignificatio vocabuli ἀπολύτρωσις iunioribus innoteſcat,adſcribere viſum eſt verba Ariſtotelis,quæ extant Ethicorum ad Nicomachum lib. 9.cap.2.ἴσως δ' ἂ τοῦτο ἀεί,οἷς τῷ λυτρωθέντι πρὸς λητῶν,πότερον τὸν λυσάμενον ἀνπλυτρωτέον,κἂν ὅστις αὐ ἦ ἢ μὴ ἐαλωκότι,ἀπαιτεῖντι δ' ἀποδοτέον,ἢ τὸν πατέρα λυτρωτέον. δόξειε γὰ ἂν ἢ ἑαυτῦ μᾶλλον τὸν πατέρα.

DECAS QVARTA

THESIVM DE HISTORIA FIDEI CHRIstianæ: de qua in publica Συζητήσει Theologiæ Candidatorum in Academia Basilienſi, Præſide Ioanne Iacobo Grynæo, S. Theologiæ Doctore, ad diem 15. Martij, reſpondit HERMANNVS PETRI. Suollanus.

AD

Nobiliſsimum Iuuenem, Dn. ADRIANVM BORCK, Pomeranum, ſtemmatis, genere, virtute & ingenio

Δίφυέστατον καὶ ἀγχυέστατον.

Δημοδένης ἐρωτηθεὶς τί ἄνθρωπος ἔχει ὅμοιον θεῷ, ἔφη, τὸ εὐεργετεῖν καὶ τὸ ἀληθεύειν.

FIDELES ELECTI IN SANCTIFIcatione ſpiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis CHRISTI.

NON tibi ſumme pater ſat erat producere mundum,
Et dare cultori cuncta fruenda tuo.
Nec tibi nate Dei amiſſam reparare ſalutem,
Et noſtrum immerita morte piare ſcelus.
Sed magis vt noſtrum afficiant hæc omnia ſenſum,
Teſtem animi nobis mittis vterque tui.
Spiritus ille ſacer, verus Deus, arbiter orbis,
Omnia quæ fuerant interitura fouet.
Mentibus occultum noſtris inſpirat amorem,
Illis vt Chriſto ſit ſine, dulce nihil.
Pérque fidem capiti mortalia pectora iungit,
Partáque quæ Chriſti ſunt cruce, noſtra facit.
Sanctificátque pios cœtus, illuminat, ornat,
Et tandem è tertis ad ſua regna vocat.
O amor æterni patris, ô ſapientia nati,
Quis dignis tantum laudibus ornet opus?

Ioannes Sanderus.

DE SANCTIFICATORE DEO

THESIVM DECAS.

I.

PROPOSITVM nobis eſt, σὺν θεῷ, κατὰ συλλογισμοὺς demonſtrare, Filium Dei, Conditorem & Redemptorem noſtrum, per Spiritum ſanctum, Eccleſiam catholicã ſanctificare ſua veritate, vt ſit communio Sanctorum. Cæterùm demonſtrationum, quas adducturi ſumus, fontes ſunt, duo Articuli Symboli Apoſtolici: Credo in Spiritum ſanctum: credo ſanctã Eccleſiam catholi-

cam, sanctorum communionem. & illud præclarum oraculum: Et scient gẽtes, quòd ego Iehouah sanctifico Israel (id est, omnes fideles) cum fuerit Sanctuarium meum in medio eorum in perpetuum. Ezech. 37.28.

II.

I Quis per quem, & cuius ministerio sanctificet.

Quemadmodum is demum rectè dicitur Sanctificationis nostræ ἄιτιον κύριον, qui per se ἀναμάρτητος, & à se sanctificatis sic ὁμοούσιος est, vt eosdem insititios suos conformes sibi efficiat: ita verè συναίτιον principale is agnoscitur, qui illi nos inserit, insertos regenerat, regenitos in omnem veritatem ducit, seu illuminat, consolatur, regit & vngit: συνέργοι denique sunt, quibus delegata est à Deo muneris functio, quæ foris ea testatur, offert & obsignat, quæ intus diuina virtute & sapientia verè suggeruntur, offeruntur & obsignantur in sanctificatis.

Sed Dominus noster Iesus Christus solus ἀρχιερεὺς ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν (Heb. 7.26.) is est, qui & coessentialis nobis est, & qui nos sibi conformes efficit. Iuxta dicta: Ο, τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες: quam ob causam non erubescit fratres eos vocare: Heb. 1.2.11. Item: Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus. Rom. 6.5. Spiritus sanctus, Christo nos iungit & inserit in vnum corpus. 1. Cor. 12.13. τῇ παλιγγενεσίᾳ innouat. Ioan. 3.5.6. in omnem veritatem deducit, id est, docet omnem veritatem. Ioan. 16.13. Luc. 12.12. solatur & erigit. Ioan. 16.7. gubernat Dei filios. Rom. 7.14. ac vnctio illius & institutioni & protectioni Ecclesiæ seruit. Iuxta dicta: Sed vnctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis, nec necesse habetis, vt quisquam doceat vos: verùm sicut eadem vnctio docet vos de omnibus, quæ & verax est, & non mendax. 1. Ioan. 2.27. Ne tangatis Christos meos, & Prophetis meis ne malefaciatis. Psal. 105.15. Ministri denique verbi Dei Legem & Euangelium piè prædicando, & Sacramenta, Baptismum videlicet & S. Cœnam, διχημόνως administrando, ea nobis ἔξωθεν annunciant, offerunt & obsignant, quæ ἔσωθεν Christus Iesus per Spiritum sanctum docet, exhibet, obsignat. Iuxta dicta: Etenim Dei sumus administri: Συνεργοὶ: 1. Cor. 3.9. Et paulò superius versu 5. Quis igitur est Paulus, quis autem Apollos, nisi Ministri per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit? Item: Posteaquam credidistis Euangelio, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto. Ephes. 1.13.

Quare manifestum est, Dominum Iesum Christum πελετάρχην nostrum, ἔσωθεν per Spiritum sanctum, ἔξωθεν per fideles Ecclesiæ Ministros, Ecclesiam suam sanctificare. Ex hac demonstratione colligimus: 1. Ordinariam sanctificationis nostræ dispensationem, requirere τὴν συζυγίαν Ministerij interni & externi. 2. Non fas esse Ministerium externum ἐξωθενίζειν, propterea quòd omnis eius vis & vsus ab interno pendet, & quòd Spiritus sancti propria est ἡ πελεταρχὸς δύναμις. 1. Cor. 3.7.3. Non tamen ἁπλῶς, sed secundum quid succenturiato Ministerio ea deferenda, quæ sunt principis seu interni. Ioan. 20.23.4. Accuratè distinguenda ἀποτελέσματα Christi Iesu, & Ministrorum Ecclesiæ, vt suæ cuique munerum functiones & actiones distinctè tribuantur, vt Baptista sese & alios Noui Testamenti Ministros aqua baptizare, solùm Christum

Christum spiritu baptizare, eo consilio (συνεκδοχικῶς loquens) fatetur, vt idē de Verbi & Sacramentorum λειτουργίᾳ in vniuersum esse statuendum, intelligamus. Matth. 3. 11. 5. Pijs, non in ceremoniarum cortice, & literæ exercitijs corporalibus acquiescendum: sed spiritum, semper & in omnibus verę religionis partibus, per fidem esse sectandum. Rom. 2. 29. & 12. 1. 1 Timoth. 4. 8. Hebr. 11. 4.

III.

Enimuerò cum Deus elegerit nos ab initio ad salutem per sanctificationē Spiritus, & fidem habitam veritati. 2 Thess. 2. 3. sancti Spiritus, cum æterno Patre & Filio coæterno ὁμοουσίαν, & distinctam ὑπόστασιν, contra πνευματομάχους Macedonianos: processionē a Filio, vt & à Patre, contra Græcos & Moscouitas: & denique διαίρεσιν χαρισμάτων, contra Enthusiastas, hoc modo demonstramus.

Spiritus sancti θεότης, ὑπόστασις, καὶ διαίρεσις.

De quocunque verè & ἀναντιῤῥήτως in diuinis Scripturis hæc dicuntur: 1. Quòd sit vnus cum æterno Patre & coæterno Filio Iehouah: ὁμόπιμος, mundi conditor & conseruator, & Ecclesiæ sanctificator. 2. &, Quòd nec Pater nec Filius sit, sed alius ab vtroque Paracletus, vtriusque tamen proprius Spiritus: virtute infinita, voluntatis libertate, loquēdi agendíque facultate summè excellens. 3. denique, Quòd rectè factis delectetur, non rectè dictis & factis offendatur, agátque liberrimum, sapientissimum, optimum & potentissimum donorum & beneficiorum Dei promum & condum: Eum verò quis dubitet esse φύσει θεὸν, personam characteristicā proprietate à Patre & Filio distinctam, & tamen ab vtroque procedentem: & nostrę sanctificationis ἐργοδιώκτην καὶ τελειώτην: non autem ipsas qualitates motúsque religiosos in nobis excitatos?

Atqui de Spiritu sancto solo, illa, quæ ex Scripturis sanctis adduximus, vniuersa verè dicuntur: vt ex istis dictis, quæ breuiter allegabimus, liquet.

1. Quæ de Iehouah exercituum dicuntur toto capite 6. Isaiæ, ea Paulus de Spiritu sancto interpretatur, Actor. 28. 25. Est igitur Iehouah Zebaoth. Quòd autem ὁμόπιμος sit, ex Baptismi institutione, fidéique cultu liquet. Matth. 28. 19. Præclarè sanè Basilius Magnus: Baptizari, ait, nos oportet, sicut accepimus: credere autem sicut baptizamur: glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Eundem Spiritum, mundi quidem conditorem esse, Moses Genes. 1. 2. Dauid Psalm. 104. 30. testantur: Ecclesiæ verò sanctificatorem esse iam ostendimus.

2. Quòd idem distincta persona sit, ex his dictis colligimus. Et nunc Dominus Iehouah misit me, & Spiritus eius. Isaiæ. 48. 19. Item: Ego autem, inquit Christus, rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: nempe Spiritum illum veritatis. Ioann. 14. 16. 17. Item: Quoniam autem estis filij, emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est, Pater. Galat. 4. 6. Iam verò quòd idem Spiritus ab ijs procedat quorum esse

dicitur, inter pios extra controuersiam est. Esse autem non Patris solùm, sed & Filij Spiritum, ex iam adducto Pauli testimonio liquet: cui illud ex Rom. 8.9. adiungimus: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus Dei habitat in vobis. quòd si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. Immensam porrò eius virtutem, Dauid Psal. 139.7. libertatem voluntatis, Synodus Hierosolymitana, Act. 15.27. & Paulus Apostolus 1. Cor. 12. 11. Locutionem Ezechiel propheta, cap. 2.2. Lucas Euangeliographus, Act. 10. 19. & 13.2. vim agendi & actiones quæ propriæ sunt τῆς ὑποστάσεων, totus Prophetarum, Apostolorum & fidelium chorus, ὁμοθυμαδὸν, agnoscit & celebrat. Ac vt de postremo hoc solùm dicamus, Sola ὑπόστασις potest descendere & visibilem formam assumere: qualitas creata non potest. Constat autem in illustrissima illa θεοφανείᾳ, quæ tum edita fuit, quando Iesus Christus baptizatus fuit, descendisse Spiritum sanctum corporea specie, tanquam columbam, supra eum. Luc. 3.22.

3. Quòd autem offendatur τῇ ἀνομίᾳ, Paulus expressè testatur, Ephes. 4. 30. Et ne tristicia afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. & quòd διαιρέσεις χαρισμάτων eiusdem Spiritus sint, idem Apostolus affirmat, dicens: Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus distribuens priuatim illa singulis sicut vult. 1. Corinth. 12. 11. Disertè auctorem τῆς χαρισμάτων, & ipsa dona, tanquam illius effecta, discernit Paulus.

Ex his omnibus concludimus, Spiritum sanctum esse naturà Deum: distinctam à Patre & Filio (à quibus tamen ille procedit) personam: & omnium donorum auctorem, cultu fidei & caritatis vnà cum Patre & Filio nobis summè colendum.

IIII.

3 Quòd nō nisi Ecclesia sanctificetur.

Quòd autem Ecclesiam catholicam Spiritus Christi (qui non solùm ab essentia, sed etiam à sanctificationis nostræ τῇ ἐνεργείᾳ, sanctus dicitur) verè sanctificet, hoc modo demonstramus.

Nihil dubium est, eam tantùm generis humani partem sanctificari, quæ fidei, caritatis & spei donis instructa, segregatur à profanorum Atheorum, qui perseuerant in incredulitate & inimicitijs aduersus Deum, multitudine & colluuie. Etenim ἁγιασμὸς, sanctificatio, phrasi Hebræa, est electionis testimonium (1. Pet. 1.2. Delectis ex prænotione Dei patris, ad sanctificationem Spiritus.) & ἀφορισμὸς, seu segregatio quædam, qua Deo peculiariter deuoti & consecrati à mundo seiunguntur, qui τοὺς ἔξω complectitur, quemadmodum Ecclesia τοὺς ἔσω. 1. Cor. 5. 12.

Sola autem Ecclesia catholica eum ad modum segregatur à mundo. Quemadmodum enim Caput eius ex supernis est, non ex hoc mundo: Ioann. 8. 23. ita Apostoli & alij fideles sanctificatione segregati à mundo, dicuntur. Ioan. 15. 19. Si ex mundo fuissetis, mundus quod suum est amaret: quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. 1. Ioann. 4. 5. & & 6. Ipsi è mundo sunt, ideo mundana loquuntur, & mundus eos audit. Nos

ex.

ex Deo sumus,&c.

Sola itaque catholica Ecclesia sanctificatur,eóque nomine sancta nuncupatur in Symbolo Apostolico:& singuli fideles dicuntur ἅγιοι,sancti,siue sint superstites,vt Act.9.32.Sancti qui Lyddæ habitabant.siue fato functi, Matt. 27.52. De particulari cœtu fidelium Corinthiorum scribit Paulus : Ecclesia Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu , vocatis Sanctis. 1.Corinth.1.2.

V.

De Sanctificationis nostræ Causis efficientibus principalibus & organicis,déque Subiecto, cum κεφαλαιωδῶς dictum sit : postulat instituti nostri ratio, vt de Materia & Forma ὡς ἐν τύπῳ agamus.

4. Quod propter Christum solùm sanctificetur,Ecclesia.

In quo,& cuius meritorum respectu electi,vocamur efficaciter & κατ' ἰδίαν: & vocati iustificamur per remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ ipsius,in eodem & sanctificamur , seu is sanctificationis nostræ materia rectè dicitur.Etenim indiuiduo nexu hæ gratiæ sic cohærent,vt separari à seinuicem,& aliæ aliis acceptę ferri nequeant,Rom.8.30.Quos prædestinauit, eos etiam vocauit,& quos vocauit,eos etiam iustificauit:quos autem iustificauit , eos etiam glorificauit.

Atqui in Christo & propter Christum electi , vocati & iustificati sumus. Iuxta hæc dicta : Elegit nos in Christo , antequam iacerentur fundamenta mundi:Eph.1.4.Qui seruauit nos,& vocauit vocatione sancta : non ex operibus nostris , sed ex suo proposito & gratia , quæ data quidem est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: 2.Timoth. 1. 9. Scientes non iustificari hominem ex operibus Legis,sed per fidem Iesu Christi:etiam nos, inquam , in Christum Iesum credidimus , vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis:propterea quòd non iustificabitur ex operibus Legis vlla caro.Gal.2.16.

Quare in eodem & propter eundem sanctificati,ac in Christo omnia bona nobis contineri , vt de plenitudine eius accipiamus omnes gratiam pro gratia,plenè persuasi:Ioan.1.16.cum Paulo Apostolo concludimus:Ex ipsius æterni Patris dono,nos quoque esse in Christo Iesu ,qui factus est nobis sapientia à Deo,iusticiáque & sanctificatio & redemtiò,vt,sicut scriptum est, Qui gloriatur,in Domino glorietur:1.Cor.1.30.31.Ier.9.13.

VI.

Iam verò,cum Sanctificationis vocabulum ἡρικῶς sumtum,complectatur omnia illa Dei Patris opera,quæ ille ad nos instaurandos per Christum Iesum virtute sancti Spiritus efficit , de forma Sanctificationis nostræ in hunc modum pronunciamus.

5. Qua ratione sanctificemur,& quibus constet ἁγιασμὸς.

Sanctificatio totius Ecclesiæ , nihil est aliud quàm separatio vasorum gratiæ seu electorum & fidelium , & vasorum iræ seu infidelium , qui iidem reprobi dicuntur : & illius seiunctionis adoptionissque euidens & efficax testimonium in cordibus illorum : quod

nunqnam est sine gratuita absolutione à noxa & sine dono iusticiæ, quæ vitæ æternæ principium est in iis omnibus, qui mira quadam παλιγγενεσίᾳ renouantur à Spiritu sancto, vt discant Deo viuere.

Efficit autem hæc omnia Deus, cum nos in Christo Iesu filio suo olim electos, quando ei visum est vocat, iustificat, regenerat. Iuxta dictum: Nempe vt in pleni temporis dispensatione recolligeret omnia in Christo (ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ χριστῷ) tum quę in cœlis sunt, tum quę in terra: in ipso, inquam, in quo etiam electi sumus, cum essemus prædestinati secundum propositum eius, qui omnia efficit ex consilio voluntatis suæ. Eph. 1. 10. 11.

Complectitur itaque sanctificatio Ecclesiæ catholicæ, eius electionem, vocationem, iustificationem & regenerationē, quibus illa discernitur à profana multitudine reproborum seu infidelium, qui in Christo electi nō sunt: nec efficace & saluifica vocatione illuminantur & segregantur de mundo, etiamsi interdum vocatio vniuersalis illis non deest, sed quę in testimonium eisdem cedit: nec iustificantur à peccatis, sed in illis manent: nec denique regenerantur, sed in peccatis vt nascuntur, ita quoque miserè pereunt.

Quemadmodum autem in eodem homine, Anima corpus viuificat, vegetat, conseruat: & vim sentiendi, locomotiuam, agendíque principia ei subministrat: ita in Ecclesia, quæ Iesu Christo σύσσωμος, mysticum eius corpus est, vnus idémque spiritus, membra iungit capiti: & illa viuificando, illuminando, gubernando, sanctificat. 1. Cor. 12. 13. Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & omnes vna potione potati sumus in vnum Spiritum.

VII.

6 Qui sint fines proximi Sanctificationis Ecclesiæ catholicæ.

De proximis & subordinatis finibus sanctificationis Ecclesiæ, qui sunt instauratio fidelium & communio sanctorum, sic argumentamur.

Non est alia ratio dispensationis τοῦ ἁγιασμοῦ totius Ecclesiæ, quàm quæ est eius partium. Loquimur de iis qui vniuocè dicuntur filij regni, & ciues Ecclesiæ, seu viua membra Christi: ac de his dicimus, ea ratione instaurari & sanctificari, qua tota catholica Ecclesia restituitur in integrum. Neque enim diuersos nostrę τῆς ἀποκαταστάσεως modos, Deus, qui idem semper, sibíque similis est, adhibere, in diuinis Scripturis vsquam dicitur.

Atqui Paulus Apostolus Thessalonicensibus suis precatur, vt Deus pacis auctor sanctificet eos totos: vt integer eorum spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur: quòd fidelis sit Deus qui eos vocasset, & qui ista efficeret. 1. Thessalon. 5. 23. 24.

Quare de sanctificatione totius catholicæ Ecclesiæ, idem planè statuentes: cum Paulo Apostolo ad Dei sanctificatoris gloriam, dicimus: Bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: quem effudit in nos copiosè per Iesum Christum seruatorem nostrum. Tit. 3. 4. 5. 6.

De

De sanctorum communione, sic argumentamur. Quorum est vna eadémque fides, iis communia sunt omnia illius obiecta, videlicet Deus Pater, Filius μεσίτης καὶ ἱκέτης, Spiritus sanctus arrhabo hæreditatis, doctrina Legis & Euangelij, Testamentum æternum, circumcisio cordis, lauacrum regenerationis, alimonia interni hominis, pietatis exercitia spiritualia, denique omnia instaurationis ipsorum præsidia.

Fidelium omnium in vetere & nouo Testamento (quorum τῇ ὁπισωαγωγῇ catholica definitur Ecclesia, quæ temporum certorum & locorum κέντρῳ καὶ διαστήματι non circumscribitur) vna eadémque fides fuit: vt scientiæ parandæ altero instrumento, videlicet Inductione adhibita, Apostolus noster præclarè καὶ δεικτικῶς ostendit, Heb. 11.

Quare illa superius commemorata, & eis cognata, συνεκδοχικῶς complectentes, cum eodem Apostolo, de κοινωνίᾳ ἁγίων pronũciamus: Vnum est corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnnm baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis. Sed vnicuique nostrûm data est gratia pro mensura doni Christi. Eph. 4. 4. 5. 6. 7.

VIII.

Vt autem ea quæ diximus omnia illustrentur, Ecclesiæ περισκοπτικὴν, præcipua capita doctrinæ complectentem, didascalicè subiungemus, ita tamen vt non nisi suprema rerum maximarum fastigia, velut exerto digito mõstremus. Obseruent itaque piæ mentes Ecclesiæ. 1. Corpus. 2. Caput. 3. Spiritum. 4. Membra. 5. Lapsum. 6. Restitutionem, & in ea religionis doctrinam & exercitia. 7. Militiam. 8. Triumphum. 9. Fines subordinatos & vltimum.

1. De Corpore Ecclesię: Sicut, inquit Paulus, corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius, multa cùm sint, vnum sunt corpus: ita & Christus. 1. Corinth. 12. 12. Christi autem nomine hîc μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, vt verbis Symboli Niceni vtamur, intelligit Apostolus. Vt autem extra hanc Ecclesiam non est salus, sic vnam eandémque Veteris & Noui Testamenti Ecclesiam esse statuendam, nihil dubium est.

2. De Capite Ecclesiæ, idem Apostolus: Christus, ait, est caput Ecclesiæ: & is est qui dat salutem corpori. Eph. 5. 23. Is demum caput Ecclesiæ est, qui ei dat salutem. Christus Iesus, ἄνθρωπος, dat ei salutem: Papa verò Romanus, ne quidem sibi ipsi salutem dare potest, nedum Ecclesiæ. Quare ille solus, succenturiato capite non opus habens, Ecclesiæ princeps est.

3. De Spiritu mysticum Christi corpus iungente & membra viuificante, hæc præclara dicta extant. Roman. 8. 9. Spiritus Dei habitat in vobis. quòd si quis spiritum Christi non habet, is non est eius. 11. Sed si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem eius Spiritum in vobis. 1. Corinth. 12. 13.

Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes vna potione potari ſumus in vnum Spiritum. Ex iſtis omnibus colligimus, primùm à Spiritu ſancto nos viuificari, baptizari, ſpirituali alimonia ſuſtentari, confirmari, illuminari: deinde Eccleſiæ corpus eſſe συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον. Eph. 4. 16.

IX.

4. De Membris myſtici corporis Chriſti (qui aliàs συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ vocantur, Epheſ. 2. 19.) elegantiſſimè dicitur: Quemadmodum enim in vno corpore membra multa habemus, membra verò omnia non habent eandem actionem: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alij aliorum membra. Rom. 12. 4. 5.

Hîc duo notabunt pij iuuenes, Membrorum videlicet Diſtinctionem & Numerum.

Paulus ipſe diſtinguit membra, id eſt fideles, ſecundum honorem, εὐχημοσύνην, χρείαν: & tamen omnia illa neceſſaria, & mutuam inter ea συμπάθειαν eſſe, vbi docuiſſet, officiorum gradus, tã fixos quàm temporarios, quibus οἱ περισσότεροι cæteris ſeruiunt, non autem καταξιοῦσιν, his verbis percenſet: Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò doctores, deinde (conſtituit) poteſtates, deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. 1. Corinth. 12. 28. Priuilegium autem & ius ſedentium in Eccleſia ſartum tectum Apoſtolus eis eſſe vult: Prophetæ, dicens, duo aut tres loquantur, & alij diiudicent. Item: Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiiciuntur. 1. Corin. 14. 29. 32.

Quemadmodum autem frugi prudentíque Patrifamiliàs, optimè noti ſunt familiares omnes: ita, Fundamentum ſolidum ſtat, habens ſigillum hoc, Nouit Dominus qui ſint ſui. 2. Timoth. 2. 19. Quis ergo dubitet eſſe certum, Deóque ſoli, qui librum vitæ conſcripſit, cognitum, numerum fidelium ſeu ſaluandorum?

5. 6. De Lapſus & Reſtitutionis auctoribus, Paulus: Sicut, ait, in Adam omnes moriuntur: ita in Chriſto omnes viuificabuntur, 1. Corint. 15. 22. Item Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam, iuſti conſtituentur multi. Rom. 5. 19.

Religio, quæ nulla ſine veritate hoc nomine digna eſt, Legis & Euangelij ſapientia, & τῇ λογικῇ λατρείᾳ, quam Apoſtolus pietatem vocat, omnibus temporibus conſtitit. Quòd autem non Spiritu tantùm, ſed etiam Corpore conſtaret homo, præſcripta illi fuit σωματικὴ γυμνασία, & ceremoniarum, operúmque moralium obſeruatio, cui nihil addendum, nihil ab homine detrahendum erat. Fatendum autem eſt, externum Dei cultum hominum ætatibus accommodatum fuiſſe, & eo nomine initiò παιδαγωγικὸν, poſtea verò ἐλεύθριον obtinuiſſe, cum interim vna eadémque eſſet religionis ſapientia, cuius tamen lux aliàs obſcurior, aliàs illu-

illustrior fuit. Gal.3.24.25.& 4.3.

X.

7. De Ecclesia militãte,breuitatis studio, Aphorismum vnum aut alterum aspergemus.Ecclesia,inquit Augustinus,velut lilium inter spinas, malis & bonis permixta est. Gregorius : Ecclesiam,ait, Christus crucis hæredem constituit. Præclarè Apostolus : Si,inquit,cum Christo mortui sumus,cum eo etiam viuemus.Si toleramus,etiam cum eo regnabimus. 2. Timoth.2.11.12.

8. De Triumphante Ecclesia hæc dicta accipimus,Tunc iusti fulgebunt vt sol,in regno Patris sui,Mat.13.43. Tunc dicet Rex iis à qui ad dextram illius erunt,Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi.Matt.25.34.

9. De subordinatis & vltimo fine, Paulus per Spiritum sanctum in hũc modum pronunciauit : Quòd si filij,etiam hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si modò simul cum eo patimur, vt simul cum eo glorificemur. Nam statuo minimè esse paria quæ præsenti tempore perpetimur,futuræ gloriæ in nobis retegendæ.Roman.8.17.18. Item : Deus erit omnia in omnibus.1.Corinth.15.28. Item : Semper cum Domino erimus.1. Thess.4.17.

Det nobis Dominus Iesus Christus ὁ ἐξιάζων ἡμᾶς, vt ad eum exeamus extra castra,opprobrium eius portantes. Non enim habemus hic sitam ciuitatem,sed futuram inquirimus. Per ipsum assiduè offeramus Deo sacrificium laudis, id est,fructum labiornm confitentium nomini eius. Amen. Heb.13. 13.14.15.

Quæritur.

1. Recténe Augustinus dixerit:Ecclesiæ caput humanitas Christi, anima & vita ipsa diuinitas?

2. Quid deferendum sit dicto Gregoriano:Ecclesię militantis ordines, Ecclesiæ triumphanti conformari debent?Regist.lib.5.

DECAS QVINTA
THESIVM DE HISTORIA FIDEI CHRISTIANÆ,*in qua de Iustificatione agitur. De ea autem in publica Disputatione, 26. Aprilis in Theologorum Auditorio, Præside*
D. IOANNE IACOBO GRYNAEO,*respondit* IANVS HORTENSIVS LAVSANNENSIS.

AD

Nobilissimum iuuenem,IACOBVM BIORNONEM, DANVM, Magnifici viri D. BIORNONIS ANDREAE, Consiliarij inclyti Regni Daniæ,& Domini in Steinholt & Biornsholm,Filium.

*Psal.*138.6.

Excelsus Iehouah,& tamen humilem intuetur,&
excelsum è longinquo cognoscit.

Ἐνδεκάστιχον

DE GRATVITA ELECTIONE ET REDEMPTIONE GENERIS HVMANI.

Ad nobilissimum & omni virtutum genere ornatiss. Iuuenem,
D. IACOBVM BIORNONEM DANVM.

NVllus ab interitu miseros qui vindicet, vsquam est.
Nulla, nisi in CHRISTI sangnine, certa salus.
Quid iuuat ingentem meritorum accersere molem,
Si nihil hæc, vitam cur mereantur, habent?
Gratia CHRISTE tibi, cuius nos gratia seruat,
Nos vbi nostra graui crimina mole premunt.
In te nos Genitor iam primo elegit ab æuo
Cum nondum rebus forma, colórue, foret.
Quis satis hæc dignis celebret mysteria verbis?
Altius est nostris mentibus illud opus.
Nil probat, oblati nisi mortem & vulnera Nati.
His solis saluos nos iubet esse, Pater.
Sic tamen, interea sit vt hæc electio constans,
Hinc etenim bonitas lucet, & inde Dei.
Gratia summa Patris, Gnati quoque gratia summa est,
His sine nostra salus nulla futura fuit.
Nam Pater electos per CHRISTI vulnera seruat,
Ex quibus vt largo flumine vita fluit.
Decretum exequitur Patris immutabile, Natus,
Crimina, dum pendens in cruce, nostra luit.
Quam fuit hæc nostræ concordia mira salutis,
Gaudia sollicitis hæc dare quanta potest?

Iohannes Sanderus Lunæb.
Saxo.

DE REMISSIONE PECCATORVM, SEV de Iustificatione Thesium Decadis primæ Emptæ.

I.

VOD benè vertat Dominus noster Iesus Christus, propositum nobis est, Articulum Symboli Apostolici: CREDO REMISSIONEM PECCATORVM, ad gloriã Dei nos iustificantis, & piarum mentium institutionem & consolationem, religiosa τῇ συζητήσει tractare & illustrare.

Initiò autem testamur, ὃν διὰ παντῶν (quod veteri prouerbio dici solet) Ecclesiarum nostrarum ex præscripto diuini verbi reformatarum, de Iustificatione sententiam verè ὀρθόδοξον, distare à Pontificiorum, Romanæ videlicet Ecclesiæ sectatorum opinione, quæ reuera est ἑτερόδοξος, cùm è diametro verbo Dei repugnet.

Nos

Nos etenim è Dei verbo edocti, credimus vt gratuitum, sic quoque immutabile & irreuocabile esse remissionis peccatorum nostrorum δώρημα, seu beneficium: eóque nomine nequaquam de eo piæ mẽti dubitandum esse firmiter credimus.

Pontificij econtrà, cùm partim proprijs cuiusque hominis operantis meritis, partim Christo Iesu acceptam ferant iustificationem, & propter sensum propriæ indispositionis, affirment quod liceat de gratia Dei & de remissione peccatorum ἐπέχειν seu hæsitare, nec eam ἁπλῶς, vt par erat, gratuitam, nec immutabilem esse agnoscunt.

Vident piæ mentes hæc esse planè ἀνπφαπκά: nam vt de priori, videlicet de gratuita Iustificatione, istud non prætereamus, perinde est siue quis in solidum hominis meritis eam acceptam ferat, siue partim ipsi operanti, partim Christo tribuat. Iuxta dictum: Facti estis inanes Christi quicunque per Legem iustificamini, & à gratia excidistis. Gal. 5. 4. Itaque Spiritum sanctum, in Scripturis diuinis de ardua hac controuersia pronunciantem, audiant & in sententia ipsius suauiter & tutò acquiescant.

II.

Status controuersię est, Sítne gratuitum & immutabile iustificationis nostræ beneficium nécne? Nos aientem sententiam probamus, Pontificij negantem opinionem profitentur. Nostrum ergo fuerit demonstrare veritatem, quæ non nisi vna est, & cuius vt ille exotericus ait, suauissima ἐξήγησις est, à nostris partibus stare. Initiò igitur veritatem nostræ sententiæ εἰς ἀμεταπίνητον ponimus, hac Demonstratione præmissa.

Si electio nostra gratuita & immutabilis est, tum verò etiam Iustificatio (quæ ab illa, efficaci vocatione interueniente, dependet) gratuita & immutabilis ἢ ἀμεταπίνητος erit. Loquimur de Electione ad vitam æternam, quæ vt Dei προγνωσιν, præscientiam ordinè subsequitur, sic Vocationem & Iustificationem antecedit. Rom. 8. 29. 30. & cum Paulo Apostolo dicimus, eos tantùm iustificari, qui sunt electi, eodem cap. vers. 33. 34. 35. Porrò immutabile electionis & iustificationis nostræ beneficium esse statuimus, quia, vt ait Paulus, dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorũ ipsum pœnitere non possit. Rom. 11. 29. Ac τὸ ἀμετάθετον τῆς βελῆς τ. θεοῦ καὶ τὸ ὡρισμένον, Dei summè sapientis & misericordis, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio, Iaco. 1. 17. facit, vt nihil fortuitum, nihil mutabile & incertum hîc agnoscamus.

Idem autem de Iustificatione quod de Electione nobis statuendum esse, ex eo colligimus, quòd vt fideles per Christum remissionem peccatorum accipiunt, Act. 10. 43. sic in eodem electi sunt. Eph. 1. 4. Gratuitum autem καὶ ἀμεταμέλητον est, quicquid per & propter Christum ipsis ex decreto æterni Patris, confertur.

Verum autem est Antecedens, quod Electionem gratuitam & immutabilem esse, statuit.

Nihil enim dubium est, illud Dei miserentis de sanctificatione Ecclesiæ Electorum decretum, quod ipsi gloriam gratiæ suæ respicienti, semel placuit: & quidem non tantum antequam ipsi (ordine quisque suo) nascerentur

tur:sed etiam ante conditum Mundum, esse & gratuitum & immutabile: miniméque, quod dici solet, παλινάγρετον. Suo enim ipsius intuitu adductus in eam sententiam, non autem præuisione fidei operúmue bonorum (quæ omnia ab electione pendent & proficiscuntur) impulsus, Deus ille æternus, quos præsciuit eosdem & prædestinauit. Rom. 8.29.

Electio autem totius Ecclesiæ Catholicæ, in Christo capite, est eiusmodi decretum, sicut monent hæc duo dicta: Nondum enim natis (pueris) cum nihil feciissent boni aut mali, vt propositum Dei quod est secũdum (ipsius) electionem (id est) non ex operibus, sed ex vocante (firmum) maneret, &c. Rom. 9.11. Item: Ita igitur hoc tempore reseruatio secundum electionem gratuitam facta est. Quod si per gratiam iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Rom. 11.5.6. Item: Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, vt simus sancti & inculpati coram eo per charitatem. Ephes. 1.4. Hoc posteriore dicto diluitur calumnia eorum, qui ex sententia pia de immutabilitate beneficij electionis nostræ absurdè colligunt súsque déque ab ijs, qui Spiritus sancti arrhabone & testimonio confirmati de electione sua in Domino gloriantur, fieri, sanctificationis gratiã & bonorum operum studium, cùm tamen isti soli Christum induant ad sanctificationem, sempérque meminerint sese conditos esse in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparauit Deus vt in eis versarentur. Ephes. 2.10. Itaque certum est, Electionem Ecclesiæ esse gratuitam καὶ ἀμεταπίνητον.

Verum igitur etiam est Consequens, quod hæc duo etiam de Iustificatione nobis credenda, verè testatur. Fugiamus itaque ἀμυσολογίαν, vt nihil grauius dicam, eorum qui seriem operum Dei non tam distinguunt, quàm distrahunt: nec vident, quæ nam illis sint communia inter se, quæ cuique peculiaria sint, quæ sit illorum διαδοχὴ & successio, quæ παναρμονία, quod denique σύστημα. Etenim cum in his omnibus Dei bonitas, sapientia, virtus luceat, cognoscenda & ad Dei laudem referenda sunt: non vel in dubium vocanda, vel neganda impudenter.

III.

Sed enim vt totum hoc negocium, in quo sanè cardo controuersiarum de Religione vertitur, illustretur, Gratuitam esse Iustificationem: & immutabilem eandem esse, hoc est, certissimo Dei proposito niti, nec vnquam irritam fieri posse, eóque nomine de ea nemini pio dubitandum, ordine & logicè ostendemus, initio facto à λόγῳ τῆς οὐσίας, seu à definitione Iustificationis.

Demonstratio à definitione Iustificationis

Nihil dubium est gratis & proposito nunquam mutando peragi illud Dei beneficium, quod vt gratis, ad dissoluenda Satanæ opera ipse vnus præstat, sic Euangelij præconio annunciatum, fide percipi vult, vt per illam Iustificationem vitæ iusti constituantur, propter Christum: non qui operantur, sed qui credunt in eum qui iustificat mpium, per remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ Christi, quæ omnia arrhabone & sigillo Spiritus sancti obsignantur.

Atqui Iustificatio fidelium, quæ opponitur condemnationi infidelium. Rom. 8.33.34. Marci 16.16. id ipsum Dei beneficium est: vt paulò pòst adductis testimonijs ostendemus.

Quare fatendum nobis est, credentes gratis quidem iustificari, sic tamen, vt se-

vt semel collatum beneficium nunquam irritũ fiat, cum eius auctor sit Deus, cuius omnia opera & dona sunt ἀμεταμέλητα, miniméque ἀνεμοφόρητα, & qui Christi membra sic custodit & gubernat, vt ne vnquam planè excidere possint.

IIII.

Minorem, in qua est τὸ χρινόμενον, in gratiam piæ & ingeniosæ Iuuentutis, Syllogismis Apodicticis illustrabimus & cõfirmabimus, initio facto à Principiis externis Iustificationis nostræ, hoc est, à caussis efficientibus & finalibus, quæ omnes συμφώνως attestantur, nequaquam nostro merito, aut παλινοξέτῳ ἢ ἀνεμολίῳ beneficio nos iustificari.

1. Αἴτιον κύριον. Deus is est, qui iustificat. Rom.8.33. Inde colligimus. 1. Hominem à seipso, aut ab aliis hominibus remissionem peccatorum non obtinere, eorum inquam seu merito, seu auctoritate. 2. Nihil in homine esse, cuius gratia is à Deo iustificetur. Quis enim, ait Paulus, prior dedit ei, & reddetur ei? Rom.11.35. 3. Cum Deus sit ἀνυπένθυνος, non esse nobis curiosè quærendum cur solos credentes iustificet, cæteros condemnet, nunquam enim non iustè, benéque Deus Opt. Max. agit.4. Cum idem sit ἀναλλοίωτος sibíque semper similis & constans, non esse cur vereamur ne fortè Iustificationis doni in nos collati eum sic pœniteat, vt eius gratiam euanidam reddat: neque enim in seipsum contumeliosus est Dominus Deus noster. 1 Efficiens princeps caussa.

2. προηγύμενον Gratia seu beneuolentia Dei erga nos, caussa Iustificationis est. Gratia Dei & donum per gratiam, quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos redundat. Item, Quod autem gratificatur (Deus, datur) ex multis offensis ad iustificationem. Rom.5.15.16. Si gratia Dei iustificamur, sequitur. 1. Deum in seipso caussam habere cur nos iustificet. 2. Exuberantissimum esse iustificationis beneficium, cum ἡ τῆς χάριτος φειδωλία tanta sit, vt vbi auctum est peccatum, ibi superabundet gratia. Rom.5.17.20.3. Nec futurorum bonorum operum præuisionem, nec præsentium æstimationem, caussam esse absolutionis à peccatis: sed solam Dei beneuolentiam, & erga nos homines amorem. Tit.3.4. 2 Προηγύμενον.

3. προκαταρκτικαὶ caussæ sunt, Satanæ Tyrannis & mala omnia quibus laborant homines ob peccatum. Iesum Nazarenum vnxit Deus Spiritu sancto & potentia, qui obambulauit beneficiis afficiens, & sanans omnes sub Diaboli potestatem redactos, quoniam Deus erat cum eo. Act.10.38. Item. Ad hoc patefactus est filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. 1. Ioan.3.8. Si ideo nos iustificat Deus, vt à psychotyrannide Satanæ & ab omni malo nos liberet, quis non videat nullo nostro merito, & ἀμεταμελήτῳ Dei dono nos iustificari? Neque enim Satanæ vnquam cessurus est Deus, aut opus suum deferturus, sic vt minus perficiatur ad gloriam gratiæ suæ. 3 Προκαταρκτικαὶ caussæ.

4. Organica caussa, ἔξωθεν, annunciando offerens Iustificationis beneficium, est Ministerium Euangelii. Iuxta dicta: Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: si quorum retinueritis, retenta sunt. Ioann.20.23. Item, Attende tibiipsi & doctrinæ: persiste in ipsis: id enim si feceris, & teipsum seruabis & eos qui te audierint. 1. Timoth.4.16. 4. Organica caussa annunciando offerens.

Sicut se habent Euangeli ad eos, quibus vel dimissionem è carceribus, vel condonationem æris alieni, nomine alieno annunciant, & hi tum erga illos, tum erga tantorum beneficiorum auctores: Ita se habent Euangelij præcones ad homines iustificandos: & hi tum erga illos tum erga Deum iustificantem. Eo enim nomine Scriptura sancta de Iustificatione differens, & illis similibus, & aliis imaginibus, vtitur.

Sed Euangeli illi nequaquam suo nomine, sed alieno, lætum nuncium apportant: & captiui seu debitores agnoscunt, tanta beneficia non internunciis, sed Dominis, à quibus illi missi sunt: nec vllo suo merito, sed Dominorum gratuitæ beneficentiæ & misericordiæ accepta esse ferenda. Ac quo magis illorum fides in dictis & factis pactisque ipsis cognita est, tanto magis certa nec vnquam retractanda beneficia sibi pollicentur.

Ergo etiam homines fideles, exhilarati Euangelij de remissione peccatorum præconio, agnoscunt sibi gratis, minimè παλιναγρετον beneficium præstari à Deo, qui est ἀψευδὴς. Tit. 1. 2. & cuius fidem humana incredulitas nunquam inanem facere poterit. Rom. 3. 3.

5. Organica caussa apprehendens.

5. Instrumentalis caussa iustificationis est fides. Rom. 3. 28. Colligimus igitur, fide iustificari hominem absque operibus legis. 30. Siquidem vnus Deus est qui iustificabit circumcisionem (abstractum pro concreto posuit, id est, circumcisos, seu fideles ex Iudæis) ex fide: & præputium (id est, incircumcisos, seu fideles ex Gentibus) per fidem. Si nequaquam propter fidem (quæ ὄργανον est: non materia iustificationis) sed fide, per fidem, ex fide (sunt hæc συνώνυμα) iustificamur, tum non ex operibus Legis iustificamur. Gal. 2. 16. multóque minus iustificamur traditionum humanarum ἐν τῇ ἐθελοθρησκείαις nomine & merito. Ratio manifestissima est, quia sola fide, intuente verbum rei, sicut spes rem verbi intuetur (vt præclarè alicubi D. Lutherus pronunciauit) & in promissione gratiæ acquiescente, non autem vllis operibus, Christus vnà cum omnibus suis meritis & beneficiis à nobis apprehendi & applicari potest. Est enim fides ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος ἀ βλεπομένων. Hebr. 11. 1.

Verum est Antecedens: vt sapienter & δεικτικῶς ostendit Apostolus noster, Rom. 3. 28. & 30. Rom. 4. 5. Gal. 2. 16. & 20.

Verum igitur est & Consequens.

Enimuerò cùm sola fides sit illud ὄργανον δεόσδοτον, quo Christi (qui traditus est propter iustificationem nostri, Rom. 4. 25.) participes fimus, quis pius & intelligens miretur Philippum Melãchthonem, eximium Dei seruum, cùm Augustanam Confessionem olim conscriberet, cum Ambrosio, vsum exclusiua particula Sola, in propositione de Iustificatione vitæ? Etenim sola fides, aurium instar nobis est, quibus dulcissimam Iesu Christi corda nostra alloquentis vocem, audimus: oculorum, quibus Christũ, & in eo relucentem amabilem & serenam æterni Patris faciem, intuemur: narium, quibus Christi δωδὴν seu fragrantiam percipimus: oris, quo Christum vitæ panem manducamus: manuum, quibus Christi beneficia, ad inopiam nostram subleuandam oblata, accipimus & amplectimur. Hac sola persuasum habemus, remissa nobis esse peccata, & nos in gratia esse apud Deum. Ea itaque sola nos iustificari cùm dicimus, non hoc volumus, solam ad nos iustificandos, suo nimirum merito, sufficere. Officij enim ἀλλ' ἐνεργείας respectu, vt caussæ efficientis famulantis in Christo apprehendendo: non autem vt materię iustificationis

nis noſtræ, dicimur fide ſola iuſtificari.

6. Fines Iuſtificationis noſtræ ſunt, vltimus quidem declaratio iuſticiæ (id eſt, admirandi illius iuſticiæ & miſericordiæ Dei temperamenti) Dei iuſti & iuſtificantis eum qui eſt ex fide Ieſu. Rom. 3. 26. proximus verò, vt iuſti (id eſt, liberi à reatu, & iuſticiæ Chriſti dono excellentes) conſtituantur multi. Rom. 5. 19. 6. Fines.

Iam verò, ſi iuſtificamur, non vt ipſi de nobis ipſis gloriemur, ſed vt glorificetur Deus nos iuſtificans: ſi etiam indebitum δώρημα, liberationis à malis, quæ humanis viribus depelli non non poterant: & iuſticiæ, quæ merito humano parari non poterat, in iuſtificationis actu confertur, cui dubium ſit gratis nos iuſtificari?

Vera ſunt quæ antecedunt. Nam ſi gloriationem ſpectes, non poſſunt filij ſeu fideles de eo gloriari, de quo Pater credentiũ gloriari nõ potuit. Porrò Abraham non potuit apud Deum gloriari de operum iuſtificatione. Rom. 4. 2. 3. 4. Si autem donum liberationis à malis, & iuſticiæ Chriſti, quæ credentibus imputatur, communicationem, reſpicias, quomodo non hæc videri poterunt eſſe inſtaurationis eorum documenta διόπερ ἔμπαλιν μόνιμα?

Vera itaque & immota ſunt, quæ conſequuntur.

V.

Iuſtificationis noſtræ interna principia, Materia dico & Forma, rectè perpenſa, eadem illa duo ſolidiſſimè euincunt.

Si propter Chriſtum, non autem propter ſua ipſorum merita, Saluandi iuſtificantur, tum ſanè manifeſtum eſt, ſui reſpectu, gratis eos iuſtificari, ac ſolidum firmúmque manere illud beneficium, quod Deus in Chriſto filio ſuo eis præſtitit. Neque enim, vt toties dictum eſt, in Deum μεταμέλεια cadit, nec vlla ratione humana, aut etiam alia, id irritum fieri poteſt, quod Deus omnipotens ſemel ratum eſſe voluit: cum omnem ſuam voluntatem faciat. Iſai. 46. 10. 7. De Materia ſeu de eo propter quẽ iuſtificamur.

Verũ eſt Antecedens. Etenim Materia Iuſtificationis is demum eſt, qui & omnem iuſticiam pro nobis adimplẽdo, & noſtra cauſſa moriẽdo, reſurgẽdo, meritis denique intercedendo, Patrẽ æternum nobis reconciliauit, perſoluto redemtionis noſtræ pretio, & ſemper viuens pro nobis intercedit. Chriſtus Dominus noſter hæc omnia præſtitit, Iuxta dicta: Ita enim decet nos implere omnem iuſticiam. Matth. 3. 15. Item: Traditus in mortem propter offenſas noſtras, & excitatus propter iuſtificationẽ noſtri. Ro. 4. 25. Itẽ: Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt, immò verò qui etiam excitatus eſt: qui etiã eſt ad dexteram Dei, qui etiam poſtulat pro nobis. Rom. 8. 34. Item: Vnde & ſeruare prorſus poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper viuens vt interpellet pro eis. Hebr. 7. 25. Itaque Materiam Iuſtificationis Fidelium, Chriſtum Ieſum, ac eius obedientiæ meritum piæ mentes ſtatuunt, & cum Paulo Apoſtolo dicunt: Ex ipſo nos ſumus in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticiáque & ſanctificatio & redemtio. 1. Corinth. 1. 30.

Verum igitur eſt & Conſequens, quod monet nos iuſtificari Gratia, id eſt, gratuito Dei fauore & beneuolentia erga nos. Ac nequaquam Gratia

vocabulum,qualitates internas bonas,& παλιγγενεσίαν ϗ ἀνακαίνωσιν, vt Pelagiani & Ieſuitæ volunt:ſed fauorem Dei ſignificat, in hac quidem Diſputatione.Iuxta dicta:Propterea ex fide (eſt hæreditas) vt ſit per gratiam, vt ſit firma promiſſio toti ſemini.Rom.4.16.Item: Quòd ſi per gratiam,non iam ex operibus : alioquin gratia iam non eſt gratia. Sin ex operibus , iam non ex gratia : alioquin opus iam non eſt opus. Roman. 11. verſ.6. Item: Gratia enim eſtis ſeruati per fidem, ídque non ex vobis : Dei donum eſt. Epheſ.2.verſ.8.

Ideo noſtri quidem reſpectu,fide iuſtificari,χωρὶς ἔργων νόμου.Rom.3.verſ.28. dicimur: Chriſti Ieſu autem reſpectu , διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, vt ſignificantiſſimè vtrumque complectens Paulus monet eodem cap.verſ.24. Iuſtificantur autem gratis,id eſt,eius gratia,per redemtionem factam in Chriſto Ieſu. Ac quænam illa λύτρα ſint,docet Petrus:Vt qui ſciatis,inquiens , vos non caducis rebus,argento vel auro,fuiſſe redemtos ex vana veſtra conuerſatione, ex patrum traditionibus accepta,ſed pretioſo ſanguine, vtpote agni immaculati & incontaminati,nempe Chriſti.1.Pet.1.18.19.

Cæterum ad declarandam Paulinam illam excluſiuam, χωρὶς ἔργων νόμου , illud in iuniorum gratiam addimus , rectè affirmari à ſummis quibuſdam Theologis , Aliud eſſe dicere iuſtificari hominem abſque operibus Legis & ſine regeneratione : & aliud iuſtificationem eſſe ſine bonis operibus & piis motibus mentis & voluntatis.Nam vt Bucerus , orthodoxus, & acutiſſimus Theologus, in Colloquio Ratisbonenſi , Maluendæ Hiſpano & Billickio Carmelitæ,verè reſpondit : Abſque bonis operibus iuſtificamur , non præſentiæ,ſed meriti & officij iuſtificandi,reſpectu: cum alioquin ſine renouatione iuſtificatio eſſe nequeat.Ideo vt damus, Hominem iuſtificari ſine operibus Legis & ſine ἀνακαινώσει,hoc eſt,non horum merito:ita negamus Iuſtificationẽ eſſe ſine operibus & motibus bonis: etſi enim diſtingui debẽt Iuſtificatio & Sãctificatio,nullum tamen inter hæc duo beneficia ϗ ἀποτελέσματα Dei diuortium comminiſcendum eſt.Nam in iuſtificatis efficax eſt ſpiritus regenerans & renouans eos,vt magis magiſque Chriſto conformentur.

2 Forma Iuſtificationis.

Quis denique (vt iam de forma Iuſtificationis dicamus) inficias eat, remiſſionem peccatorum , & imputationem iuſticiæ Chriſti,cum à Deo ipſo proficiſcantur (qui quicquid homini præſtat,gratis præſtat:nec mutat propoſitum,ſed omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ. Epheſ.1.11.) eſſe gratuitum & immutabile ϗ ἀμεταμέλητον Dei donum?

Atqui Iuſtificatio illis duobus conſtat, videlicet Remiſſione peccatorum & Imputatione iuſticiæ Chriſti. Iuxta dicta:διὰ τὴν πάρεσιν, per remiſſionem præteritorum peccatorum.Roman.3.verſu 25. Item: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum obtecta ſunt peccata.Pſalm.32.verſ.1.Rom.4.7. De imputatione iuſtitiæ ſeu obedientiæ Chriſti , dicitur. Quod autem gratificatur (Deus, datur) ex multis offenſis ad Iuſtificationem. Roman. 5.verſu 16. Et ſequente verſu:Ij qui redundantem illam gratiam & donum iuſtitiæ accipiunt , in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Non ſunt autem ἀσύμφωνα : Fides imputatur ad Iuſticiam : & πὸ , Donum iuſticiæ Chriſti per fidem imputatur. Nam , vt rectè Bucerus olim pronunciauit , Fides imputari ad iuſticiam dicitur , propter obiectum , non propter ſeipſam.

Cæterum

Cæterum in Iustificationis actu, reatui quidem ad pœnas obliganti, medetur remissio peccatorum: priuationi autem iustitiæ (qua vt vitæ principio nobis opus est) λογισμὸς, seu imputatio obediẽtiæ Christi, occurrit. Atque ideo Iustificatio constare dicitur, τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν ϗ τῷ λογισμῷ, vt & Apostolus Paulus pronunciauit capitibus 3.4.5. Epistolæ ad Romanos.

Remissionem peccatorum gratuitam esse tum alibi sæpenumero, tum Luc.7. παραβολικῶς docet Christus Dominus noster proposita creditoris & debitorum imagine. Vt enim creditor cum debitores soluendo non essent, gratificatus est vtrique, vers.42. Ita cum ipsi pro peccatis nostris precium æquiualens persoluere non possimus, & longissimè absimus à perfecta legis adimpletione, gratis iustificamur: & ex præscripto Domini, vt precamur: Remitte nobis debita nostra, Matth.6.12. ita credimus remissionem peccatorum, vt in Symbolo habetur.

Concludimus itaque, ad honorem Dei Patris nos iustificantis, & Iesu Christi, propter quem iustificamur, & sancti Spiritus, qui suo testimonio fidei πληροφορίαν in nobis efficit & conseruat, Iustificationis, Catholicæ & Orthodoxæ Dei Ecclesiæ, beneficium, vt gratuitum, ita quoque immutabile & infallibile ϗ ἀμεταπτωτον esse, eóque nomine non esse fidelibus hominibus de eo dubitandum, ne & mendacij & inhumanitatis Deum summè veracem & misericordem insimulent: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

VI.

Transitio ad Disputat. ἀναστευαστικὴν

Quia in prima Pemptade Thesium, κατασκευαστικῶς, piam nostram doctrinam de Iustificatione (quãtum pro immensa sua bonitate Dominus dedit) demonstrauimus esse certissimam: supereſt, vt in hac secunda Pemptade, ἀναστευαστικῶς differentes, falsam esse Pontificiorum opinionem, ϗ ἑτεροδοξον ostendamus.

Initiò autem τὸ πρῶτον ψεῦδος, eius opinionis, quæ fingit partim humanis meritis Iustificationis beneficium, partim Christo acceptum ferendum, nec etiam certissimum planéque immotum esse, vt de eo hæsitare non liceat, Syllogismi quadripartiti instrumento adhibito, indicabimus.

Impia ἑτεροδιδασκαλία est fugienda & detestanda pijs omnibus, quæ primùm contumeliosa est in Deum iustificantem: deinde, non rectè pronunciat de 2. Iustificandis. 3. de Materia Iustificationis, & 4. de forma eius.

Talis autem reuera est Pontificiorum, quorum Antesignani hac ætate sunt Iesuitæ, doctrina de Iustificatione.

Est igitur impia ἑτεροδιδασκαλία, quę vt nobis fugienda est, sic velut ad oculum demonstrando, erroris & hæreseos conuincenda est, vt inter Aduersarios, si qui moderati & dociles sunt, errore cognito eum abiiciant: eorum autem qui contumaces sunt, ora obstruantur.

Minorem, in qua est τὸ ψευδόμενον, ita reprobamus.

1. Si Deum iustificantem quis spectet, quis homo sanus dubitet, in Deum contumelioſam esse ματαιολογίαν, quæ vtrũque negat, & Deum esse in suis decretis firmũ inuictúmq;: & eundem summè iustum & summè misericordem esse? Sed Papistarũ opinio vtrumque non dissimulanter negat. Quid enim? Annon ideo dubitandum esse de remissione peccatorum contendũt, quòd (etsi honoris causſa, vt in Censura Colonienſi videre licet, negant, in-

certitudinis cauſſam in Deum referendam) vix ſatis vnquam in ſeipſis homines diſpoſiti videntur ad eam recipiendam? Neſcimus, aiunt, an eum adferamus dolorem, quem peccatorum deſiderat remiſſio, an ſatis prępărati cum emendæ propoſito Sacerdotem adeamus, an omnia proferamus? Quaſi verò Dei qui eſt ἀψευδὴς promiſſio non requirat eam fiduciam, quæ propriæ indiſpoſitionis reſpectu neutiquam poſſit labefieri?

Porrò, ſi ludicris operum ſuorum crepundiis diuinæ iuſticiæ ſatisfieri putant, næ illi parum magnificè de ea ſentiunt? Rurſum, ſi ex aſſe in eius ſolius miſericordia acquieſcere non audent, non ſatis multum ſibi de eadem pollicentur.

2. Si iuſtificandos ſpectes, nequaquam illud perpendunt, quod Apoſtolus docuit, iuſtificari prædeſtinatos ad æternam vitam, Rom. 8. 30. Sed perinde de iuſtificandis loquuntur, ac ſi hi vnquam reprobi fuiſſent, & quidam ex eis peccatum ad mortem committere poſſent, id quod Ioannes rectè negat, 1. Ioan. 3. 9. Quaſi verò ideo omnes impii fuerint reprobi: quia omnes reprobi ſunt impii? Quam eſt autē pernicioſa ἀμουσολογία, καὶ πρεσβολογία, quod perinde de homine iuſtificando pronunciant, ac ſi nihil inter corruptum & inter recens, in prima integritate, à Deo conditum, intereſſet? Siccine nunquam agnoſcent, poſt lapſum excidiſſe homines illa prima dignitate, & caligine mentis & auerſionis voluntatis, omniúmque virium ἀταξίᾳ καὶ ἀδυναμίᾳ laborare cœpiſſe? Itáne ab homine ſub peccato verſante, ea ſemper requirēt, quæ minus ab eo, quam è pumice aqua, exigi poſſunt, ante illius regenerationem & renouationem?

3. Si Materiam Iuſtificationis ſpectes, Annon quaſi Chriſti meritis diffiſi, confugiunt ad merita bonorum operum? Hîc verò quàm turpiter hallucinentur, vel illa duo argumento ſunt: Primùm, quòd inter opera diuinitus præſcripta, pietate neglecta, corporales exercitationes & moralia quædā opera potiſſimum requirunt. Deinde, quòd inter diuinitus præſcripta & humanitus introducta ſeu πατροπαραδοτα opera, nullum delectum inſtituunt, immò ſæpè traditionum ſuarum cauſſa Dei præcepta tollunt, ac in vtroque illorum Phariſæos patres ſuos ſtrenuè ſanè imitantur. Matth. 15. Quis neſcit apud illos grauiore pœna affici, qui Papæ contradicit, quàm qui in Deū eſt blaſphemus, qui quadrageſimæ tempore, aut die Veneris carnibus veſcitur, quàm qui adulterium committit?

4. Si denique formam Iuſtificationis conſideres, non eam in peccatorum condonatione & iuſticiæ Chriſti dono poſitam, agnoſcunt: ſed ex Ariſtotelis ſententia pronunciant, perinde nobis de Iuſtificatione ſtatuendum, quemadmodum ille docet, tum qua ratione iuſticiæ habitus paretur, tum in qua animæ potentia ſedem ſuam habeat: cum iuſtificare nihil aliud ipſis ſit, quàm iuſticiæ qualitates infundere, ſicut Ariſtoteles 5. Ethicorum ait, eum δικαιοῦσθαι, cui id quod meretur ſecundum Arithmeticam proportionem, tribuitur. Eſt itaque illis Iuſtificatio, motus ad iuſticiam acquirendam, & iuſtificare nihil aliud quàm inhærentem iuſticiam infundere. Vt autem Dei miſericordia illis eſt, quod legi ſatisfacientibus mercedem vitæ æternæ promiſit: ſic eiuſdem iuſticia eſt virtus, quæ cum vnoquoque pro eius meritis agit. Ideo congerunt multa dicta legalia de mercede bonorum operum,

rum, quorum συναδροισμὸς ficulno præsidio nititur. Præsupponunt enim, esse qui perfecta, pura & perpetua obedientia Dei legi satisfaciant. Sed meminisse debebant Prouerbij: En Rhodus, en saltus. Nisi fortè Cucullionum suorum meritis & supererogationis operibus, tantum esse deferendum putant, vt nõ indigna sint quæ coram tribunali Christi, ad huius videlicet meritorum contumeliam, allegentur. Summa impiæ illorum sententiæ huc redit, Christus sua morte hoc à Patre impetrauit, vt qui illum mortuum esse sibi persuadent, iustitia imbuantur inhærente & charitate fidem formante, cuius merito adoptionem & reconciliationem impetrent. Vident pię mentes, illos, nõ solùm cum Patribus suis Pelagianis, gratiæ hostibus, merita Christi ἐξουδενίζειν, sed etiam sanctificationem, cuius propria est inhærens iustitia, cum iustificatione, flagitiosè confundere. Dominus eorum oculos aperiat, & det vt ipsi soli dent gloriam, desinántque in veritatem Sophistico sputo & veneno iniurij esse.

VII.

Restat, vt Sophismatum, quibus illi Mirmillones & Retiarij vtuntur ad speciosè tuendam malam suam caussam, velut hostilem quãdam aciem, iuxta Paralogismos qui sunt intra & extra dictionem, distributam ὡς ἐν πύργῳ iunioribus (qui multa alia λεπτολογήματα ad easdem decurias Sophisticas dextrè referre, studio habere debent) proponamus: vt indicata fallacia, veluti stratagemate quodam, periculum quod ab hostili Sophistomania imminet, propulsare discant.

Lætemur autem toto pectore, quòd huius nostri certaminis pro veritatis defensione, Πρωταγωνιστὴς quidem est, Christus Iesus, veritatis, gloriæ & meritorum suorum assertor: δευτεραγωνισταὶ verò sunt Prophetæ, Euangelistæ & Apostoli, qui summa fide, doctrinæ, quam profitemur, non solum auream basim posuerunt, sed etiam eiusdem præclarum ædificium, excitauerunt: τριταγωνισταὶ pij & eruditi Ecclesiæ doctores & pastores, quibus nos veluti ὁμοφρονας ξυμπαρασάτας adiungamus, & pro talento, quod diuinitus quisque nostrum accepit, veritatem tueamur.

1. *Ad Fallaciam Æquiuocationis pertinent isti & similes Paralogismi.*

1. Iustificamur gratia. Igitur propter legem & qualitates infusas, quæ Gratiæ vocabulo significantur.

Nego consequentiam, quia ὁμωνυμία est in vocabulo gratiæ, quod in Disputatione Paulina de Iustificatione, significat Dei erga nos fauorem gratuitum: non autem vt Pelagiani volebant, legis promulgationem, & infusas qualitates, Iuxta dictum: Iustificantur autem gratis, id est, eius gratia: τῇ αὐτοῦ χάριτι. Rom. 3. 24.

2. Fides iustificat. Fides est constantia in pactis & promissionibus. Ro. 3. 3. Ea igitur constantia iustificamur.

Respondeo, Homonymia in vocabulo fidei facit vt sint quatuor termini in Argumento. In Maiore fides significat πληροφορίαν de gratia Dei & remissione peccatorum, quæ est Electorum propria. Tit. 1. vers. 1. In Minore fides, virtutem ἀρετὴν significat, quæ Deo & bonæ fidei hominibus tribuitur.

3. Non rectè tribuitur Iuſtificatio ei rei, quæ communis eſt piis & impiis, ipſisque adeò Diabolis. Fides his omnibus eſt communis. Tit. 1. 1. Ioan. 2. 23. Iac. 2. 19. Igitur non iuſtificamur fide.

Reſpondeo, Dei filiorum fidem, quæ τῇ πληροφορίᾳ definitur: & eam quę eſt perſuaſio de Deo & eius amore erga homines, ſed πεφσιμαυρος, vt in Simone Mago. Act. 8. 13. & denique hiſtoricam, quam etiam Diabolis Iacobus tribuit, non confundi debere: & non niſi de prima ſtatuendum, quòd iuſtificet.

4. Luc. 6. 23. Gaudete illo die & ſalite, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis. Si merces, inquit Eccius, ergo & meritum, cui merces debetur. Dicuntur enim relatiuè ad inuicem, vbi vnum nequit intelligi ſine alio. In Enchiridio.

Reſpondeo, Eſt fallacia æquiuocationis in vocabulo mercedis, quod hîc non κυρίως, de æquiualente meritorum compenſatione, ſed κατακρηστικῶς vſurpatur de gratuito dono, quod laborantibus in vinea Domini, ad ſubleuandam ſolatio noſtram infirmitatẽ, non ad inflandos animos, Deus pollicetur.

2. *Ad fallaciam Amphibologiæ, hæc & ſimilia referri poſſunt.*

1. Abraham ille pater noſter, nónne ex operibus iuſtificatus eſt, cum obtuliſſet Iſaac filium ſuum ſuper altare? Iac. 2. 21. Ergo non ſolùm multorum, ſed etiam vnius præclari operis, gratia iuſtificamur.

Reſpondeo, Eſt fallacia ambiguitatis in phraſi, ex operibus iuſtificari, quę hoc loco non cauſſam Iuſtificationis, ſed eius declarationem ſignificat. Ac vel temporis circumſtantia monet, multo antè fide ad iuſticiam imputata, iuſtificatum eſſe Abrahamum, Geneſ. 15. quàm offerret filium Iſaacum. Geneſ. 22.

2. Qua ratione vnus aliquis è Dei ſeruis iuſtificatus eſt, eadem & omnes alij iuſtificantur. Sed Phinees iuſtificatus eſt, propter vnicum, heroici & ardentis Spiritus, facinus. Pſal. 106. 31. Num. 25. 7. Igitur & cæteri eodem modo iuſtificantur.

Reſpondeo, Eſt ἀμφιβολία, in phraſi: Reputare ad iuſticiam, quæ ad probationem facti, quod multi ſiniſtris præiudiciis iniquè exagitabant: non autem perſonæ Iuſtificationem ſeu abſolutionem à peccatis, hoc loco ſignificat.

3. Chriſtus Legiſperito dicit: Hoc fac & viues. Igitur poteſt aliquis, modò anniti velit, ſeſe iuſtificare. Luc. 10. 28. 29.

Reſpõdeo, Paralogiſmo ambiguitatis eos peccare, qui legalia dicta, quale hoc eſt, cum Euãgelicis confundunt: & ex mandatis, ἀσυλλογίστως colligũt præſtandi vires & facultates: nequaquam illud cogitantes, voce Legis non ſolùm quales ſint homines poſt lapſum, ſed etiam quales initiò à Deo conditi ſint, ſignificari.

Conſiderentur autem in hac Sophiſmatum claſſe, ea quæ docti viri, de ſtatu Rhetorico ῥητῆς καὶ διανοίας, de dicentium perſonis, déque genere dicti, prudenter monent, ne nobis fucum faciant dicta ἐπαμφοτερίζοντα, & ambigua, quibus Sophiſtæ perinde vt Sepiæ ſutorio atramento, abuuntur.

3. *Ad fallaciam Compositionis & Diuisionis pertinent hæ λεπτολογίαι.*

1. Sola fides iustificat. Fides non est sola. Ergo nec sola iustificat.

Paralogismus est, Exclusiua declarat prædicatum, Iustificat: Fides enim, & non aliud χάρισμα est instrumentalis iustificationis caussa, non est autem viua fides sola, sed habet caritatem & spem & alias virtutes coniunctas. Meminerimus autem malæ σωφάσει, mederi bonam διαίρεσιν: & contra malæ διαιρέσει medicari bonam σωίθεσιν.

2. Deus iustificabit Circumcisionem, seu Iudæos. Ergo etiam non credentes, quales erant illi increduli ἐκ περιτομῆς, iustificantur. Et per Consequens: Fide non iustificantur ij qui absoluuntur à peccatis.

Est Paralogismus διαιρέσεως, citatur enim mutilatum dictum, quod integrum ita habet: Siquidem vnus Deus est qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom. 3.30. Nec Paulus in his verbis de incredulis loquitur, sed de iis, quibus dedit Deus Pater credere, in nomen Filij sui Iesu Christi, siue sint ex Iudæis, siue ex Gentibus.

4. *Ad figuram dictionis, hæc & similia pertinent.*

1. Remissa sunt ei peccata multa, nam dilexit multum. Luc. 7.47. Caritas igitur est caussa remissionis peccatorum.

Respondeo, Est dictionis figura, in dictione, ὅτι, Nam, quæ hoc quidem loco non est ἀποδοτική, sed σημειωτική. Etenim caritas illustre in homine memore & grato τεκμήριον est accepti beneficij. Nec Dominus Iesus ex caussa effectũ, id est, ex caritate Iustificationem tanquam eius effectum, κατ' σύνθεσιν colligit, sed ex consequente, videlicet ex caritate, Antecedens, hoc est remissionem debitorum, κατ' ἀνάλυσιν, prudenter inuestigat.

2. Iustificamur fide, ex fide & per fidem. Rom. 3.28.30. Igitur & propter fidem.

Respondeo, Deprauationes Casuum, generum ἐκ τῆς συγκαταθέσεως, ad dictionis figuram referri debere. Illæ formulæ quæ sunt in Antecedente, piæ sunt, & idem significant, videlicet credenti remissa esse peccata & imputatam Christi iusticiam: Sed ea quæ in Consequente occurrit, falsam infert opinionem: videlicet, propter fidem, quatenus ea legis opus est, seu fidei merito, nos iustificari.

Si quis mauult hanc λεπτολογίαν referre ad Paralogismum secundum non caussam vt caussam, non repugnabimus. Nam illæ formulę, fide, per fidem, ex fide iustificamur, de caussa organica famulante loquuntur & consentiunt. Hæc autem formula, propter fidem iustificamur, fingit fidem materiam esse Iustificationis, & eripit soli Christo debitam laudem. Itaque non est vsurpanda. Ac multa Sophismata, diuersa ratione, ad diuersas classes, vtiliter reuocari possunt.

5. *Ad fallaciam Accentus, pertinent huiusmodi Paralogismi.*

1. Ioan. 6.29. Respondit Iesus & dixit Iudæis: Hoc illud est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Fides est opus. Fide iustificamur. Igitur opere iustificamur.

Respondeo esse μίμησιν in verbis Domini, quibus nequaquam fides cum operibus confunditur, sed hoc significatur, Deum fidem præcipuè flagitare,

sine qua nemo ipsi placere potest. Hebr.11.6.& quæ per caritatem agit. Gal. 5.6. Eiusmodi responsione visum est Domino nostro Iesu Christo apud eos vti, qui de operibus garrientes, de fide eorum fonte ne χῦ quidem somniabant.

2. Videtis, inquit Iacobus, ex operibus iustificari hominem, & non ex fide tantum. Iac.2.24. Ergo non sola fide iustificamur, vt habent Augustana Confessio, & aliarum ex præscripto diuini verbi reformatarum Ecclesiarum, Confessiones, quorum Harmonia exstat.

Respondeo, Iacobum ἐρωτηματικῶς concludere, non qui qualicunque fide prædíti sunt, sed qui ea fide quæ per caritatem agit, excellunt, iustificari. Sophistæ autem κατηφατικῶς illa verba legunt: & Iacobum Paulo contradicere fingunt, quod esse falsum in ipsa συζητήσει ostendendum erit. Iacobo, iustificari non ex fide solùm, sed etiam ex operibus, is dicitur, qui non solùm verbis, sed etiam factis se verè fidelem esse, declarat, quod vtinam omnes faciamus, sic vt luceat lux nostra coram hominibus, bona nostra opera videntibus, Patrémque qui in cœlis est celebrantibus. Matth.5.16.

VIII.

Recitauimus nonnullas Strophas Sophisticas de Iustificatione, distributas secundùm fallacias in dictione, quibus Candidati Theologiæ alias ex Eccij Enchiridio, ex Conradi Clingij, Franciscani, Locis communibus: & ex Alberti Pighij Hierarchia, aliísque libris petitas, adiungere poterunt. Nos, vt finem faciamus, eadem breuitate pauculas quasdam λεπτολογίας, eo ordine quo Paralogismi extra dictionem recitari solent, in Tironum gratiam subiungemus.

1. *Ad Accidentis fallaciam referri debent hæc argumenta.*

1. Dona Spiritus sancti, quæ is in nobis efficit, per se non iustificant. Nam illa ad sanctificationem propriè pertinent, quæ ordine posterior est Iustificatione, nec eius causa est. Fides est donum Spiritus sancti. Itaque non iustificamur fide sola, sed per caritatem formata.

Respondeo, Fidei tribui Iustificationem, non respectu qualitatis, sed relationis & officij. Ideo enim iustificat, quia Christum & in eo remissionem peccatorum iusticiáque donum, accipit: hæc enim illius propria ἐνέργεια est. Non autem ideo iustificat quia est qualitas à Spiritu sancto excitata, quæ non tantùm noticia & assensione, sed etiam fiducia in promissione gratiæ acquiescente constat, vt vir Deo & bonis viris etiam post funera carus, Melanchthon, p.m. dicere solebat.

2. Per id iustificat fides, per quod etiam agit. Agit autem per caritatem. Gal.5.6. Per eandem igitur & iustificat.

Respondeo, Etsi fatendum est, fidem respectu ἐνεργείας iustificare, tamen non minus sunt eius ἐνεργείαι distinguendæ, quàm ea circa quæ diuerso consilio illa versatur. Iustificare dicitur, cùm illi coram tribunali Dei versanti offertur ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν, & iusticiæ donum. Per caritatem autem ἐνεργεῖν dicitur, cum Deum & proximum debito amore & honore prosequitur. Eius itaque munerum functiones confundendæ non sunt, & quid per se præstet in actu Iustificationis, quídve ἐν τῷ ἐνδελεχισμῷ sanctificationis, gratitudinis testificandæ causa eadem, alio fine, efficiat, considerandum.

3. Falsi-

3. Falsissimum est, quod Gabriel Biel lib.3.d.20.Concl.5.scribit: Ex illo sequitur, licet Christi sit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni, & gloria, nunquam tamen est sola & totalis caussa meritoria. Patet: Quia semper merito Christi concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo, vel condigno recipientis gratiam, vel gloriam, si fuerit adultus, rationis vsum habens, aut alterius pro eo, si careat rationis vsu.

Falsum est & illud Antonini: In gratia constitutus meretur per opera sua vitam æternam, ex parte gratiæ. Ex congruo, ex parte liberi arbitrij. Si quis hæc ad petitionem principii referre malit, non repugnabimus.

2. *Ad fallaciam à dicto secundum quid, ad simpliciter dictum, hæc & alia similia Sophismata referantur.*

1. Et ne venias, inquit Dauid, in iudicium cũ Seruo tuo, quia non iustificabit se in conspectu tuo omnis viuens. Ps.143.2. Ergo nemo hominum iustificari potest.

Respondeo. Propheta κατά τι loquens precatur, ne Deus summo iure secum agat: norat enim sese nequaquam ἀναμάρτητον esse. Aliud autem est diuinam ἐπιείκειαν expetere: aliud ἁπλῶς negare quenquam hominum iustificari. Petit itaque Propheta ne secũ pro suis meritis, sed pro gratia diuina, agatur.

2. Qui legem præstant, iustificabuntur. Rom.2.13. Ergo vtrumque verum est, & quosdam legi satisfacere, & eos suis meritis iustificari.

Respondeo, Paulum secundum quid, & κατ' ἀξίωσιν loqui, sic vt sit sententia: Si qui Legi satisfacerent, pronunciarentur iusti apud Dei tribunal, non quia audiuissent Legem, sed quia eam impleuissent. Sed nemo est qui Legi satisfaciat in hac tanta caligine & infirmitate & corruptione naturæ humanæ. Nemo itaque Lege iustus pronunciatur. κατὰ βίαιον itaque hoc telum in Aduersarios retorquẽdũ est, vt Disputatio illa Pauli Apostoli satis testatur.

I X.

3. *Ad fallaciam secundum non caussam vt caussam.*

1. Deus vnicuique reddet secundum opera ipsius. Rom.2.6. Igitur sicut mala opera damnationis, sic bona opera iustificationis caussa sunt. Contrariorum enim contraria sunt consequentia.

Respondeo, Ad euitandum Paralogismum secundum non caussam, vt caussam, illud nobis perpendendum, quid sibi illa oratione Paulus velit. Affirmat, citra iusticiam neminem seruari posse: & addit conditionem ἀδιάπτον, si cuius opera plena perfectáque sint, secundum ea illi retribuendum. Atqui nullius opera eiuscemodi sunt. Vnde liquet ad Christum fide nobis confugiendum, vt propter eum iustificemur. Gal.2.16. Itaque qui opera allegant à nemine vnquam (solum D. Iesum Christum excipio) præstita τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον allegant. Porrò si contraria vtrinque essent completè talia, valeret consequentia. Atqui multum dissimilia sunt. Nam mala opera merentur pœnas temporales & æternas. Bona autem opera, cùm sint imperfecta, non merentur vitam æternam, aut temporalia æternáve præmia.

2. Danielis 4.24. Quamobrem ô Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua iusticia redime, & iniquitates tuas miseratione pauperum, ecce erit medela delicti tui.

Ergo Eleemosynis, quæ hoc loco iusticia vocantur, redimuntur peccata. Porrò, nihil dubium est ea re nos iustificari, qua peccata redimuntur.

Respõdeo, Cum Psal. 130. 8. Iehouah dicatur redimere Israelem ex omnibus iniquitatibus, nec ei contradicat Daniel, peccata metonymicè pro pœnis peccatorum ab eo sumta videmus. Solet autem Dous mitigare aut differre pœnas, cum ea opera fiunt, etiam ab hypocritis, quæ societati hominum & Dei gloriæ nonnihil seruiunt, vt de μεταμελείᾳ Achab dicitur. 1. Reg. 21. 29. Hoc qui non vident, non causſam iustificationis vt causſam adducunt: magnoperè in eo cæcutientes, quòd vni eleemosynæ, ceu causſæ, iustificationis ἀποτέλεσμα acceptum ferunt.

Porrò redimendi verbum, non ad Deum, sed ad homines, à Rege tyrannicè oppressos, & Danielis sententia, verè regia beneficentia exhilarandos, referri debet, Deum enim misericordem experiuntur, qui erga conseruos misericordes sunt. Matt. 18. 33. Ac in hoc simili búsque dictis non causſa remissionis peccatorum, sed modus veræ conuersionis describitur.

3. Mihi viuere Christus est, mori lucrum. Phil. 1. 21. Si, ait Eccius, lucrum ergo meritum.

Respondeo esse fallaciam in argumento à non causſa, quæ meliore interpretatione facile diluitur. Cum Christus vtriusque membri subiectum sit, ita verti debent Apostoli verba: Mihi enim est Christus & in vita & in morte lucrum. Iam quis homo intelligens dicat, Christum ideo lucrum dici, quia humanis meritis paretur, cum sit scriptum: Filius nob.s datus est. Isa. 9. 6. Itẽ, Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo omnia nobis gratificetur? Rom. 8. 32. Nesciunt qualis & quantus sit Christus, qui eum humanis viribus meritísque parabilem esse somniant.

4. Filioli, nemo vos seducat: qui facit iusticiam iustus est: sicut & ille iustus est. 1. Ioan. 3. 7. Aduerte hîc, ait Eccius, opera ex suo genere bona, esse Deo grata, æternæque vitæ meritoria, id accipiendum esse de operibus viuis, hoc est, quæ procedunt ex vitæ spiritualis principio, quod est gratia & caritas: qualia opera faciunt iusti ex fide per dilectionẽ operante, Abac. 2. Gal. 5.

Respondeo, Ridiculum esse Eccij Sophisma. Nam cum Ioannes loquatur de Sanctificatione & de exercitiis eius, quę Iustificationem subsequuntur, & nos Christo similes efficiunt, qua tandem ratione ductus Sophista, ei tribuit iustificandi vim? Num causſa posterior est effectu suo?

5. Ait Dominus ad Abrahamum, Ego ero merces tua magna nimis. Genesis 17. Igitur opera bona sunt meritoria vitæ æternæ ex diuina pręordinatione, & gratia Dei acceptante, vt loquitur Eccius.

Respõdeo, In hac Stropha est fallacia secundũ nõ causſam vt causſam, sicut vel illud argumento est, quòd inter meritũ & tantã mercedem nulla planè est proportio. Quæ tãdem merita humana causſa esse possunt, infinitæ istius mercedis, videlicet Iehouę? Fateamur itaque id quod res est, Deum illis verbis, Abrahæ iam pridem iustificato, non qua demum ratione iustificari posset indicauisse, sed potius quam bonorum operum remunerationem gratis accepturus esset, ei aperuisse. Excitat enim in nobis fouétque Deus nouæ obedientiæ studium, promissionibus dulcissimis de gratuita remuneratione. Ac quis miretur Deum sua in nobis dona coronare?

6. In

6. In Colloquio de Religionis Controuersiis, Anno Christi 1557. in vrbe Vangionum, habito, Monachus quidam Bauaricus, ineptè Platonizans, Melanchthoni, Orthodoxæ Religionis cõstantissimo assertori, Paralogismum ridiculum à non caussa vt caussa, obiecit.

Iustificatio est renouatio & perfectio omnium Animæ potentiarum. Iam verò τὸ ἡγεμονικὸν, fide: τὸ θυμοειδὲς, spe: & τὸ ἐπιθυμητικὸν, caritate perficitur. Non igitur sola fide iustificamur.

Quam sit insulsa hæc λεπτολογία, vel ex eo liquet, quod opinione istius Cucullionis dilectio Dei in iocinore collocanda est, cum vox diuina dicat: Diliges Deum ex toto corde? Nec etiam τὸ ἡγεμονικὸν definiendum est noticia sola, sed etiam voluntate & προαιρέσει, quæ vult & eligit ea quæ recta ratio, diuina luce accensa & illustrata, docet. Res ipsa autem loquitur, non intellexisse hominem, quid sibi hæc orthodoxa propositio: Sola fide iustificamur, velit. Non enim hoc vult, fidem vnam solámque ad nos iustificandos per se sufficere: sed, sola fide, Christum, per & propter quem iustificamur, apprehendi à nobis & applicari.

7. Missa valet ex opere operato, & pro aliis oblata tollit reatum pœnæ & culpæ, vt inquit Gabriel Biel in Lectionibus super Canonem Missæ. Igitur non iustificamur fide, gratis, seu absque operibus.

Respondeo, Est fallacia secundum non caussam, vt caussam. Etsi autem Clingius, commenticia distinctione, Operis operati, quod Deo, & operis operantis, quod Sacrifico ille tribuit, præmissa, virtutem Missæ transferri in Agnum Dei, non in ceremoniam Missæ, fatetur: non tamen probat, Missam esse Sacrificium pro viuis & mortuis offerendum. Quod si Missam Sacramentum esse putauit, cur non illud Augustini secum ipse perdendit: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti, iustificat? Sin Sacrificium esse censuit, cur non probauit, Christi oblationem à Sacrificio quotidie applicandam viuis & mortuis? Est enim illi Missa, obsecratio propter Agnum Christum, non propter opus Missæ ex sua dignitate, vt Deus misereri dignetur viuis & defunctis.

X.

4. *Ad fallaciam Consequentis, ista & similia Sophismata referuntur.*

1. Possibile est hominem Legi satisfacere, nam Deus non præcepit impossibilia, non enim illudit miseris. Igitur fieri potest vt homo lege iustificetur.

Respondeo, Est fallacia Consequentis. Nec valet consequentia à posibili ad inesse. Porrò Deus non præcepit ἀδύνατα, si primam hominis creationē, & perfectam eius innouationem, imprimis autem Spiritus sancti virtutem καὶ ἐπιχορηγίαν in saluandis, spectes.

2. Dici de aliquo requirit inesse: quod dicitur de accidentibus positiuis & durabilibus. De piis dicitur quod sint iusti. 1. Pet. 4, 18. Igitur piis est habitus quidam iusticiæ, cuius gratia iusti sunt: sic vt non sit necesse imputatione iustos fieri.

Respondeo esse fallaciam Consequentis, quia in ambiguis coniugatis nõ valet consequentia. Fideles, iusti ideò potissimum dicuntur, quòd condonatis peccatis iusticia Christi eis imputando confertur, non autem propter exercitio acquisitum iusticiæ habitum. Ac plus est in conclusione, quam sit in præmissis.

3. Qui iustè faciunt, iusti fiunt: vt qui fortiter in periculis agunt, fortes. At qui secundum spiritum incedunt, iustè faciunt, agendo igitur iusti fiunt, seu iustificantur.

Respondeo, Est fallacia Accidentis, non enim etiam in Philosophia, in coniugatis valet consequentia, cum est ambiguitas. Habitus virtutis vna actione aut paulò pluribus, non paratur. Donum autem iusticiæ Christi, Deo gratificante, sine nostro merito, semel & ἀμεταμελήτως datur. Cæterum biuariam iusti fimus, imputatione, cum iustificamur: incoatione, cum sanctificamur: nec isti modi permiscendi sunt.

5. *Ad fallaciam secundum plures interrogationes, referantur huius generis Sophismata.*

1. Omnium præstantissima virtus, potissimum confert ad hominem iustificandum. Atqui caritas omnium est præstantissima virtus. Itaque caritate potissimum homo iustificatur.

Respondeo, Fortassis alius ad aliam fallaciam referret hoc λεπτολόγημα: sed nos ad fallaciam secundum plures interrogationes referemus. De vna caritate plura dici possunt verè, sed diuerso respectu, nullo autem modo de ea dici potest quòd iustificet hominem corã Deo. Caritas amplitudine & diuturnitate vincit fidem: & tamen eadem, originis respectu posterior est fide, è qua nascitur. Maior autem etiam principij petitione laborat, quia falsò præsupponit, πὸ: Si quæ duæ pluréfve virtutes iustificant, tum ea quæ inter illas omnium est præstantissima, maximè iustificat, quod esse falsum pij & intelligentes vident. Neque verò ideo fides iustificat, quia caritate vel inferior vel superior est: sed quia Christum Iesum cum omnibus suis meritis apprehendit & applicat credenti.

6. *Ad Petitionem principij huiusmodi argumenta referantur.*

1. Pharisæi, Pelagiani, Scholastici Theologi operibus suis hominem iustificari censuerunt. Ergo ita res habet.

Respondeo, Multitudo errantium, non parit errori patrocinium: Nec συγκρπτσμὸς errantiũ, nec vetustas erroris, pios mouere debet, vt vanis & pernicios commentis assentiantur. Non enim, vt Cyprianus piè monet, quid hic aut ille ante nos dixerit, sed quid Christus, qui ante omnes est, pronunciauerit, spectandum.

2. Opera supererogationis magni facit Romana Ecclesia, qualis ea nunc est. Talia autem sunt Monastica vota & exercitia corporalia. Sunt igitur magnifacienda.

Respondeo, Ἐργαπάρεργα illa diiudicata & damnata esse voce grauissima Christi Domini nostri: Frustra colunt me docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum: Matth. 15. 9. nec secus nobis de ἐθελοθρησκείαις & humanis illis commentis pronunciandum esse, quàm ille pronunciauit, quicquid tandem figmentorum humanorum Patroni clamitent.

7. *Ad Elenchi ignorationem referri debet hoc Sophisma, quo sibi mirificè placent, cùm duos Apostolos inter se Papistæ committunt.*

Paulus ait: Colligimus fide iustificari hominem absque operibus Legis. Rom. 3.

Rom.3.28.Econtra Iacobus: Videtis igitur,ait,ex operibus iustificari hominẽ & non ex fide tantùm.Iac.2.24.Paulus iustificatum esse Abrahamum fide ad iusticiam imputata,vnà cum Mose,adfirmat.Rom.4.3.Gen.15. 6.Contra Iacobus : Abraham,inquit,pater noster,nónne ex operibus iustificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare?Iac.2.21.Pugnantia igitur tradunt siue thesim siue hypothesim consideres. Quæ autem certitudo esse potest eius doctrinæ, de qua summis eius promis & condis non potuit conuenire?

Respondeo, Est Paralogismus Ignorationis Elenchi, nec enim κατὰ τὸ αὐτὸ ista ab vtroque Apostolo dicta sunt.

Iacobus quo pacto quispiam se iustificatum esse,rebus ipsis declaret, recte ostendit.Sanctificatio enim,quæ bonorum operum studium complectitur,est certissimum antegressæ iustificationis testimonium.

Paulus,qua ratione quispiam iustificetur,perspicuè docet.

Nec vterque in eadem significatione vsurpauit fidei & iustificationis vocabula. Iacobus de noticia historiæ loquitur,quæ communis est & Electis & Reprobis,ipsisque adeò Diabolis. Paulus de fide, quæ est certissima misericordiæ Dei fiducia, à Spiritu sancto accẽsa,Christum apprehendens,differit.Iacobus,Iustificationẽ declarationẽ vocat eius per opera bona.Paulus, remissionẽ peccatorũ & imputationẽ obedientiæ Christi. Postremò,Paulo negocium erat cum resipiscentibus, qui qua ratione & cuius caussa iustificarentur, edocendi erant. Iacobus eos alloquitur, qui Deum se iam scire & fide sese excellere gloriabantur,factis autem negabant.Ac huius viri concione hoc nostro tempore, modis omnibus opus esse, propter Pseudochristianorũ colluuiem vanámque de fide iactantiam,pij homines facilè vident.

Appendix.

Prudenter Irenæus monet,hæreses quasdam adeò monstrosas esse, vt eas è latebris Sophisticis in lucem pertrahere, & exponere idem sit,quod refutare. Eius rei exempla quædam in gratiam piæ Iuuentutis subiungemus, vt gratias Deo agat pro reuelata Euangelij luce,& vt veritatem quidem amet, mendacia autem odio habeat.

Bernardinus Rosetus,Serm.20.

Ergo debemus præsumere, & pro certo tenere, quòd post hanc vitam sine dubio æternam habebimus,pro remuneratione bonorum operum.

In Compendio Theologico.

Opera bona sunt meritoria,Trium scilicet, vitæ æternæ, augmenti gratiæ,remissionis pœnæ.

Petrus à Soto in sua de bonis operibus Assertione catholica.

Sentiendum est iuxta Ecclesiæ catholicæ sensum, bonis operibus quæ ex diuina gratia fiunt,ita esse fidendum,vt ad expianda peccata, iram Dei placandam,& vitam æternam consequendam,necessaria sunt.

Blasphemi barbaricíque versus.

Pro vno nummo, gaudebis in æthere summo,
Et pro mercede, Christe dices, Mihi cede.

Item:

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, e do, dono, per hæc venialia pono.

CLARISS. ATQ. ORNATISS. VIRO D. D. IOANNI IACOBO GRYNAEO, S. THEOLOGIAE DOCTORI, PRAECEPTORI PLVRIMVM OBSERVANDO.

SVnt quos castra mouent, & trepidis iuuat
In rebus stomachum cedere nescium,
Cædes pérque furentes
Offerre intrepidos mori.
Hic lucri studio perfragilem nimis
Committit Pelago dissociabili
Nauem: nec mouet vllus
Contempti capitis metus.
Gaudet rure alius, collibus & suis,
Nunc stratus viridi membra sub arbuto,
Nunc in valle reducta
Prospectat timidum gregem.
Illi Melpomene læta, & Apolline
Insignes celebrant carmine prælia, &
Tinctos sanguine riuos
Aptatis cithara modis.
Illum nobilitat prætereuntium
Monstratum digito grata scientia,
Quæ morbos valet antè
Placare illacrymabiles.
Tu terrena relinquens vacuo æthere
Pennis aggrederis stelliferam domum:
Tu decreta resoluis
Diuinæ sapientiæ.
Tu gentem Domini quis deceat status,
Vt peccare nefas, vt precium mori:
Mundanásque sinendas
Dicis delitias breues.
Vt qui morte magis flagitium timet,
Nil concedet is vltra tenuem cutem
Morti: deinde resumens
Ædes æthereas petet.
At corpus tunica iam iam adamantina
Munit dira mouens prælia bellua
Romana: atque recurfat
Sub mente exitium breue.

Coniurata

Coniurata furit te reperire atrox:
Nequicquam Satana præsidio tamen
Instat: nónne vides vt
Dentes & rabiem parat.
Circa pectus inest sed tibi ferrea
Armatura triplex corpora protegens:
Fulgens Gorgone sæua
Et cristis galea horridis.
Iam Monstrum ore vomens & rabiem feram
Et stragem minitans funera præparat
Dementésque ruinas.
Tu magni memor Herculis,
Probrosæq́ fugæ ac cedere nescius,
Monstrum hoc nil pauidus despicis horridum:
Reiectæq́ retrorsum
Sunt corde impauido minæ.
Formidandus ades quò graue prælium
Forti perficias, non vice simplici:
Commotóque fatiges
Vesanam impete belluam
Non fœcunda fuit, non mage pertinax,
Non tam sæua diu creuit in Herculem
Victorem Hydra, ferire ab
Sciso corpore promptior.
Nequicquam tamen excipit asperos
Ictus: icta cadet puluere sordida.
Iam ferrumilia subter
Quærit corda latentia, ac
Terram lapsa furens mordicus arripit.
Iam Christo paries exuuias habet
Votas, magna trophæa
Grynæo tibi debita.

Ianus Hortensius Lausan.

DECAS SEXTA
THESIVM DE HISTORIA FIDEI CHRIstianæ: in qua agitur de Resurrectione Carnis, de Iudicio extremo, & de Vita æterna. De ea autem, Præside & auctore D. Ioh. Iacobo Grynæo, S. Theologiæ Professore, in publica Συζητήσει Theologiæ Candidatorum, 10. Maij respõdit IOANNES IACOBVS BAVMANNVS, *Tigurinus.*

A D

Antiquæ primariæque nobilitatis Iuuenem, ANTONIVM RANZOVIVM, *Magnifici Viri* D. ANTONII RANZOVII *filium, Holsatum, virtute & ingenio illustrem.*

1. *Cor.* 15. 22.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

DE RESVRRECTIONE CORPORVM NOSTRORVM ET VITA AETERNA.

Hinc quoque post obitum quòd corpora nostra resurgent.
Lucet amor, lucet gratia summa Dei.
Quis putet? in cinerem resoluta cadauera viuent,
Accipiéntque nouum glorificata decus.
Scilicet hæc mortis CHRISTI vis, gratia, fructus,
Hic est viuifico sanguine partus honos.
Huc igitur miseris mens anxia respice curis,
Hîc tua quod solidè vulnera sanet, erit.
Quid sæuire iuuat flammis & cæde Tyrannos,
Impia vis animæ si nihil illa nocet?
Mille cruces, & mille rogos, mortémque famémque,
Dum maneat menti spes ea, ferre leue est.
Vt fremat, vt diras animo coquat impius iras,
Vt pius in terris tristia multa ferat:
Huic æterna tamen post mortem vita parata est,
Cui nihil admixtum flebile, triste nihil.
Hæc lachrymis posita est, hæc meta nouissima morti,
Principium hæc veræ meta salutis habet.
Qualis ibi, & quàm dulcis erit, quàm longa voluptas,
Quantáque lætitiæ copia, quantus honos?
Ipse Deus sese manifesta in luce videndum,
Qui quasi per nebulam cognitus antè, dabit.
Vnica progenies, mitissime CHRISTE, parentis,
In cuius posita est sanguine nostra salus:
Da precor illecebris mundi Sathanæque relictis,
Te solum aspirent pectora, téque velint.
Vt tua cum iniunget reprobis sententia pœnas,
Nostra patrocinio sit bona causa tuo.

IOANNES SANDERVS
Lunæburgensis, Saxo.

DE HISTORIA FIDEI THESIVM decas postrema.

I.

SIT nomen Domini nostri Iesu Christi benedictum, quòd cius inæstimabili beneficio nobis datum est, religiosis Disputationibus in hac Academia, enucleare & illustrare doctrinã sanam de fidei historia. Faxit idem, vt nunc coronidis loco Spei doctrinam theologicè, hoc est, placidè, solidéque ad Dei laudem & nostram institutionem, tractare possimus: Amen.

Vt autem basis aurea & planè immota καὶ αὐτόπους sit Disputationis huius de complemento Regenerationis nostræ, trium Symbolorum, Apostolici, Niceni & Athanasiani, Articulos initiò recitabimus. Credo carnis resurrectionem

ctionem & vitam æternam. Expecto resurrectionem mortuorum,& vitam venturi seculi.His religiosè subscribens Athanasius:Ad Christi,inquit, aduentum omnes homines resurgẽt cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.Et qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam: qui verò mala,in ignem æternum.

Cæterùm, ex methodi syntheticæ præscripto, primò de Resurrectione carnis:secundò,de Iudicio extremo: tertiò,de æterna & beata vita, quæ opponitur exitio perpetuo, σὺν Χριστῷ, ingemus:& ea quæ ad institutionem & consolationem nostram faciunt,curiosis καὶ τοῖς κεκρυμμένοις consultò omissis, persequemur. Porrò,cùm contrariorum eadem sit doctrina,de Reproborum resurrectione & pœnis,in hac temporis angustia,nihil annotare visum est.

II.

DE CARNIS RESVRRECTIONE.

Cum autem Resurrectionis vocabulum in diuinis Scripturis ὁμώνυμον sit, illud ante omnia profitemur,in hac Disputatione nos iam non de Priori resurrectione agere,quæ animorum potissimùm est,Rom.6.4.5.sed de posteriore,quæ carnis erit:de qua dicitur Apoc.20.13. Et reddidit Mare mortuos quos habebat: Mors quoque & Infernus reddiderunt mortuos quos habebant.Et Ioan.Damascenus lib.4.Orth.fidei,cap.28.sic describit: ἀνάστασις ἐστὶ δευτέρα τῶν πεπωκότων φύσις. De hac dicturi,in gratiam Iuniorum,primùm, An sit Resurrectio carnis nobis speranda?deinde, Quo pacto secundũ Scripturas illa nobis sit definienda?tertiò, Quas illa causas habeat? postremò, Quid de ea nobis sit statuendum?non vt Academico more,in dubium vocemus vllos Fidei Articulos,quos omnes sacros,inuiolabiles καὶ ἀμετακινήτους esse credimus:sed vt eos demonstrando illustremus, ordinè & logicè καθ' ὕλην illa quatuor capita exponemus.

An sit.

1. Resurrectionem à mortuis esse, Gentium Doctor Paulus primùm hoc argumento,non ab exemplo,sed à correlatiuorum natura,Christique & fidelium similitudine,probat.Quòd si Christus prædicatur ex mortuis excitatus esse,quomodo dicunt quidam inter vos,non esse resurrectionem mortuorum?1.Cor.15.2.

Sententia est:Simpliciter impossibile est,aliam esse membrorum viuorũ, quàm Christi capitis sortem. Est enim Christus is,qui dat salutem corpori: Eph.5.23.& qui vult,vt ij quos ipsi dedit Pater,cum ipso sint, & conspiciant gloriam ipsius:Ioan.17.24. Constat autem,Christum Iesum resurrexisse ex mortuis,testib.Angelis electis,& hominibus tam fidelibus, vt Apostolis & aliis,quàm infidelibus & Christi hostibus,vt est videre Matth.28. Marc.16. Luc.24.Ioan.20 & 21.Actor.1 & 2.1.Cor.15.Quare & nos,qui illius membra sumus,certò resurgemus.

2. Idem Apostolus per reductionem ad absurdum, demonstrat carnis resuscitationem,his quidem verbis: Nam si resurectio mortuorum non est, Christus quoque non est excitatus.1.Cor.15.13.Sententia est:

Si non est mortuorum resurrectio, tum nec Christus resurrexit. Quis enim sanus piúsque capiti tribuat resurrectionem, eiusdem autem veris viuísque membris eam deroget?At consequens est absurdum & impium:cũ

& Prophetarum vaticiniis, & Euangelistarum verissimis narrationibus de Christo resuscitato, Euangelij promulgationi, & denique electorum fidei, è diametro repugnet. Ergo & Antecedens ἄτοπον & impium est.

3. Etsi autem tanta est euidentia & certitudo illarum duarum demonstrationum Paulinarum quas adduximus, vt nulla Sophistica conuelli possint: & rectè dictum est ab Exoterico illo, ἐυώνυμον ἐς δίκαν τρία ἕπεα διαρκέσει: addam tamen & tertiam ex Ioannis cap. 5. v. 25. 26. 27. 28. petitam, vt, quemadmodum fieri par est, inuenta seu animaduersa Demonstrationum certitudine & συμφωνίᾳ, piæ mentes reiiciant contrariam imaginationem, nec dubitatio de comparatione maneat.

Simpliciter impossibile est secus habere Resurrectionis negocium, quàm Magnus ille Deus, qui ἀψευδὴς est, non solùm disertè pronunciauit, sed etiam iureiurando (quod τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς θεοῦ, id est immutabilitatem consilij Dei testatur. Heb. 6. 17.) sanctissimè confirmauit. Vt enim verax, sic etiam omnipotens ille est, & summo consilio omnia decernit peragítque, nec vel mutat propositum, vel præpediri potest.

Sed magnus ille Deus & Seruator noster Iesus Christus, Tit. 2. 13. qui est via, veritas & vita, Ioan. 14. 6. & resurrectio, id est, auctor nostræ resurrectionis, Ioan. 11. 25. etiam sanctissimo iureiurando adhibito, testatur, se nõ solùm nos in hac vita amabili sua voce spiritualiter viuificare, vt noua vita ambulemus: sed etiam hora diuinitùs præstituta, omnes qui in monumentis sunt, suscitaturum esse ex mortuis: quod non nisi de carnis nostræ resuscitatione intelligi debet. Ioan. 5. 25. 28. Rom. 6. 4.

Quare ἀναντρέπτως concludimus, expectandam esse nobis qui in Christum credimus, resurrectionem carnis & æternam vitam: infidelibus autem, resurrectionem condemnationis. Ioan. 5. 29.

III.

2. Quid sit?

Etsi autem, quod inter efficientem causam & subiectum, id inter Resuscitationem à mortuis & Resurrectionem intercst: quo nomine Deus ὁ ἐγείρας Suscitans vocatur, 2. Cor. 4. 14. eique nostra ἔγερσις καὶ ζωοποίησις, excitatio & viuificatio propriè tribuitur, Ioan. 5. 21. Resurrectio verò mortuis hominibus adscribitur, quia est ἡ πεπτωκότων δευτέρα στάσις, vt Damascenus loquitur: tamen, cum resurrecturi dicamur, Deo videlicet nos suscitante, ad Actionis Categoriam Resurrectionem carnis referentibus, ea lege assentimur, vt tamen, non Physicam eam actionem esse (si inquam efficientem causam & modum: non autem, si formam spectes) sed θαυματουργικὴν Deique solius propriam (quia mirando modo ex puluere terræ cadauera suscitabuntur) statuamus.

1. Genus est, παλιγγενεσία, Regeneratio, Matt. 19. 28. Ne quis igitur creationem hominum è nihilo fingat. Probanda sanè nobis est Tertulliani illa nobilis de resurrectione vox: Nõ alius ero, sed aliud. Quemadmodum enim Christus carnem, quam semel assumpserat in personæ vnitatem, resurgens retinuit: ita nos quoque à mortuis resurgentes, nostra, non aliena corpora accipiemus. Seminatur, ait Paulus, corpus animale, excitatur corpus spirituale (1. Cor. 15. 44.) videlicet non substantia ἄλλο, aliud: sed qualitatibus nouis ornatum & regenitum.

2. Differentia est, Animæ propriíque eius corporis copulatio. Sicut enim

enim Mors prima, est Animæ & corporis diuortium, Eccl.12.7. Et reuertatur puluis (id est, Corpus) in terram, quemadmodum erat: & Spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum: ita Resurrectio à mortuis, est vtriusque desideratissima coniunctio, quæ maximè est κατὰ φύσιν, cum sit amabilis Materię & formæ copulatio in homine, eius personam instaurans & constituens. Iuxta illud: Tunc clamauit Elias ad Iehouam, & dixit: Iehouah Deus mi, reuertatur obsecro anima pueri huius in interiora eius. Et exaudiuit Iehouah vocẽ Eliæ, reuersáque est anima pueri in interiora eius, & reuixit. 1.Reg.17.21.22. Ex hac narratione colligimus, 1. Dei nutu & exstingui homines anima immortali è suo corpore euocata, & resuscitari eadem restituta. 2. Vitam immortali è suo corpore euocata, & resuscitari eadem restituta. 2. Vitam in copulatione animæ & corporis positam. 3. Stolidum figmentum esse eorum, qui resuscitatorum animas & corpora permutari posse opinantur: cum cuique animæ non nisi proprium corpus Deus quasi postliminio olim coniuncturus sit.

3. Proprium in quarto modo Resurrectionis mortuorum ad vitam spiritualem, est perpetuò viuere, sic vt quemadmodum Christus non amplius moritur, nec ei mors amplius dominari potest (quam ob causam idem vocatur ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, principium & primogenitus ex mortuis: quia primus omnium resurrexit, non ad animalem, sed ad spiritualem vitam. Rom. 6.9. Col.1.18.) ita quoque viua eius membra in æternum viuent, nec vnquam morientur, vbi semel ad æternam vitam excitata fuerint. Alia enim ratio est resuscitationis ad vitam animalem, quæ certam habet periodum: vt filiæ Iairi Archisynagogi, Matt.9.25. Viduæ Naimiticæ filij, Luc.7.15. Lazari, Ioan.11.44. alia verò resuscitationis ad spiritualem & æternam vitam, quæ sempiterna erit.

4. Auctor resurrectionis est Deus. Iuxta illud: Deus autem & Dominum suscitauit, & nos suscitabit potentia sua. 1.Cor. 6.14. Nec enim vllius creaturæ viribus, mortuis vita restitui potest.

Ex iis quæ diximus, hæc Resurrectionis finitio constitui potest: Est hominum regeneratio, quæ fit, quando diuina potentia, corpora cum suis animabus coniungũtur, vt perpetuò viuant. Nec aliud sibi voluit Damascenus his verbis: Εἰ μὲν θάνατον ὁρίζονται, χωρισμὸν ψυχῆς ἀπὸ σώματος, ἀνάστασις ὅτι πάντως, σωμάτων ἐκ πάλιν ψυχῆς τε καὶ σώματος, καὶ δευτέρα τοῦ διαλυθέντος καὶ πεσόντος ζώωσις.

IIII.

3. Quæ causſæ.

1. Resurrectionis nostræ ἄιτιον κύριον est Deus, qui vt creatione rerum è nihilo sese δημιουργὸν & creatorem declarauit: ita idem suscitando mortuos se θαυματουργὸν demonstrabit. Quemadmodum autem is, pro immensa sua gratia erga nos & virtute, spiritualiter, vnà nos iam viuificauit per Christum, excitauit & in cœlis collocauit: Ephe.2.5.6. ita per Christum, cui ille nos dedit, non perdet quenquam è nobis, sed suscitabit nos vltimo illo die. Ioan. 6.39.40.

2. Finalis causſa resurrectionis omnium mortuorum, tradita est à Christo, Ioan.5.29. Et prodibunt qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Vt ergo vitæ dono electis collato, gloria gratiæ Dei: sic iusta condemnatione infidelium, iustitiæ & potentiæ Dei gloria, illustrabitur.

3. Materia seu subiectum Resurrectionis erit homo cuius corpus quidẽ

è puluere tẽrræ ſuſcitatum, inſtaurabitur: Anima verò corpus priſtinum & iam vt accommodum domicilium incolet, non autem vt σῆμα, ſicut Plato dixit: & conuenientiſſimum illud præſtantiſſimúmque ad varias facultates declarandas organum obtinebit. Piè Tertullianus: Non erit anima proſtituta, vt nuda ſuſcipiatur à ſponſo. Habet inſtrumentum, habet cultũ, habet mancipium ſuum carnem, vt collactanea comitabitur. Sed caro eſt ſponſa, quæ in Chriſto Ieſu ſpiritum ſponſum per ſanguinem paſſa eſt.

4. Fõrma Reſurrectionis eſt, Animæ & Corporis proprij non alieni, iterata coniunctio. Vt autem in generatione hominis fit copulatio iſta, vitę animalis gratia: ita in regeneratione ſeu reſuſcitatione à mortuis, fiet illa copulatio, vitæ ſpiritualis nomine. Eſt, inquit Paulus, corpus animale, & eſt corpus ſpirituale. 1. Cor. 15. 44. Ita quoque eſt vita animalis, cuius quæ ſint fomenta, non eſt obſcurum: & olim erit in nobis vita ſpiritualis, in qua Chriſti ſpiritus, omnium inſtar nobis erit, & nos viuificabit in æternum.

V.

4. Quòd ſit. 1. Nihil dubium èſt, omnes mortuos in extremo die ſuſcitandos eſſe. Iuxta dictum: Ne hoc miramini, nam veniet hora, qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem illius: Ioan. 5. 28. Si omnes ſiſtentur ad tribunal Chriſti, neceſſe eſt omnes prius ſuſcitari ex mortuis. Prius eſt: igitur & poſterius. Apoc. 20. 13. Et reddidit Mare mortuos quos habebat: Mors quoque & Infernus reddiderunt mortuos quos habebant.

Ex his & ſimilibus dictis colligimus, non particularem, ſed vniuerſalem fore reſurrectionem.

2. Nec illud quoque dubium eſt, Corpora reſurrectura, non autẽ Animas, contrà quàm opinatus eſt Ioan. 22 papa Romanus. Nam, vt demonſtratiuè loquens Damaſcenus ait: αἱ δὲ ψυχαὶ ἀθάνατοι ὄσαι, πῶς ἀναστήσονται: Animæ, cum ſint immortales, quomodo reſurgent? Præclarè Tertullianus in li. de Carnis reſurrectione: Cum audio, inquit, reſurrectionem homini imminere, quæram neceſſe eſt, quid eius cadere ſortitum ſit. Siquidem nihil reſurgere expectabit, niſi quod antea ſuccideri. Qui ignorat carnem cadere per mortem, poteſt eam nec ſtantem noſſe per vitam. Sententiam Dei natura pronunciat: Terra es, & in terram redibis. Et qui non audit, videt. Nulla mors non ruina membrorum. Et paulo pòſt: Atque adeò caro eſt, quæ morte ſubruitur, vt exinde à cadendo cadauer renuncietur. Anima porrò nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit.

3. Reſurrectio & gloria, propria eſſentialia corporum humanorum non tollent: vt in eiuſdem libri calce Tertullianus docuit, cuius hæc verba ſunt: Non dixit Chriſtus, Erunt angeli, ne homines negaret: ſed tanquam angeli, vt homines conſeruaret. Non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. Reſurgit igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipſa, & quidem integra. In depoſito eſt vbicunque apud Deum, per fideliſſimum ſequeſtrem Dei & hominum Ieſum Chriſtum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet: carni ſpiritum, & ſpiritui carnem. pag. 89.

4. Non omnes quidẽ obdormient, omnes tamen immutabuntur. Superſtitibus enim in ſecundo Chriſti aduentu, ἀλλαγή, ſeu mutatio, quæ momẽto peragetur, mortis vice erit, vt in illis quoque corruptioni obnoxium induat incorruptam naturam. 1. Corint. 15. 51. 52. 53. Idem Apoſtolus immutationem

cap.

cap.eodem.verſ.42.43.44.eleganter deſcribit:Seminatur corpus corruptioni obnoxium,excitatur incorruptum: ſeminatur ignominioſum , excitatur glorioſum:ſeminatur infirmum,excitatur potens.Seminatur corpus animale,excitatur corpus ſpirituale:eſt corpus animale (quod cibo, potu,veſtitu, pharmacis,alterna quiete opus habet:quod procreationi,nutritioni,deſtinatum eſt) & eſt corpus ſpirituale. Ex his colligimus,non quidem quoad eſſentialia principia ἀλλαγὴν & varietatem fore : ſed quoad qualitates & accidentia , quæ ſaluo ſubiecto poſſunt mutari: vt etiam Chriſti à morte reſurgentis exemplum docet. Manſit is, vt Gregorij Nazianzeni verbis vtar, περίγραπτος τῇ σαρκὶ, ἀπερίγραπτος τῷ πνεύματι , id eſt , carne circumſcriptus, ſpiritu ſeu Deitate incircumſcriptus. Et ſanctum illius corpus eo loco , in quo reuera erat , viſu tactúque percipi potuit etiam poſt glorioſam reſurrectionẽ: neque enim maieſtas & gloria naturæ humanæ veritatem & eſſentiales proprietates ei ademit.Luc.24.38.Ioan.20.27.

5. Circumſtantię noſtrę reſurrectionis,quas ad conſolationem noſtram Deus,pro ſua bonitate,nobis innoteſcere voluit, prolixè deſcriptæ exſtant. 1.Cor.15.1.Theſſal.4.Apocal.20.& alibi.

6. Paralogiſmo ignorationis Elenchi ſibiipſis impoſuerunt Hymenæus & Philetus , qui circa veritatem à ſcopo aberrauerunt , dicentes , Reſurrectionem iam eſſe factam.2. Timoth.2.17.18. & Valentiniani , qui corporum παντολεθρίαν commenti ſunt,& denique alij ſequaces.Neque enim prior reſurrectio,quæ ſpiritus eſt & noui hominis : & poſterior,quæ carnis noſtrę eſt, κατ' αὐτὸ accipi & confundi debent,nec ex illius aſſeueratione,huius negatio ἀσυλλογίστως colligenda eſt. Ea enim lege atque omine , cum eſſemus mortui in offenſis & peccatis, viuificati & reſuſcitati ſumus ſpiritualiter , vt tamen, propter peccati in carne noſtra reliquias , prima morte , velut cataſtrophe mortificationis carnis , nos defungi , & nihilominus carnis reſurrectionem ſperare oporteat.

VI.

DE EXTREMO IVDICIO.

Vtinam verò nobis,qui (vt Gregorij Romani Epiſcopi verbis vtamur) ſine intermiſſione ad iudicium properamus,idem ſit animus , qui olim fuit beato Hieronymo,cuius hæc verba ſunt:Quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco.Siue enim comedo,ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio,ſemper videtur illa tuba terribilis ſonare in auribus meis : SVRGITE MORTVI, VENITE AD IVDICIVM.

Sic tamen temperandus nobis eſt terror,quem iudicii extremi expectatio parit & fouet,vt ne Felici Iudææ quondam Præſidi ſimiles ſimus , qui Paulo Apoſtolo de iuſticia,continentia & iudicio futuro differente , expauefactus reſpondit:Nunc quidem abi : cæterùm opportunitatem nactus accerſam te.Act.24.25.ſed vt memores ſimus ſanctæ ad veram reſipiſcentiam exhortationis & cõſolationis beati Auguſtini ad Demetriadem,Epiſt.142. Ad illum diem para te,in quo mundi gloria finienda eſt. Illum inquam diem, quem Saluator diluuio comparauit , qui multos fallaci ſecuritate deceptos, furtiuo (vt ait Apoſtolus) comprehendet aduentu.In eadem Epiſtola : Tu verò , ait , cui aduentus Chriſti dierum noctiúmque meditatio eſt , cui pro

conſcientiæ puritate Domini eſt optanda præſentia, quæ conſummationem ſeculi, quaſi certum præmij tui tempus exſpectas, exultationem de cœlo capies, non timorem, &c.

Sit autem & huius de Iudicio extremo σωτάξεως, quam è diuinis Scripturis petendam cenſemus, aurea baſis dictum hoc Apoſtolicum, Act. 17. 30. 31. Deus nũc denunciat omnibus vbique hominibus, vt reſipiſcant. Eo quòd ſtatuit diem, quo iuſtè iudicaturus eſt orbem terrarum, per eum virum quẽ definiit, fide palàm facta omnibus, illo à mortuis excitato.

Ex hoc dicto colligimus: 1. Cur de extremo iudicio nos certiores faciat Deus. 2. Quis iudex ſit futurus. 3. Qui iudicandi ſint. 4. Quis ſit iudicij iſtius finis. 5. Quo tempore peragendum ſit. 6. Quæ eius circumſtantiæ ſint futuræ.

VII.

1. Nihil dubium eſt, ideo denunciatum eſſe toti generi humano extremum iudicium, vt omnes vbique homines reſipiſcant. Etenim iudicij illud tempus miſericordiam non recipit, vt alicubi dixit Chryſoſtomus. Itaque ſemper animis noſtris repetamus illud nobile dictum Bernardi: Melius eſt, Chriſtum modò arguentem & docentem audire, quàm in die iudicij iudicantem. Omnium autem ſapientiſsimè fideliſsiméque nos prẽmonuit Chriſtus Ieſus, dicens: Cauete vobis, ne quando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ: & repentè vobis ſuperueniat dies ille: Luc. 21. 34. Vtinam hic noſter Dominus nobis det, vt vigilemus & oremus, parati ad ipſius aduentum.

2. Iudicium hoc diuinum Rex regum Chriſtus Ieſus adminiſtrabit. Iuxta dictum: Omnes enim ſiſtemur apud tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi ſeſe flectet omne genu. Rom. 14. 10. 11.

Quòd autem & Sancti Mundum iudicaturi dicuntur, 1. Cor. 6. 2. Matt. 19. 28. non ſic accipiendum eſt, quaſi non vnus Chriſtus, vt nunc mediator eſt, ita quoque iudex viuorum & mortuorum olim ſit futurus: ſed hoc pacto, Vt laudabili innocentiæ ſtudij exemplo Sancti, nunc militantes, iudicãt & damnant Mundum, hoc eſt, ſeculi huius filios (ſicut de Noë dicitur, Hebr. 11. 7. Per quam Arcam condemnauit Mundum:) ita olim Chriſto Mundum iudicanti, velut ſuccenturiati teſtes & comprobatores iudicij pridem quoque à ſe denunciati, aderunt ſancti Dei homines: quibus vt membris, καπὶ π, i d tribuitur quod Chriſti, ceu capitis, alioqui proprium eſt, ad teſtificandam ſymphoniam de iudicio.

3. Iudicium hoc vniuerſale & ineuitabile erit. Etenim corã iudice Chriſto cogentur omnes gentes. Matt. 25. 32. Ideo dicitur Chriſtus venturus ad iudicandum viuos (id eſt, ſuperſtites in aduẽtu Chriſti & momento mutatos) & mortuos, quos videlicet à mortuis reſuſcitabit illo die.

Ecce, inquit beatus Auguſtinus, videbitur forma hominis Chriſti in iudicio à piis & impiis, à iuſtis & ab iniuſtis, à fidelibus & ab infidelibus, à gaudentibus & à plangentibus, à confiſis & confuſis. Tract. 21. in Ioannem.

Porrò cum Apoſtolus, Iuxta opera ſua, ἀποσσπολήπτως, vnicuique reddendum dicat, Rom. 2. 6. 11. inde colligimus, omnium ordinum hominibus neceſſariò

ceſſariò in hoc iudicio comparendum, in quo cauſarum, non perſonarum exactiſsima ratio habebitur: nec quemquam regia dignitas, aut generis nobilitas, opúmve facultates comparendi neceſsitate liberabunt.

4. Principalis iudicij iſtius finis erit, ſegregatio Filiorum Dei & Filiorum huius mundi, qui militante Eccleſia ἀποράσλως, & magna ex parte permiſti habitant. Mat. 25. 32. Separabit eos alteros ab alteris, vt paſtor ſeparat oues ab hœdis. 33. Et ſtatuet oues ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Matt. 13. 41. Mittet Filius hominis angelos ſuos, qui colligent ex ipſius regno omnia offendicula, & eos qui faciunt iniquitatem. 42. Proiiciéntque eos in fornacem ignis, &c. Matt. 24. 40. Tunc erunt duo in agro: vnus accipietur, & alter relinquetur. 41. Duæ molentes in piſtrino: vna accipietur, & altera relinquetur. Diſiungentur itaque coniuges, familiares, amici, quos non vnus Pater cœleſtis, vna fides, idem baptiſma vnum in Chriſto fecerant: ſed natura, ſanguis, conſilium aut vtilitas in hac vita conciliauerant.

5. Certum autem tempus, Angelis hominibúsque ignotum, ſoli autem Patri cognitum, huic iudicio præſtitutum eſſe, liquet ex hoc dicto: De die autem illo & hora nemo ſcit, ne Angeli quidem cœlorum, ſed Pater meus ſolus. Matt. 24. 36. Quòd autem Marc. 13. 32. etiam Filius neſcire dicitur illũ diem, id alij aliter interpretati ſunt. Gregorius Nazianzenus in 2. Orat. de Filio dicit: γινώσκει μὲν ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν δέ φησι, ὡς ἄνθρωπος. Auguſtinus in Pſalm. 6. Vbi erit ergo, quòd nec Filius hoc nouit? Quod vtique ideò dictum eſt, quia per Filium homines hoc non diſcunt, non quòd apud ſe ipſe non nouerit. Maximè perſpicua eſt eorum ſententia, qui ad Chriſti, in ſtatu exinanitionis adhuc poſiti, officium reſpicientes, fatentur Chriſtum hoc tempus neſciuiſſe, & à dextris & ſiniſtris ſuis alios collocare non potuiſſe, quòd tum in mandatis à Patre non accepiſſet, vt illa tum profiteretur, tum etiam præſtaret: eóque muneris ſibi tum delegati memor, eius finium centrũ ſpatiúmque non egrederetur. Nec ſanè æquum erat, hominum cupiditatibus & τῇ πολυπραγμοσύνῃ Chriſtum inſeruire.

6. De circumſtantiis Iudicij extremi, de reprobis αὐτοκατακρίτοις, & de aliis huc facientibus, illa nobis maximè obſeruanda ſunt, de quibus per ἀνθρωποπάθειαν, propter intelligentiæ noſtræ infirmitatem, multa memoriæ prodita ſunt, Matth. 25. Rom. 2. Apoc. 20. & alibi. Ab eorum autem quæ Deus nobis non aperuit, inueſtigatione curioſa abſtinentes, præcinctis lumbis vigilemus, oremus, & ſtemus exſpectantes Domini noſtri aduẽtum. Studiis autem noſtris ex animo gratulemur, cum in neceſſariis & à Deo patefactis, progreſſus eos nos feciſſe experiemur, qui & diuini nominis ſanctificationi, & noſtræ aliorúmque ædificationi ſeruire poſſunt.

VIII.

DE AETERNA VITA.

Reſtat vt, σὺν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, accedámus ad doctrinæ de Vita æterna (cui opponitur Mors æterna) σωματοποίησιν & deſcriptionem. Etſi autem ea parauit Deus iis qui ipſum diligunt, quæ nec ſenſibus, nec intelligẽtia plenè aſſequi poſſumus: illa tamen, quæ non modò reuelauit Deus per ſanctũ ſuũ Spiritum, 1. Cor. 2. 9. 10. ſed etiã nos in hac vita guſtare vult, vt & primæ mortis amarorẽ diluant, & æternæ vitæ participationis plenæ deſideriũ in nobis

accendant & alant, piæ mentis fuerit ex præscripto diuini verbi cognoscere,& ad Dei viuentis laudem profiteri.

Sit autem huius quoque doctrinæ aurea basis, oraculum istud: Qui habet Filium,habet vitam:qui non habet Filium, non habet vitam. Hæc scripsi vobis qui creditis in nomen Filij Dei: vt sciatis vos vitam æternam habere, & vt credatis in nomen Filij Dei.1.Ioan.5.12.13.Docendi autem gratia, inter multa alia,hæc capita obseruabimus.

1. Homonymia. Vita æterna in Scripturis sanctis biuariam sumitur. De Filio Dei prædicatur,1.Ioan.1.2. Annunciamus vobis vitam illam æternam, quæ erat apud Patrẽ & patefacta est nobis,scilicet in carne.Ioan.1.14.1.Tim. 3.16. Sic autem appellatur is,qui non solùm ab æterno vixit,semper viuit, & non potest non viuere in æternum: sed etiam, Patris exemplo, quos vult viuificat ζωοποιεῖ.Ioan.5.21.De Dei autem dono, quod saluandis ille confert, itidem vtur patur:vt in hoc dicto Pauli: Donum autem Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.Rom.6.23.

Viuificatio, ζωοποίησις, in diuersis quibusdam dictis,diuersimodè vsurpatur.In dicto Hannæ matris Samuelis prophetæ,Iehouah mortificat & viuificat,1.Samuel.2.6. significat liberationem à malis, & participationem bonorum quæ ad nos recreandos & exhilarandos plurimum faciunt. Sed in dicto Pauli 1.Corinth.15.22.In Christo omnes viuificabuntur, ζωοποιηθήσονται, vox ea denotat totius hominis instaurationem,quæ fit Christo in nobis viuente,Gal.2.20.

2. Quibus & qua lege vita tribuatur. Vita tribuitur Deo Creatori, & Creaturis:sed diuersa ratione.Deus, si eum ἁπλῶς creaturis oppositum consideres,sic viuit,vt ab æterno & in æternum sit sua ipsius vita:quemadmodũ ita est,vt sua ipsius essentia sit.Ideo κατ' ἐξοχὴν, Deus viuens, θεὸς ζῶν vocatur, Matt.16.16.& 26.63. Eóque nomine ἀληθινὸν quoque Paulus eum vocat, per antithesin idolorum.1.Thes.1.9.Neque enim verus Deus est, nisi qui est vita ipsa.In creaturis autem viuentibus,vita per participationem acquisita, donum aduentitium est,certa periodo definitum ab eius auctore Deo. Ionæ. 4.3.Melior est mors mihi,quàm vita mea.Iac.4.14.Quę est enim vita vestra? vapor enim est,&c.

At,si Deum relatiuè intra se consideres, Pater æternus, qui est principiũ & fons vitæ,per se & à se viuit:Filius autem propter Patrem, à quo ab æterno genitus est.Ioan.6.57. Spiritus verò sanctus viuit propter Patrem & Filium:quorum cum sit Spiritus,ab iis quoque procedere dicitur.Verùm non iam postulat instituti nostri ratio,vt pluribus de vita ἐσταθικῇ, qua Deus viuit, dicamus.Satis enim fuerit,fontem & auctorem vitæ æternæ, nobis ipsis datæ,quasi digito monstrare,& de eius τῇ μετοχῇ,seu participatione,agere.

3. De Creaturarum vitæ principio. Animantia tam ἄλογα, quàm ratione prædita,vitam habent à Conditore Deo concessam.Iuxta dicta: Denuncio tibi coram Deo,qui viuificat omnia.1.Tim.6.13. Item Hominem & animal seruat Iehouah.Apud te est vena vitæ.Psalm.36.7 & 10.Item: Abscondis faciem tuam,turbãtur:aufers spiritum eorum,deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur.Mitis Spiritum tuum,creantur,& innouas faciem terræ. Psalm. 104.29.30.

4. De Hominum vita.Etsi communis est toti humano generi vita animalis: tamen spiritualis & æternæ vitæ donum, Ecclesiæ catholicæ soli, & quidem

quidem gratis,confertur.Deus enim, vniuerſorum conditor, naturalem & animalem vitam creaturis animatis liberè tum confert & fouet, tum ſubtrahit.Ac de ea dicitur Act.17.28.Per ipſum viuimus,mouemur & ſumus.

Sed idem Deus Eccleſiæ ſuæ redemtor,vitæ ſpiritualis donum in redemtionis opere eidem confert,cùm eſt maximè opportunum. Ioan.5.25. Amẽ, amen dico vobis,veniet tempus,& nunc eſt,cùm mortui (videlicet, in offenſis & peccatis, Epheſ.2.1.) audient vocem Filij Dei: & qui audierint,viuent.Item:Etiam cùm per offenſas mortui eſſemus,vnà viuificauit nos Deus per Chriſtum,cuius gratia eſtis ſeruati.Epheſ.2.5.

IX.

5. De Fidelium adhuc militantium duplici vita.Fideles & vitam animalem, minimè aſpernandum Dei donum, ſed tamen cum infidelibus commune:& vitam ſpiritualem, ſoli Eccleſiæ catholicæ à Chriſto capite partam & conceſſam, obtinent. Et illa quidem corporis eſt, hæc animi, ſeu Noui hominis,illa temporalis eſt:hæc etſi initium habet,fine tamen carebit.Vtriuſque reſpectu,diuinus ille noſter Apoſtolus dixit:Pietas ad omnia vtilis eſt, vt quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ. 1. Tim.4.8. Sed de priore illa vita Medicis & Philoſophis diſputandum fuerit. Nobis enim propoſitum eſt, de vita ſpirituali, ea quæ Dominus nobis aperuit, κεφαλαιωδῶς indicare.

6. De ea vita,cuius gratia Fideles dicuntur,οἱ ζῶντες, viuentes. Fideles nuncupantur viuentes, reſpectu vitę ſpiritualis,quæ ſemel in eis accenſa nũquam exſtinguitur.Etſi enim morte prima, corpora illorum reſoluuntur in ſua principia : ſuo tamen tempore illa inſtaurabuntur : ſpiritus autem Sanctorum,vita Dei viuunt in perpetuum. Iuxta dictum: Mortuos autem excitari, etiam Moſes indicauit apud rubum, cum dicit Dominum Deum Abraham,Deum Iſaac,& Deum Iacob.Nam Deus non eſt mortuorum, ſed viuorum:omnes enim viuunt ei.Luc.20.37.38.Quorum Deus eſt (id eſt, redemtor & pater propitius) Iehouah,ij viuunt. Atqui Abrahæ, Iſaaci & Iacobi,omniúmque fidelium,qui obdormierunt in Chriſto,& qui ſuperſtites ſunt,Deus eſt Iehouah.Ergo viuunt iſti omnes Deo.

7. De ſpiritualis vitæ guſtus,& de eius complementi diſpenſatione. In hac vita, ſpiritualis & æternæ vitæ guſtum omnes fideles percipiunt, complemento autem fruentur in futura regeneratione.Ideo Paulus docet, nunc quidem vitam noſtram abſconditam eſſe cum Chriſto in Deo : quando verò Chriſtus vita illa noſtra patefactus fuerit,tum & nos cum illo patefaciendos glorioſos. Coloſſ.3.3.4. Neque verò in æternum vitæ ſpiritualis plena participatione ii fruentur,qui nunquam in hac vita Chriſto inſerti,eius primitias (dono Dei) obtinuerunt. Et in die iudicij delictorum nimis ſera recordatio erit,vt ait Chryſoſtomus.

8. Simpliciter autem ἀδύνατον eſt, eos qui vitæ æternæ donum verè guſtauerunt,complemento fruſtrari. Ideo credentes, vitam æternam habere, in condemnationem non venire,à morte in vitam tranſiuiſſe,dicuntur,Hebræa loquendi formula,certò futurum, velut iam factum, per Enallagen ſignificante.Ioan.5.24.Amen,Amen dico vobis,qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me,habet vitam æternam, & in condemnationem nõ veniet,ſed tranſiuit à morte ad vitam.Item: Qui credit in eum, non condemnatur.Ioan.3.18.

Alia enim est Electorum felicitas & salutis certitudo : alia eorum qui hîc ad tempus credunt,& generalem,sed euanescentem , gustum doni cœlestis percipiunt,sors.Ac Iudæ Iscariotæ,Simonis Magi & similium Apostatarum exempla referri debent ad dictum,Heb.6.4.Nam fieri non potest,vt qui semel fuerint illustrati,gustauerintque donum cœleste,& participes facti fuerint Spiritus sancti, 5. gustauerintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi: 6. si prolabantur,vt denuò renouentur per resipiscentiam.

9. De caussa vitæ æternæ in nobis. Christus in nobis viuens & manens, nos viuificat. Nullo enim modo alio vita æterna nobis cõferri potest,quàm cum simus Christi participes,sic vt ille in nobis sit,& nos in illo.Iuxta dicta: Nisi quis in me manserit,eiectus extrà,statim vt palmes aresset : Ioann.15.6. Item: Viuo autem non amplius ego,sed viuit in me Christus.Gal.2.20. Itẽ: Qui edit meam carnem,& bibit meum sanguinem , in me manet, & ego in eo.Ioan.6.56.

Augustinus contra Aduersarium legis lib.2.cap.9.Christus,ait,tradit carnem suam manducandam,& bibendum suum sanguinem,quem fideli corde & ore suscipiamus.Quid sibi vult Augustinus his verbis? Corde spiritualiter,ore sacramentaliter manducandam nobis Christi carnem : quia ore Sacramenta percipiuntur. Idem de Doctr.Christ.lib.3.cap.10.Ista,inquit,oris manducatio est figuratè intelligenda, quòd alioquin horribilius sit carnem edere(reipsa nimirum & ore corporis)quàm perimere : & sanguinem potare,quàm fundere.

10. Quo instrumento apprehendamus & applicemus nobis ipsis Christum,qui est vita nostra. Per fidem Christi participes euadimus , & ab eo viuificamur.

Hîc illud primò notabimus,Spiritum sanctum , symbolico orationis genere ab esu potúque ducto vsum,docuisse , non nisi per fidem nos Christi participes fieri.Iuxta dicta : Ego, inquit Christus , sum panis ille viuificus, qui è cœlo descendi.si quis ederit ex hoc pane,viuet in æternum : & panis quem ego dabo,caro mea est,quam ego dabo pro mundi vita.Ioan.6.51.& 53 versu dicit:Amen,amen dico vobis:nisi ederitis carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis. Ergo per fide comesam Christi carnem , æternæ vitæ communicatio fit : nec vis viuificandi à communione corporis Christi separari potest.

Piè Augustinus de Vera innocentia cap.138. Caro,inquit,Christi vita fidelium est,si corpus illius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi , si volunt viuere de Spiritu Christi,de quo non viuit nisi corpus Christi.Et sequenti cap.Escam vitæ accipit,& poculum vitę bibit,qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est.Nam qui discordat à Christo,nec panem eius manducat,nec sanguinem eius bibit,etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat.

Secundò & illud obseruabimus,toties in Scripturis affirmatum, solos credentes habere vitam æternam. Quisquis credit in eum,non perit,sed habet vitam æternam.Ioan.3.15.16.& 20.31.Ratio certissima est ,quia ij soli viuificam Christi carnem verè edunt,& sanguinem eius bibunt.

11. Quòd gratis detur vita æterna. Non nostro merito vita æterna nobis obtingit,sed Dei gratuito munere. Ideo vocatur χάεισμα,donum, Rom. 6.23.& nos dicimur eam κληρονομεῖν , seu hæreditatis iure propter adoptionis

gratiam

gratiam possidere. Matth. 19.29. Magno autem solatio etiam illud nobis esse debet, quòd nunquam destituimur vitæ dono planè diuino & modis omnibus amabili, etiam cum morimur. Nam vt piè dixit Bernardus: Finis præsentis vitæ cohæret cum principio æternæ vitæ.

12. Quid ea sit. Vita æterna nihil aliud est, quàm Christo insitum, nunquam esurire aut sitire, & omni bonorum genere abundare. Iuxta dicta: Tu verò cum esses oleaster, insitus es pro eis, & particeps radicis & pinguedinis oleæ factus es. Rom. 11.17. Item: Nam si cum eo plantati coaluimus conformatione mortis eius, nimirum etiam resurrectionis (conformatione) coalescemus. Rom. 6.5. Item: Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. Ioan. 6.35. Item: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuæ fluent ex ventre eius. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Ioan. 7.36.37.38.

Econtrà expertes fidei dicuntur vitam nunquam visuri, Ioan. 3.36. non habere vitam in seipsis, Ioan. 6.53. quia sunt sine Christo, qui suorum vita est, Ioan. 14.6. nec vnquam Christi carnem edunt, nec sanguinem eius bibunt, ni si verbotenus & Sacramentotenus: quia externum verbum auribus, & Sacramenta ore, sibiipsis ad iudicium, percipiunt. Sacramentorum autem voce visibilia signa rerum inuisibilium designamus.

13. Quæ sint vitæ Christi effecta & τεκμήρια in hac vita. Sicut sensus & motus certissima sunt vitæ animalis effecta & documenta: ita vitæ spiritualis, in hac militia in nobis incoatæ, effecta & testimonia sunt, Mortificatio quidem carnis, Viuificatio autem Spiritus nostri. Roman. 6.6. Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, vt eneruetur corpus peccati, ne posthac nos seruiamus peccato. Gal. 6.14. Per Christum mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.

14. Fidei quale obiectum sit. Cum nunc ita vitam in carne viuamus, vt interim & per fidem Filij Dei viuamus, Gal. 2.20. viuo & efficacissimo verbo fides nostra nititur. Iuxta dicta: Verba vitæ æternæ habes. Ioan. 6.68. Itē: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti, &c. Heb. 4.12.13. Et eam quidem ob causam vita nostra dicitur posita in vera & saluifica Patris æterni & Christi Iesu cognitione. Ioann. 17.3. Hæc est autem vita æterna, vt te solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ignaræ autem Christi Gentes, ideo dicuntur in vanitate mentis (τῆ νοὸς, sic vocat Paulus τὸ ἡγεμονικὸν) versari, cogitationem (διάνοιαν, vocat interiores sensus) habere obscuratam, & abalienatam à vita Dei, διὰ τὴν ἄγνοιαν, propter ignorantiam, &c. Eph. 4.17.18.

15. Quid respectu partium hominis, intersit inter vitam æternam, qualis ea nunc est, & qualis illa olim erit. Eadem quidem vita est, sed quæ in hac militia corporis peccati eneruationem, cuius complementum mors prima est, requirat: vt spiritus magis magisque viuificetur: in patria autem corpus liberatum à peccato, non mortificabitur: sed instauratum vnà cum suo spiritu, erit Templum sanctum Domini Dei. Transformabit enim Christus corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate qua potest etiam sibi subiicere omnia. Phil. 3.21. Nunc beatitudo duplici modo tenetur, spe & re, vt beatus Augustinus alicubi pronunciauit: olim autem re solùm, sed plenè, eadem fruemur.

16. De tempore patefactionis vitæ, quæ nunc abscondita latet. Resurrectio iustorum (Luc.14.v.14.) initium erit complementi vitæ æternæ. sicut docent hæc oracula: Quando Christus vita illa nostra patefactus fuerit (id futurum est in secundo & illustri illius aduentu ad iudicium. Matth. 25.31.) tum & vos cum eo patefietis glorioſi. Coloss.3.4. Item: Tunc iusti fulgebunt vt Sol, in regno Patris sui. Matt.13.43.

Inde colligimus, Chiliastarum vetus commentum de mille annis, quibus pij, oppressis & deletis improbis, regnaturi in his terris dicuntur, pugnare cum manifestis Scripturæ dictis, quæ monent, difficilimis & exulceratissimis temporibus Christum ἀναμφισβητήτως venturum ad iudicium, & traductarum reliquias Ecclesiæ militantis in cœlestem patriam.

17. Quemadmodum autem vita animalis est hominum, vt de his agamus, verum propriúmque εἶναι, esse: vt Aristot. de Anima lib.2.cap.4. ait: τὸ δὲ ζῆν, τοῖς ζῶσι, τὸ εἶναι ἐστίν. ac sicut anima forma est, per quam viuimus: ita vita id est, cuius præsidio instructi, ita mouemur vt sentiamus, moueamur & intelligamus: Ita, cum Spiritus Christi instar animæ in nobis iam sit, eius beneficio viuificati, viuemus in æternum. Vita autem æterna est ipsum esse, quod à Christo habemus, qui per Spiritum sanctum nouum hominem, secundum Deum conditum ad iusticiam & sanctimoniam veram iis viribus instruit, vt ad interiores & exteriores motus Deo placentes, egregiè sit instructus in illa cœlesti consuetudine.

18. Vbi sint futuri vitæ æternæ consortes. Nusquam alibi quàm in cœlo cum Christo nos futuros, nihil dubium est. Scitè dixit Bernardus: Curia cœlestis præstolatur consummationem nostram. Nam cœlum propter Ecclesiam creatum est, Chrysostomo teste. 1. Thessal.4.17. Rapiemur cum eis in nubes, in occursum Domini in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Hebr.13.14. Non habemus hic sitam ciuitatem, sed futuram inquirimus. Ioan.14.2. In domo Patris mei habitationes multæ sunt. Itaque spretis mundi delitiis, illecebris & stolidis remoris velut aulico & euanido thure, coarctati vtrinque, secundum voluntatem Dei, desideremus migrare, & esse cum Christo: nam id longè optimum est. Philipp.1.23. Etenim, vt ait Bernardus super Cantic. In gloria cœlesti mira serenitas, plena securitas, æterna felicitas erit.

19. Qui sint vitæ beatæ consortes futuri. Beati & electi homines, submotis ex ipsorum contubernio diabolis & infidelibus hominibus, dulcissima consuetudine Filij Dei, & electorum angelorum, perpetuò fruentur. Iuxta hæc testimonia: Mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent ex regno ipsius omnia offendicula, & omnes qui patrant iniquitatem: proiiciéntque eos in fornacem ignis. Matth. 13.42. Item: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Matth.25.34.

Dum militat Ecclesia, velut lilium est inter spinas, quia malos bonis permistos habet; vt alicubi dixit Augustinus: triumphans autem in cœlis, nullas habebit spinas, nulla scãdala, quia electis solũ angelis & hominibus cõstabit.

20. De perfectione partiũ hominis. Corpora quidẽ nostra glorioſa erũt, & conformia glorioſo corpori Christi: Spiritus verò nostri, lucis diuinæ radiis colluſtrati, cognoscendo videbunt non ex parte, sed coràm, prout plenè edo-

nè edocti fuerint. Phil. 3. 21. 1. Cor. 13. 12. Et quia morte abolita, nunquam principes in homine partes, Corpus videlicet & Animus, separabuntur, vita erit ἀκατάλυτος, indissolubilis. Heb. 7. 16.

21. De Angelorum & hominum electorum similitudine. Pares angelis sunt, inquit Christus, Luc. 20. 36. Id autem non de substantia, sed de qualitatibus quibusdam intelligi debet. Vt in natura Angelica matrimonio & procreationi locus nõ est: ita nec completo electorum numero, propagatio erit in natura humana: cui etiã cibo, potu, remediis, quiete alterna non erit opus. Breuiter & perspicuè Hieronymus: Non, ait, substantiam nobis angelorũ, sed conuersationem & beatitudinem Dominus repromittit.

22. De gradibus præmiorum & gloriæ beatorum. Etsi autem communis omnium Dei Filiorum vita erit, non tamen æqualis omnibus gloriæ fulgor erit. Atque id colligere licet tum ex donorum formis & gradibus diuersis, quibus seruos suos, sacra liturgia hie defungentes, illustrat Deus: tum etiã ex functionum varietate & fructibus: denique & ex pœnarum, quibus afficientur reprobi, diuersitate. In hanc sententiam pronunciauit & Augustinus De sancta virginitate cap. 26. In denario quidẽ non impari, non viuet alius alio prolixius. In multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.

Nos, contenti eo quòd nunc filij Dei sumus, etsi nondum patefactum est quod erimus, scimus tamen fore, vt cum ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum sicuti est. 1. Ioan. 3. 2. omissis curiosis quæstionibus & speculationibus, primùm Deo immortali immortales agamus gratias, quòd nos vitæ æternæ participes esse vult, ac se olim omnia in omnibus fore, testatus est. 1. Cor. 15. 28. deinde, spe beatæ resurrectionis & vitæ leniamus dolores nostros, cùm sciamus Deum abstersurum esse lacrymas ab oculis nostris: postremò, per huius mundi, id est, per opum, honorum, voluptatum, commodorum, incommodorum, iniuriarũ, ἀλαζονείας καὶ μεγάλης φαντασίας contemtum, eorum quidem quæ à tergo sunt obliti, ad ea verò quæ à fronte sunt contendentes, scopum versus feramur, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu. Phil. 3. 14. Meminerimus nos Christianos esse milites, & nunquam non versari in conspectu Dei viui, qui Agonothetes noster est: & Spiritus sancti, qui Xystarches: & Iesu Christi, qui Epistates est: nobísque promissam coronam æternitatis, brabeum, angelicæ substantiæ politiam in cœlis, vt Tertullianus ait. Certamen itaque præclarum certemus, fidémque seruemus, plenè persuasi nobis quoque repositam esse iusticiæ coronam. 2. Timo. 4. 7. 8. & cum Ioanne ex animo dicamus: Etiam veni Domine Iesu. Apoc. 22. 20.

Basileæ perscriptum 1582. 11. Aprilis, quo die olim Iosua prope Hierichũtem Israelitas circumcidisse dicitur, anno Mundi conditi 2494. Ante Christum in carne patefactum an. 1477. secundum χρονολογίαν Theologi & Polyhistoris eruditissimi, Abrahami Bucholceri.

Pio Lectori Decadum istarum de Historia Fidei Christianæ.

Si quid in his dictum bene: non mea, gloria CHRISTI est.
Si mali: scito hominem me quoque, quisquis homo es.

I. S.

AD REVERENDVM ET CLARISS. VIRVM, D. LVDOVICVM LAVATERVM.

ESSE tuos inter cupiens Bumannus alumnos,
Doctrinæq; ferens hæc documenta redit.
Egregij fructus spes non mediocris in illo est,
Si bene quod cœpit currere, currat iter.
Quæ pietas Lauatere tua est, quæ gratia, virtus,
Quæ passim meritis inclyta fama tuis:
Hunc quocunque potes studio, pietate iuuabis,
Quod cupit, vt Patriæ seruiat, atque Deo.
Quæ rerum fortuna vides, Ecclesia quæ sit:
Esse vides doctis nunc opus, esse bonis.
Falsa parant cunctis obtrudere dogmata terris,
Pnblicæ nunc quorum per mala, crescit honor.
Sed bene habet: passim Deus hinc, passim inde per orbem
Excitat, arcentes talia monstra viros.
Tu quoque voce tua, tu scriptis, talia præstas,
Pro Christi quoties pugna futura grege est.
Talis & infidos noster Grynæus in hostes,
Conuellens scriptis impia quæque suis.
Viuat vtreque Deo, cui soli viuere vita est,
Salua sit vt Christi gloria, salus honos.

Ioh. Sanderus.

AD EVNDEM, HENDECASYLLABVM.

HVMANVM genus est velut theatrum,
In quo sunt spectiosa multa. Quædam
Sunt tam dulcia, tam venusta, támque
Nostris ingeniis amœna, multi
Quòd dicant, nihil esse, nec fuisse
Vnquam, nec fore tam beatum in ipsis
Cœlis. Sunt etenim iocosa quædam,
Vt si diuitias, opes, honores,
Splendorem generis, pares amicos
Sortitus fueris. Quis has inanes
Cauſſas esse putet, tuos vt omnes
Sensus mentis eò locare possis?

Mundi præterea situ quis vnquam
Oblectare queat satis seipsum?
Cœlum, Sydera, Terra, Pontus, vno
Aeterni monitu DEI mouentur.

Vnumquodque ſuum decus, ſuúmque
Splendorem parit, vtilémque fructum.
Annus diuiditur ſuas in æquas
Partes quattuor, vt viciſſitudo
Hæc tam commoda ſeruiat creandis
Rebus. Quadrupedes, aues, ferásque
Quis dicat? recreant, fouent alúntque
Nos. Par nónne foret, quòd acquieſcam
His totus? faciam nec vlla pluris,
Seu cœleſtia ſint, futura ſiue.
Præſenti liceat bono frui, nec
Vnquam ſollicitos timere caſus,
Aiunt, nec cupiunt DEI ſalutem:
Ah ſtultos animi tui labores,
Ah pluſquàm breue gaudium. Quid vltrà,
Si lucratus eris ſuprema mundi
Ornamenta? Putas diu manere hæc?
En fiet (nec homo ſcit vllus horam)
Vt mundus pereat, ruátque cœlum.
Tum, tum nec volucres canent, nec ipſi
Cognati, nec opes, honor nec vllus
Hîc prodeſſe poteſt: vocabit omnes
Cum clangore tubæ Angelus: reſurget
Omnis turba, ferat DEI vt profundum,
Iuſtum & iudicium. Mali redibunt
Triſte ad ſupplicium, pij per omne
Aeuum cum DOMINO manere pergent.

Quantum ergo, LAVATERE, commodum ſit.
Hæc myſteria cogitare ſecum,
Nouiſti. Magis inde præparati
Expectamus enim arduum tribunal.
Te ſummè precor, vt tu & ipſe mecum
Lateris, mihi contigiſſe tandem,
Quæ multis alijs erant negata,
Sancta exercitia: & meum fidelem
Præceptorem adamare perge ſemper.

Dig. tuæ obſeruantiſs.
Ioan. Iacobus Bumannus, Tig.

DE

CHRISTIANÆ DOCTRINÆ CERTITVdine, Theſes Demonſtratiuæ, oppoſitæ periculoſis imaginationibus Academicis & Pyrrhonijs, eorum qui de illa ἐποχῇ, non ſatis vident pietati Chriſtianæ minimè eſſe conſentaneum. De iis autem, D. IOAN. IACOBO GRYNÆO Præſide, poſtridie Calend. Iunii, in Theologico Auditorio, Deo iuuante reſpondit

ANDREAS BAVDISIVS VRATISLAVIENSIS.

AD

Virtute, Imaginibus & Ingenio nobilem Iuuenem, SEBALDVM SAVROMANNVM Vratiſlauienſem.

Paulus Apoſtolus:

Oratio & prædicatio mea non verſata eſt in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritualis potentiæ. Ne fides veſtra conſiſtat in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei. 1. Cor. 2. 4. 5.

DE CERTITVDINE DOCTRINÆ SACRÆ.

Veritatis ſimplex oratio. 1. Corint. 2.

Implicitas veri decus eſt: eſt norma docentis,
Diſcentiſque ſalus, vnica Simplicitas.
Non eget argutis diuinus ſermo cothurnis:
Spiritus eſt, nobis, qui fera, vera facit.
Simplicitas Chriſto, mundo fucata probantur:
Sis ſimplex, & ſic viuere diſce Deo.
Qui mentem ancipitem, Verbi moderatur habenis,
Hic verè eſt ſapiens: huicque parata ſalus.
Vt fias ſapiens, Ratio (ſed conſona Chriſti
Dictis) monſtret iter, Flamine, luce, duce.
Nec te magnificæ moueant ſolennia pompæ,
Quæ mundus proceres excipit arte ſuos:
Aurea ſtellantis mercedem regia cœli
Amplam offert: ſanctos huc pia fata vocant.
In virtute Dei, fidei fiducia noſtræ
Eſt poſita: hæc dubiæ eſt anchora firma ratis.
Nulla hîc fraus, fucúſue, hoc vero verius eſt nil:
Terra fremat, Pluto rugiat, aſtra ruant.
Nuſquam tuta fides hominum, cui fidere poſſis:
Si cui vis tuò fidere, fide Deo.

Hieronymus Reuſnerus Leorinus, Sileſius, Doctor Medicus.

AD

AD VERE NOBILEM IVVENEM, SEBALDVM SAVROMANNVM, VRATISLAVIENSEM, Ioannis Iacobi Grynæi Proœmium.

Celebratur in Historia Ecclesiastica à Sozomeno, Senex quidam simplex, innocens & probatissimus Confessor, qui in Nicæna Synodo, cum Philosopho διαλεκτικωτάτῳ, Ethnicis qui aderant ridentibus, Christianis autem metuentibus ne piæ doctrinæ viri simplicitas obesset, disputaturus hac oratione vsus, præter omnium expectationem, hominem conuertit: In nomine Iesu Christi, ô Philosophe, audi doctrinam veritatis. Vnus est Deus cœli & terræ, omniúmque visibilium & inuisibilium creator, qui hæc omnia VERBI sui virtute fecit, & SPIRITVS sui sanctitate firmauit. Hic itaque Filius Dei, pro immensa sua erga homines misericordia, ab errore eos & ferali religione liberauit, cum ex virgine natus esset, & morte sua ab æterna morte liberasset, suáque resurrectione æternam vitam promeritus esset. Venturum autem expectamus iudicem omnium, quæ gerimus. Hæc vbi se Philosophus credere extemplò professus esset, illo hortante baptizatus est: Christianis quidem fidei donum ei gratulantibus, Paganis autem attonitis & indignantibus. Monet autem hæc narratio, fidei simplicitatem nobis ducem esse ad veram Dei agnitionem, cùm illa sapientiæ coniuncta sit, vt verè Tertullianus dixit: & via quædam sit ad cœlestem philosophiam cognoscendam, vt Ioannes Chrysostomus rectè censuit.

Enimuerò si, vt par est, in sacrosancta Theologiæ studio, nunquam non propositum nobis esset Iesu Christi Domini nostri sermones audire, & eos tota vita præstare, tum verò simplex illa veritatis oratio nemini dubia aut suspecta videri posset, nec vitæ mores alieni essent à sancta professione. Consequũtur enim, vt Basilij magni verbis vtar, sese inuicem hæc tria, Credere, Intelligere & Facere. Ac nemo intelligens citra impietatem isthæc disiungere potest, quæ Deus gloriæ suæ & nostræ instaurationis caussa, διαδοχὴν quandam in orbem redeuntem, habere voluit.

Sed quia non rarò ingeniosi potius & acuti disputatores, quàm religiosi & modesti factores sermonum Christi esse & videri malumus: & vt grauissimè alicubi quæritur Gregorius Nazianzenus, manibus reuinctis armamus linguas: fit, iusto Dei iudicio, vt exoterici illius Pacuuij iustam reprehensionem incurramus: Ego odi homines ignaua opera & philosopha sententia.

Vt autem iam nihil dicam de alijs corruptelis Theologici studij, si qui certitudinem doctrinæ Christianæ, Academicorum more εἰς ἀκάτεπον de illa disputando, nonnihil conuellunt, etsi ἀμεταχίνητον veritatis basin siculneis & stramineis arietibus frustra oppugnant: nobis tamen, qui vsque ad mortem pro veritate tuenda certare debemus, ansam præbent obfirmandi animos contra ἐποχὴν, & quærendi firmissimarum demonstrationum φυλακτήρια arma, quæ aduersus ignita Satanæ tela in promtu habere opus est & oportet.

Nos in præsenti Disputatione illos certitudinis doctrinæ Christianæ gradus, quorum magnus ille & fidelis Dei seruus Melanchthon, in Præfatione sua in Tomum 4. Operum D. Lutheri, sapienter commeminit, ὡσπερεὶ δρεπόμενοι, vt certissimos, testatum esse volumus. Adiungemus autem illis ex alterius magni sanè Theologi sententia, ordinatam diuinæ sapientiæ dispensationem, nihil terrenum redolentem doctrinam, pulcram partium omnium inter se consensionem, genus docendi, antiquitatem & alia certitudinis documenta.

Quòd autem compertum haberem, vt olim ad Tabernaculi Fœderis & sacrorum vasorum fabricam, non pretiosis solùm rebus, gemmis & auro, sed & aliis minoris pretij donarijs opus fuisse: ita ad huius de certitudine doctrinæ Christianæ tractationis μέθοδον, non solùm summorum hominum sapientissimas sententias, sed etiam inferiorum religiosas cogitationes Tyronum piorum captui accommodatas, plurimum conferre: ea quæ mihi Dominus aperuit, & quæ in magna temporis angustia literis nõ tam mandare, quàm σκιαγραφῆν licuit, tibi, Nobilissime Sebalde, ista omnia inscribere & offerre, eam ob caussam visum est, quod vt in omni alio liberali studio, sic præcipuè in Theologia certitudinem te prudenter requirere & magnifacere animaduertam. Bene vale. Deus tibi, in meo contubernio nunc versanti, det vt teipso indies & doctior & melior fias, ad Dei gloriam, & Repub. vtilitatem, tuorúmque propinquorum, quorum excellens est virtus, liberalem voluptatem. Basileæ.

DE CHRISTIANÆ FIDEI CERTITVDINE, THESES.

I.

DE Christiana doctrina grauissimè testatus est Ioannes Euangelista: Quisquis, dicens, transgreditur, nec manet in Christi doctrina, Deum non habet: qui autem manet in doctrina Christi, hic & Patrẽ & Filiũ habet. 2. Ioan. v. 9. Summo itaque studio in Christiana doctrina nobis est insistendũ & immorandum, & vt ab eius præscripto ne quidem transuersum vnguem recedendum, ita sacrosancta eius certitudo & auctoritas habenda est, ne vnquam similes simus impiis illis, de quibus Seruator noster ait: Sermo meus non habet locum apud vos. Ioan. 8. 37. & sequente 43. versu: Quare, inquit, locutionem meam non agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Ideo autem non poterant, quia ex patre Diabolo erant, vt habetur v. 44.

II.

Cum autem iam nobis ferat animus, τὴν τοῦ θεοῦ βοηθείαν, de caussis & gradibus certitudinis doctrinæ Christianæ differere: vt piæ mentes habeant quo sese exhilarent, & muniant aduersus tela ignita Satanæ, quibus doctrinæ Christi certitudo oppugnatur, eáque fortiter repellere & extinguere discant, eo ordine vtemur, quo Demonstrationes solent distingui. Vt autem in Tyronum Theologiæ gratiam ea, quæ Deus nobis Scripturas sanctas legentibus aperuit, candidè communicamus: ita doctissimorum hominum δευτέρας φροντίδας, quæ prudentiores esse solent, & ἐπανόρθωσιν, si qua opus alicubi sit, magni beneficij loco nos habituros, pollicemur.

III.

Demonstrationum aliæ sunt directæ, aliæ autem reducentes ad impossibile. Illius quidem modi argumentis vtemur in prima parte dissertationis nostræ, quæ, ad demonstrandam euidentiam Christianæ doctrinæ, directa, tota erit κατασκευαστική: huius autem in altera disputationis parte vtemur, quæ ad confutandam opinionem de incertitudine eiusdem doctrinæ comparata, tota ἀνασκευαστικὴ erit. Decet enim nos, pro eo dono quod à Domino accepimus, exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere, ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν. Tit. 1. 9. & 11.

IIII.

IIII.

Directarum demonstrationum, alias quidem Syntheticas esse, quę à priori ducuntur, & à caussis ad effectus progrediuntur, & dicũtur διὰ ὅτι, propter quid est: alias verò Analyticas esse, quę à posteriore ducuntur, & ab effectibus ad caussas regrediuntur, & appellantur διότι, ex sententia Peripateticorum præsupponimus, & secundum earum seriem, σύνταξιν ἀποδεικτικὴν, saluo aliorum summorum Theologorum & aliorum eruditorum iudicio, καθ' ὑμᾶς καὶ ἐκ τῶν ἀπαρχόντων, constituemus.

V.

1. Doctrinam Christianam certissimam esse, principiò hac demonstratione, ducta ab eius caussa efficiente principali, confirmo. Quæ doctrina ab auctore Deo profecta est, illa nullius incertitudinis insimulari debet. Ratio: Quia Deus ἀψευδὴς est, Tit. 1. 2. & verbum Dei nostri manet in æternum. Isa. 40. 8. Atqui doctrina Christiana Deum auctorem habet. Iuxta hæc ἀξιώματα: Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit eius volũtatem exequi, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Ioan. 7. 16. 17. Ideo vocatur λόγος τοῦ θεοῦ, Act. 18. 11. Item λόγος τοῦ κυρίου Ιησοῦ, Act. 19. 10. Quare de eius certitudine nemini pio dubitandum est: ne videlicet in scyrpo nodum potius quærere, quàm Deo suo fidem habere videatur.

VI.

2. A definitione de subsumto. Impossibile est sapientiam diuinitùs reuelatam, déque Deo & eius operibus agentem, quæ complectitur, 1. τὰ πιστὰ, id est, credenda de Deo conditore & redemtore: 2. τὰ πρακτὰ, hoc est, agenda: & 3. τὰ ἐλπιστὰ, id est, speranda, esse dubiam & incertam. Atqui doctrina Christiana illa ipsa sapientia est, vt res ipsa testatur. Ne igitur dubiam esse impiè putemus.

VII.

3. Ab eius doctrinæ succenturiatis promis & condis. Prophetæ, Apostoli & Euangelistæ, fidei, vocationis, donorum Spiritus sancti copia & eminentia, miraculis, multísque aliis modis longissimè vincunt omnes omniũ Gentium saniores Philosophos, qui fuerunt probati artifices in suo quisque genere. At horum rectè dicta Physica, Ethica, Geometrica, Historica & alia nemo, nisi impudens & peruersè ingeniosus carpit. Prudentes enim viri, ea sibi cognoscenda potius, illustranda & ad vsum transferenda censent, quàm exagitanda & conuellenda. Multò minus ergo carpenda & in dubium vocanda est doctrina Christiana, quam eximij illi Dei homines, à Dei Spiritu acti, καθ' ὃν τρόπον αὐτοῖς δοθεῖσαν σοφίαν (vt de Paulo Apostolo symmysta Petrus pronunciauit) tanta fide & diligentia Ecclesiæ tradiderunt. 2. Pet. 1. 21. & 3. 15.

Philosophiæ auctoritas humana rationibus suffulta fidem facit: at Christianæ sapientiæ diuina auctoritas & voluntas, omni superior ratione, fidem indubitatam præstat. Habet Philosophia Ethnicorum alicubi admistas σεσοφισμένους arte compositas fabellas: Religio autem Christiana vt è supernis est, ita est σοφία ἁγνὴ, sapientia pura, pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorum. Iac. 4. 17.

VIII.

4. A subiecta materia, videlicet verbo Dei. Quod etiam cœlo terráque transeuntibus, immotum verúmque manet, eius summa est ἡ ἀναντίῤῥητος certitudo. Doctrina & dicta Christi illis transeuntibus mansura sunt. Matt. 24. 35. Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt. Ac idem ab effectu colligi potest. Inuicti perstant, etiam cùm omni errorum & aduersitatum tempestati ἀνθφθαλμεῖν necesse habent sancti Dei homines doctrinæ Christi insistentes, Matth. 7. 24. 25. Oportet igitur hanc quoque inuiolabilem & ἀμεταπόητον esse. Manifestum itaque est, illam certissimam quoque esse.

IX.

5. A partibus principalibus sapientiæ Christianæ, earúmque ἀμέσῳ ἐποδιαιρέσει. Si quid in hac incertum dubiúmve foret, tum verò vel Legis, vel Euangelij, vel vtriusque respectu ἀμφίδοξον, seu dubium esset. Atqui nihil planè dubium in illis est. Ratio: Quia si spectes Legem, illa verè est immota æternáque Dei sapientia, discernens iusta & iniusta, & veritas in generationem, &c. Psal. 119. 90. Sin autem Euangelium, quo nullum aliud verius esse potest, consideres, etiam Angelus aliud Euangelium adferens, anathema esse debet. Galat. 1. 8. Proinde hanc doctrinam reuera ὀπσιώμην ἀμετάσατον ἢ βεβαίαν esse statuamus: & potius in ea discenda, quàm in controuersiam vocanda, elaboremus. Quod enim Plinius Iunior de doctis & indoctis dixit, Tantò Scriptura maiorem gratiam apud doctos habere debet, quantò minorem apud indoctos habet: id nos de religiosis & de πολυπραγμονικοῖς ingeniis in doctrinæ Christianæ studio versantibus, rectè dicemus, Tantò Scripturam sanctam maioris faciendam à religiosis, quantò minoris fit à curiosis, semper quærentibus vt nihil inueniant: quia non plus ei, quàm Philosophiæ deferunt, nec aliter in illa quàm hac versantur.

X.

6. A dispensationis ἢ τῆς οἰκονομίας istius doctrinæ modis tribus: quorum primus est θεπκὸς, quo doctrinæ forma tota & eius partes per sua principia, effectus & circumstantias ordinè exponuntur: secundus verò ἱσοπκὸς, quo theses illæ per ὑποθέσεις & exempla declarantur, vt tantò rectius ad vsum sanctorum reuocari & adhiberi possint: tertius denique est συμβολικὸς, quo illa omnia signis in sensus incurrentibus repræsentantur & obsignantur, vt magis magísque innotescant, & vt omni incertitudinis scrupulo vacare compertiantur. Sic itaque colligimus: Quæ doctrina θεπκῶς, ἱσοπκῶς ἢ συμβολικῶς tradita, ne suspicionem quidem incertitudinis alicuius hominibus sanis præbet, eam fas non est vt incertam traducere. Talis autem est Christiana doctrina, vt tribus illis modis exposita semper sui similis & vera sit, nihilque habeat ἀσύστατον, nihil ἀσύμφωνον: vt reuera sit modestiæ & prudentiæ Christianæ, si quid in illa ἀσύνετον tale esse videatur, potius ignorantiam humanam agnoscere & ingenuè fateri, quàm in Scripturam esse contumeliosum Aristarchum. Ergo, cùm Lactantio teste, primus gradus sapientiæ sit falsa intelligere, secundus vera cognoscere: quibus modis veritatis cognitione Deus nos imbuat agnoscamus, & cum in Scripturæ lectione versamur, dociles potius discipuli, quàm acuti Critici simus.

XI.

XI.

7. A perfectione eius. Veritatis in doctrina summa perfectio, certissimũ & infallibile est euidentiæ argumẽtum. Atqui in sapientia Christiana summa est veritatis perfectio. Ratio prima: Quia ideo hac doctrina contentos, nihil ei nos addere, neque diminuere ex ea, seriò Deus edixit, Deut. 4.2. & 12, 32. Ratio secunda: Quia si principes partes spectes, Dei & Nostri noticiam complectitur, cuius centro spacióque tota sapientia diuinitùs nobis patefacta continetur. Præclarè autem Augustinus alicubi dixit, Sapiẽtiam nostram in Creatoris & creaturarum cognitione sitam esse. Concludimus itaque, illam esse euidentissimam.

XII.

8. Ab eius charactere in orationis genere vbique relucente. Veritatis oratio simplex est, ἁγὲ ποικίλων ἁγ σοφῶν δεῖται φαρμάκων, vt ille Tragicus verè & prudenter loquitur. Talis autem est oratio Prophetarum & Apostolorum, de qua in genere id dici potest, quod Apostolus Gentium de sua oratione scripsit: Neque oratio mea & prædicatio mea (versata est) in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis potentiæ: ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei. 1. Cor. 2. 4. Nihil enim dubium est, eodem omnes Spiritu actos, & eadem orationis simplicitate consultò vsos esse, vt fides auditorum & lectorum consisteret in Dei potentia. Sæpe, inquit Isidorus, reperitur simplicitas veridica, & falsitas composita, quæ hominem suis erroribus illicit. At in Scriptura nunquã non occurrit simplicitas veridica, quæ ab errore in veritatis viam dociles reducit.

XIII.

9. A prophetiarum complementis. Non maior est vaticiniorum diuinorum de rebus futuris certitudo, quàm omnium aliarum partium doctrinæ cœlestis. Nam vt iam de cæteris nihil dicamus, promissiones & comminationes Dei, cùm quid Piis iuxtà & Impiis sit expectandum doceant, illis affines sunt. Sed diuina vaticinia impleri oportet: vt monent hæc, è multis aliis selecta, testimonia. Marc. 14. 49. Sed (oportet) vt impleantur Scripturæ. Luc. 24. 46. Ita scriptum est, & ita oportuit Christum pati, &c. Ne igitur dubitemus, etiam cæteras doctrinæ cœlestis partes esse indubitatas.

XIIII.

10. A repugnantibus. Præclarè Seneca: Tenue, inquit, est mendacium, perlucet, si diligenter inspexeris. Verè & Cyprianus: Mendacia non diu fallunt, Econtrà, Scriptura sancta ἡ δύναται λυθῆναι, non potest dissolui. Ioan. 10. 35. Quis autem dubitet, ideo dissolui non posse, quia omni exceptione superior, ne quidem suspicandi materiam piis præbet? Impugnata, ait Bernardus, veritas magis elucet: tantum abest, vt vinci & opprimi possit. Alia est, & quidem bis per omnia diuersa, humanorum commentorum, alia cœlestis doctrinæ ratio. Illa facili negocio errorum conuincuntur, nedum in dubium vocantur. Ergo hæc nullo modo in dubium vocari aut coargui potest.

XV.

11. Ab epithetis, quæ Scripturæ non competerent, si quid in ea ambiguũ

& incertum foret. Vocatur κατ' ἐξοχὴν, γραφὴ, & multitudinis numero, αἱ γραφαὶ, Scriptura & Scripturæ, quasi quæ sola præ omnibus aliis hoc nomine digna sit, vt certè est. Marc. 14. 49. Item Scriptura sancta, Rom. 1. 2. Quomodo sancta verè dicetur, id est, segregata à vulgaribus scriptis, in quibus non rarò commenticia dogmata occurrunt, si non summa eius sinceritas & certitudo foret? Denique, ab auctore θεόπνευστος nuncupatur, 2. Tim. 3. 16. Anne autem huius veri Dei oracula dicemus similia esse Delphicis & aliis, quę erant ἐπαμφοτερίζοντα? Ne ita sit. Ad hunc ordinem referri debent dicta, in quibus seu tota doctrina Christiana celebratur, vel eius partes: vt cum dicitur complecti mysteria regni cœlorum, quæ sine controuersia firma sunt: & cum eius vaticinia vocantur λόγοι πιστοὶ καὶ ἀληθινοὶ, Apoc. 22. 6.

Scripturis itaque credendum, non propriis suspicionibus, vt præclarè dixit Augustinus.

XVI.

12. A principiis naturâ notis. Nemo pius & sanus dubitat, 1. Maiorem esse certitudinem doctrinæ diuinæ & sacræ, quàm humanæ & profanæ. 2. Id quod tota catholica Ecclesia, à Spiritu sancto edocta, verum & immotum inde vsque ab initio mundi, & rectè censuit, & reipsa experta est, nō esse in dubium vocandum. 3. Simplicem expositionem veritati rerum diuinarum congruere. 4. Aliam esse rationem processus in Theologia, aliam in Philosophia. Nam in Theologico studio ratio, vt Augustini verbis vtar, subsequitur fidē, vt intelligat fidelis quid credat: at in Philosophico studio, etsi initiò adolescentem credere oportet, plerumque tamen fidem rationes antecedunt, & eam faciunt. 5. Quicquid Scripturis sacris ἐναντίως aduersatur, id omne vt à diabolo mendacij patre profectum, execrabile esse debet, nedum vt fidem aliquam mereatur.

Iam verò Christiana sapientia, 1. diuina & sacra est: 2. & tota Ecclesia, vniuersali experientia docta, eius firmitatem testimonio Spiritus sancti respondere, agnoscit: 3. ac simplici orationis genere tradita est: 4. & eius intelligentiæ ianuam fides aperit: 5. ac non nisi à patre mendacij proficiscuntur ignita tela, quibus certitudo fidei nostræ oppugnatur.

Quare summam eius certitudinem esse, nemo pius dubitare potest. Ac dignum est relatu Hugonis dictum in 3 de Anima: In sacra Scriptura quicquid docetur, veritas: quicquid præcipitur, bonitas: quicquid promittitur, felicitas est. Nam Deus veritas est sine fallacia, bonitas sine malicia, felicitas sine miseria.

XVII.

Demonstrationes Analyticæ.

Postulat instituti nostri ratio, vt Christianæ doctrinæ certitudinem argumentis à posteriore, hoc est, ex effectibus & τεκμηρίοις, & ex vniuersali experientia ductis, demonstremus. Cùm autem idem de doctrina Christiana (hac quidem in parte) quod de piè docentibus dici posse, persuasum habeamus: aurei fundamenti loco, præmittimus hæc diuini Apostoli verba: Christi bona fragrantia sumus Deo, in iis qui seruantur, & in iis qui pereunt: his quidem odor mortis in mortem, illis verò odor vitæ ad vitam. 2. Cor. 2. 15. 16. Vt autem doctrina puro corde excepta, τῆς κτήσεως καὶ τῆς χρήσεως respectu, odor vitæ est fidelibus: sic infidelibus, illam respuentibus, τῆς στερήσεως respectu, mortis odor fit, non suapte natura, sed ex accidente, incredulorum vitio & culpa.

XVIII.

XVIII.

1. Ab effectibus externis doctrinæ Christianæ in hominibus piis. Quæcunque doctrina incerta est, eius non possunt esse salutares & perpetui fructus, redeuntes ad illius studiosos. At Christianæ doctrinæ salutares fructus sunt, qui etiam nunquam marcescunt, vt monet hoc dictum: Est (Legis studiosus) tãquam arbor plantata secũdũ fluenta aquarum, quæ fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non marcescit, & quicquid facit prosperum est. Psal. 1.3. Item: Ita splendeat lux vestra coram hominibus, vt videãt vestra bona opera, glorificéntque Patrem vestrum qui est in cœlis. Mat. 5.16.

XIX.

2. Ab internis eiusdem doctrinæ in filiis Dei effectibus. Ea demum doctrina nobis conuertendis, illuminandis & exhilarandis accommodata est, quæ est verissima & saluberrima. Talis autem est Christiana. iuxta oraculũ, quod de tota diuinitùs nobis patefacta sapientia intelligi debet: Doctrina Iehouæ est perfecta, restituens animam: testimonium Iehouæ certum, sapiẽtes faciens paruulos: statuta Iehouæ sunt recta, exhilarantia cor: præceptum Iehouæ purum est, illustrans oculos. Psal. 19.7.8. Est igitur verissima, &c.

XX.

3. A τεκμηρίῳ, seu non fallente signo. Cordis compunctio salutaris est minimè fallens solidæ, certę & salutaris doctrinę τεκμήριον. Nam dubium & ambiguum dogma, vt maximè nonnihil titillet cor, tamen non multo pòst euanescit, vel leuiter (vt spuma scopulis) adhęret. Christiana autem doctrina vehementer afficit corda auditorum. Est enim viuus sermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagúmque & medullarum: & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis. Heb. 4.12. Si omnes prophetent, ingrediatur autem infidelis quispiã aut idiota, arguitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: & ita occulta cordis eius manifesta fiunt: atque ita procidens in faciem, adorabit Deum, renuncians Deum verè in vobis esse. 1. Cor. 14.25.

Eius rei illustre exemplum habetur Act. 2.37. His autem auditis, Iudæi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?

Christianam itaque doctrinam, solidam & ἀξιόπιστον esse, concludimus.

XXI.

4. Ab officio discentium. Incerta & falsa dogmata censuram eorum, qui collatis testimoniis ea accuratè explorant, ferre non possunt: quia illa haud secus atque funiculus ex arena contextus, vt Hilarius alicubi affirmat, malè cohærent. At doctrina Christiana hanc δοκιμασίαν & censuram efflagitat: vt hæc exempla monent. Paulus recens conuersus Damasci habitantes Iudæos confundebat, συμβιβάζων, id est, collatis testimoniis demonstrans, Iesum esse Christum. Act. 9.22. Celebrantur & Berrhœenses eo nomine, quòd cùm Sermonem recepissent cum omni alacritate, quotidie ἀνακρίνοντες, scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent, explorarent, Act. 17.11. Vt enim aurũ purũ putúmque Lydij lapidis indicio celebratur, sic doctrinæ Christianæ

veritas collatione & diiudicatione testimoniorum illustratur.

XXII.

5. A docentium adiuncto, quod nisi præsuppositа doctrinæ certitudine, locum habere & illis laudi duci non posset. Paulus vult Episcopum tenacem esse fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, vt possit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere. Tit. 1.9. Ergo necesse est, doctrinam illam firmitate plusquam adamantinam esse, & vtilitate planè incomparabilem. Iam, cum etiam Aristoteles dixerit, πρὸς ἕκαστον τῶν εἰδότος ἔργον ὅτι, ἀψευδεῖν μὴ αὐτὸν πρὸς ὧν οἶδε, τὸν ὑ ψευδόμενον ἐμφανίζειν δυνάμεις: quis miretur, requiri fiduciam certitudinis doctrinæ cœlestis in doctore eius?

XXIII.

6. A repugnantibus, Veritate inquam, quæ vnà, simplex, (πολυποίκιλος illa dicitur non rei, sed dispensationis respectu, Eph. 3.10.) stabilis & perpetua est, ac proinde optimum aduersus errores ἀντιφάρμακον: & Falsitate, quæ multiplex est, & seipsam confutat. nam, vt Ioan. Chrysostomus argutè dixit: Mẽdacia sibi ipsa mentiuntur. Vt enim veritas, sententia Augustini, duas habet comites, Sapientiam & Constantiam: sic falsitas turpissimas pediſſequas secum trahit, Stulticiam & Inconstantiam. Ideo Paulus, cùm summam doctrinæ Christianæ cõplexus esset sacro Apophthegmate, vt eius vsum ἀλεξίκακον ostenderet: Iesus Christus, dicens, hodie & heri idem est, & in secula: subiunxit præceptum: Doctrinis variis & peregrinis ne circumferimini. Hebr. 13.8.9. Idem docet, doctrina Euangelij fulciri corda, ne fluctuent velut in pelago incertarum opinionum καὶ δοξομανίας. Donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi. Vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circumferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum fiducia. Eph. 4.13.14. Doctrina itaque Christiana, cùm sit verissima, cõfirmat & fulcit corda nostra, ne τῇ ἑτεροδιδασκαλίᾳ circumrotari possint, & velut in Syrte errorum demergi.

XXIIII.

7. Ab eius præcipuo hoste. Diabolus mendacij pater & homicida, eam maximè doctrinam, vt sibi aduersariã, odio habet, & extirpare conatur, quæ vera & nobis salutaris est. Etsi autem immani odio erga genus humanum ardens, Philosophiam veram, Leges, Artem medicam, Sophistica inscitia, errorum περιτίσμασιν, aliisque modis corrumpere semper conatus fuit: eam tamen doctrinam omni genere telorum omnibus ætatibus maximè hostiliter oppugnauit, quam esse veram, & fidelibus ducem ad æternam vitam & salutem, non ignorabat. Est autem ea Christiana Sapientia, complectens regni Dei mysteria, de nostra per Christum Iesum instauratione & salute. Eo etiam consilio olim per Antiochum Epiphanem, nunc verò per Antichristianos, Codices Biblicos vtriusque Testamenti flammis & aliis modis abolere conatus est. Certissimum itaque est, eius veritatem ἀμετακίνητον, ipsámque saluberrimam nobis esse.

XXV.

8. A contemtoribus doctrinæ Christianæ, & eorum iniquis præiudiciis.

Ea-

Ea demum vera est religionis doctrina, quæ infidelibus & impiis ἐνδιαμέτρως repugnans,eis maximè est exosa,&c. Iuxta dictum:Dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem,quia sunt eorum mala opera. Quisquis enim perversè agit, odit lucem :nec venit ad lucem , quia sunt eorum mala opera. Ioan.3.19.20.

Nullam autem magis oderunt , contemnunt & insectantur, quàm Christianam.Iuxta illud Pauli:Nam sermo ille de cruce,iis qui pereunt , stulticia est.Item:Nos autem prædicamus Christum crucifixum,Iudæis quidem offendiculum,Græcis verò stulticiam.1.Cor.2.18.& 23.

Quare vel ex infidelium & improborum odio erga Ecclesiæ doctrinam, eius veritas & vtilitas colligi potest.

XXVI.

9. Ab vniuersali experientia tam fidelium quam infidelium. Nulla doctrina, quæ est dubia & inutilis, omnibus mundi temporibus & fidelium vsibus seruire, & totius Mundi ac Principis illius viribus & conatibus resistere,& decus firmitatémque suam egregiè tueri potuit.

Atqui doctrina Christiana inde vsque ab initio piis vtilis fuit ad doctrinã, ad redargutionem,ad correctionem,ad institutionem ,vt testantur exempla Sanctorum omnium temporum. Eadem quinetiamsustinuit vicítque Satanæ fraudes & vim , Tyrannorum arma & sæuitiam,Sophistarum technas & λεπτολογίας,Mundi ingratitudinem & odium, domesticorum hostium μηχανήματα & imposturas,præcqnum quorundam suorum infirmitatem:& semper veritatis decus retinuit.

Itaque fatendum est, incomparabilem esse eius tum euidentiam , tum vtilitatem.

XXVII.

Restat ἀπαγωγικὴ Disputatio,quæ ostendit,absurdum esse τὸ ἀδύνατον,derogare veritatis laudem doctrinæ cœlesti.Nos Tyronibus sacræ Theologię gratificandi studio,pingui Minerua , sed tamen verè & solidè , Demonstrationibus ad impossibilia reducentibus adhibitis,demonstrabimus , extremè absurdam & simpliciter impossibilem esse imaginationem de doctrinæ Christianæ incertitudine:ac proinde piis mentibus fugiendam & detestandam,cùm sit mendacium contumeliosum in Deum,qui est ipsa veritas. Placere enim nobis debet præclara Augustini repetita ab Anselmo sententia: Qui veritatem occultat,& qui mendacium profert , vterque reus est : ille, quia prodesse non vult:iste,quia nocere desiderat.

XXVIII.

Demonstrationes ad absurdum reducentes.

Notæ sunt regulæ:Dato vno inconueniente,plura sequi necesse est. Item ad impossibile,sequitur quodlibet. Sed ex periculosa & impia imaginatione de incertitudine doctrinæ Christianæ sequuntur infinita & blasphema absurda & simpliciter impossibilia. Ergo ipsa quoque absurda,inconueniens & impossibilis est.

XXIX.

Minorem probabimus enumeratione absurdorum,quæ posita δέσει de incertitudine Religionis nostræ,sequuntur.Satis autem fuerit ex infinitis nõnulla & maximè obuia , non vt μορμολύκεια , sed vt βλεύγματα Deo & electis

hominibus & Angelis execrabilia, annotare.

1. Deum non esse ἀψευδῆ, seu, eum qui nesciat mentiri: quod statuere tetrum & blasphemum mendacium est. Annon autem id sentiunt, qui ab eo immensa bonitate patefactam religionis doctrinam, incertitudinis alicuius, non suspectam solùm habent, sed etiam sceleratè traducunt? Quid? Anne putant Deum prodeuntem ex arcana sua sede, & sapientiam Legis & Euangelij patefacientem Ecclesiæ suæ, ei flexiloquis & Sibyllinis oraculis illudere?

XXX.

2. Minus tribuendum fidei auctoritati, & sacro Ministerio Prophetarum, Christi, Apostolorum & aliorum Noui Testamenti Ministrorũ, quàm Ethnicorum Philosophis & Sapientibus, qui artifices, in suo quique genere, fuerunt. Hippocratis enim, Aristotelis, & aliorum probatorum artificum testimoniis, credendum esse non dubitant: de Isaiæ autem, Petri aut Pauli, immò Christi Iesu Filij Dei, doctrina & testimoniis, sibi impiam ἐποχὴν permittunt & indulgent. Cui istud cogitanti non veniat in mentem illud Platonis: Argumentum insciticæ est, à sapientibus dissentire. Dissentit autem, nõ is tantùm qui alicubi diuersam sententiam sectatur, sed etiam qui totam doctrinam incertam καὶ ὕπουλον fingit, fortè quia alicubi eius altitudinẽ & profunditatem non assequitur.

XXXI.

3. Scepticorum, qui semper discentes, nunquam tamen ad veritatis (quã non satis diligunt) cognitionem perueniunt, obscuram illam diligentiam, morosam censuram καὶ δοξομανίαν, quam tum maximè declarant, cum Scripturæ certitudini litem mouent, anteferendam esse iudicio totius catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ Dei viui, quæ est columna & stabilimentum veritatis, & quæ nunquam de Scripturæ euidentia dubitauit.

XXXII.

4. Verbum Dei non manere in æternum: contrà quàm Spiritus sanctus disertè pronunciat, Isa. 40.8. Impossibile verò est, vt id in æternum perstet, quod est incertum & non necessarium. Illud verò certum est, sapientiæ laudem iis nequaquam competere, qui verbum Dei reprobant. Ier. 8.9. Reiiciunt autem illud qui incertum esse fingunt.

XXXIII.

5. Lege & Euangelio aliquid certius & verius perueſtigari & tradi posse. Qui sibi hoc per somnum febrímve imaginantur, ij helleboro opus habent: siquidem illud Platonis audire nolint: Nescienti quid laudet, aut quid vituperet, non est adhibenda fides. Reuera autem id nesciunt, qui in Theologia Prophetica & Apostolica de eius certitudine laborant, in disciplinis cæteris non item soliciti.

XXXIIII.

6. Non in Dei & nostri vera cognitione summam sapientiæ nostræ sitã esse, sed in alia aliqua doctrina, quæ sit acie humanæ mẽtis perueſtigãda. Atqui etiam Ethnicis visum est de cœlo descẽdisse illud celebre: γνῶθι σεαυτόν,

Nosce

Nosce teipsum. Quousque autem Ethnicorum sapientia in eius expositione progressa sit, non fugit eruditos. Et cùm Paulus aiat, Ethnicos fuisse Dei ignaros, ἀθέους in mundo, quis salutarem Dei redemtoris agnitionem eis tribuat?

XXXV.

7. Fuco & pigmentis rhetoricis opus esse veræ doctrinæ, ad fidem ei faciendam: cum secundum prouerbium, Simplex sit veritatis oratio. Etsi autẽ alicubi Lactantius ait: Magis credunt homines ornatæ veritati: tamen id nõ de Rhetorum phaleris & lenociniis ac pigmentis oratoriis, sed de natiuo decore & ornatu, accipiendum est.

XXXVI.

8. Inanem, omnium temporum pios doctores & pastores, operam posuisse in Scripturæ expositione, adeóque oleum & operam perdidisse. Scilicet Aristarchis Scripturæ & Religionis incertitudinem ideo aspernantibus, quòd non satis cognitum habent id quod Augustinus sibi voluit, cum veritatem amaram & dulcem esse diceret, plus deferendum, quàm Hieronymo, Augustino, Ioanni Chrysostomo, Basilio Magno, Gregorio Nazianzeno & multis aliis, quorum ἐξηγητικὰ scripta extant?

XXXVII.

9. Fructu solido & salutari caruisse doctrinæ cœlestis studium. Reclamant autem vno ore ἡ ὁμοδυμαδὸν omnes verè pij, quotquot ab exordio mũdi in hunc vsque diem vixerunt, & victuri sunt vsque ad mundi huius condi summationem. Nisi fortè Spiritum sanctum dispensationi verbi & Sacramentorum vnquam defuisse, opinari fas est.

XXXVIII.

10. Sanctos Martyres deliraſſe, cum doctrinam Christianam & voce & sanguine suo defenderent. Stulti enim hominis foret, incertæ opinionis aut doctrinæ caussa, sanguinem profundere.

XXXIX.

11. Minus tribuendum fidei, diuinitùs in cordibus piorum accensæ, & acquiescenti in doctrina diuinitùs patefacta, quàm luci naturæ, sensibus & rationibus, quæ humanæ mentis acie perueſtigari possunt. Qui hoc sibi persuaserunt, cùm de religione Christiana dubitant, aut parum in eius cognitione proficiunt, repetere debebant illa Augustini dicta: Veritas cum inquiritur, arrogantia deponatur. Item: Veritatis inquisitio peccatis impeditur. Obstat enim illorum profectui, quòd nimis sibi placent, & ingenioſi sanè subtilitatis sectatores, nihil humile & simplex ac perspicuum magnificere possunt.

XL.

12. Scripturæ perduellibus, peruersè ingenioſis homũcionibus, si Deo placet, attendendum, fidémque ipsorum λεπτολογήμασιν habendam, ipsi autem Scripturæ non ita habendam. Scilicet tresis homo, vt magnus euadat, diuinæ Scripturæ auctoritatem labefaciet?

XLI.

13. Malè nobis cõsuluisse diuinum Psaltẽ, cùm in collatione libri Naturæ

& Scripturæ, hunc illi prætulit, vt potiorem ducem ad veram Dei agnitionem. Psalm.19.& 119. Si ad Dei Redemtoris agnitionem parandam Naturæ vniuersitatis αὐτοψία & consideratio sufficere potuisset, non opus erat Scripturis sanctis. Atqui his opus fuisse & esse, vel illud argumento est, quòd Scripturas Deus nobis legendas subministrauit.

XLII.

14. Falsum illud Christi dictum esse, quod tamen verisimum est: Erratis, nescientes Scripturas, neque potestatem Dei. Matth.22.29. Ergo non errant, qui norunt Scripturas, & in eis sunt δυνατοὶ, vt de Apollo loquitur Lucas, Act.18.24. Neque verò ab errorum præcipitiis quemquam reuocabit doctrina, nisi ea sit vera & modis omnibus consentanea. Scriptura verò ab erroribus reuocat & liberat.

XLIII.

15. Ne quidem Christi verbis fidem habendam. Iuxta illud: Si crederetis Mosi, crederetis mihi: de me enim ille scripsit. Quòd si illius scriptis non creditis, quomodo verbis meis credetis? Ioan.5.46.47. Qui doctrinam Christianam in dubium vocant, Scripturas, eius commentarios, vt incertas traducunt, & eadem opera verbis Christi fidem derogant. Stat enim illud, Christi verbis eos non credere, qui Mosis & Prophetarum Scriptis non credunt. Idem autem est iudicium & de Apostolorum Scriptis.

XLIIII.

16. Iustam esse causſam, cur quempiam sermonum Christi, vtpote dubiorum, pudeat. Contra illud Christi dicentis: Quemcunque puduerit mei & sermonum meorum, in natione ista adultera & peccatrice, Filium etiam hominis pudebit, &c. Marc.8.38. Quis vitio vertat homini sano & docto, si ipsum incertæ doctrinæ pudeat? Atqui non est cur nos pudeat doctrinæ Christi. Consequitur non esse incertam.

XLV.

17. Transiturum Christi Iesu sermonem, contrà quàm ipsemet pronunciauit, Marc.13.31. Immò transibunt ociosæ & infrugiferæ subtilitates, quæ sunt futilitates (vt disertissimum quendam nostræ ætatis virum, dicere solitum, accepimus) verbo Dei in æternum manente.

XLVI.

18. Doctrinam Euangelij miraculis non esse constabilitam. Contra expressum testimonium, Marc.16.20. Illi verò egressi prædicauerunt vbique, Domino vnà operante, & sermonem confirmante per subsequentia signa. Quî etiam miracula introitus ad fidem esse potuerunt, vt alicubi Augustinus dixit: si incerta erat fidei doctrina?

XLVII.

19. Ex ciuilibus, Pseudochristianorum & verorum Christianorum, de religione certaminibus, huius incertitudinem colligi posse. Nimirũ hoc est, τὸ

τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον sumere. Num ideo Euangelij doctrina falsa olim censeri potuit, quòd de quadam eius parte Paulus cum Petro Antiochiæ contendit? Immò hæc certamina ad eruendam & illustrandam Religionis nostræ veritatem plurimum faciunt.

XLVIII.

20. Doctrinam Christianam, si quidem ea vera sit (vt certè verissima est) sic militante Ecclesia florere posse, vt nullos habeat ἀντιλέγοντας, seu cõtradicentes, & vt à nemine oppugnetur. Quasi verò Satan & Mundus sibi vnquam dissimiles sint futuri.

Si Christus ipse sustinuit ἀντιλογίαν aduersus sese, quis miretur doctrinæ eius professoribus fidis vbique contradici?

XLIX.

Sedenim vt tandem finem imponamus, τῷ συναθροίσμῳ Absurdorum, viuam picturam Academicorum illorum, certitudinis Scripturæ & Religionis nostræ hostium, ex 1. Tim. 6. 3. 4. 5. petitam, ideo addemus, vt quo loco illi nobis habendi sint, manifestum fiat.

Si quis, inquit Apostolus, diuersam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is turget, nihil sciens, sed insaniens circa quæstionum pugnas: ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ, peruersæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui priuati sunt veritate, & quæstui habent pietatem. Secede ab ijs qui eiusmodi sunt.

L.

Ex iis omnibus quæ iam nobis dicta sunt, colligimus, sacrosanctam esse Scripturæ sacræ & Religionis Christianæ auctoritatem & certitudinem, ὑπερεδραίωσαι. Coronidis loco addam I. C. Regulam, Auctoritates diuinæ Scripturæ sunt adprobatæ, & possunt tanquam leges allegari in caussis. Iam si nemo prudens Legum sacrarum certitudinem conuellere audet, quis Scripturæ euidentiam in dubium vocare ausit?

PIO

PIO LECTORI S.

EDITA *est non ita pridem bono consilio Confessio Gennadij Patriarchæ quondam Constantinopolitani, quam victori Mahometo 2. pro defensione Christianæ fidei obtulit. Adducit autem Gennadius hæc septem certitudinis doctrinæ Christianæ argumenta.*

1. *Consensus Propheticorum oraculorum de Iesu Christo: cui aliqua ex parte respondisse oracula Græcorum, & prædictiones Astronomorum Persarum, Gennadius ideo affirmat, quòd his aliquid exotericos Turcos tribuere, iudicaret.* Οτι προεφήτευσαν οἱ προφῆται τῆς Ιουδαίων, ἃς ἑρμηνεύομεν ἡμεῖς, τοῦ Ιησοῦν, καὶ ὅσα ἐποίησε, καὶ ὅσα ἐπάθοντο, καὶ ὅσα ἐποίησαν ὕστερον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τῇ δυνάμει αὐτοῦ: ὁμοίως προεφήτευσαν καὶ τὰ μαντεῖα τῶν Ελλήνων, συγχωρήσει θεοῦ, καὶ οἱ ἀστρόνομοι τῆς Περσῶν καὶ Ελλήνων: καὶ ταῦτα μὲν μετὰ εὐφημίας τοῦ Ιησοῦ.

2. *Propheticorum & Apostolicorum Scriptorum, de tota Religionis Christianæ doctrina, dulcissima παναρμονία, nihil dissentaneum habens.* Οτι αἱ γραφαὶ τῆς πίστεως ἡμῶν συμφωνοῦσιν ἐν πᾶσι, διότι εἶχον οἱ γράψαντες αὐτὰς ἕνα διδάσκαλον, τὸ χάριν τοῦ θεοῦ. ἄλλως δὲ ἔμελλον ἐν τισὶ διαφωνεῖν.

3. *Omnium ætatum & conditionum hominum, diuersarúmque gentium, quæ non sine periculo suo sunt amplexæ Christianismum, iudicium: & Paganismi abrogatio.* Οτι ἐδέξαντο τοιαύτην τὴν πίστιν νέαν οὖσαν καὶ ἄδοξον (*sic, erroneæ infidelium opinionis respectu, vocatur*) οἱ ἄνθρωποι μετὰ πάσης παντοχοῦ, καὶ μετὰ κινδύνων πολλῶν: καὶ οὐ μόνον ἰδιῶται, ἀλλὰ καὶ οἱ φρόνιμοι καὶ οἱ σοφοὶ: καὶ διὰ τοῦτο κατελύθη τελείως ἡ πλάνη τῶν δαιμόνων. *Hac re se motum vt Christianus fieret, Iustinus Martyr alicubi fatetur.*

4. *Forma & finis doctrinæ Christianæ.* Οτι ἡ πίστις αὕτη οὐδὲν περιέχει ἀδυνατον, οὔτε ἀσύμφωνον, οὐδὲ σωματικὸν, ἀλλὰ πάντα πνευματικά: καὶ ἔστιν ὁδὸς φέρουσα τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ, καὶ τῆς μελλούσης αἰωνίου ζωῆς.

5. *Dona ordinaria & alia, quæ Spiritus sanctus iis qui & amplexi & professi sunt Fidem Christianam largitus est.* Οτι ὅσοι ἔλαβον ταύτην τὴν πίστιν, καὶ ἐπολιτεύσαντο ἐναρέτως, κατὰ τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ ἔλαβον μεγάλα χαρίσματα ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ δυνάμεις ἐποίησαν πολλὰς: ὅπερ οὐκ ἂν ἦν ἡ πίστις αὕτη ψευδὴς.

6. *Facilis confutatio cauillationum quæ contra doctrinam Christianam ab eius hostibus producuntur.* Οτι ὅσα λέγουσί τινες κατὰ τῆς πίστεως ταύτης, εὐκόλως λύειν δυνάμεθα, καὶ εὐλόγως καὶ καθαρῶς.

7. *Nulla vi humana, doctrina Christi aboleri potuit.* Οτι τῇ πίστει ταύτῃ

ταύτῃ ἐπολέμησαν, δι' ἃ πολλῶν πημωρίων καὶ φόνων οἱ βασιλεῖς τ' οἰκουμένης τότε πλείστοις χρόνοις, πολύθεοι ὄντες καὶ ἰδωλάτραι, καὶ οὐδὲν ἴσχυσαν: ἀλλὰ ἐνίκησεν ἡ πίστις, καὶ δι' αὐτῆς μέχρι τοῦ νῦν: καὶ ἐλθὼν ὁ Κύριος εὑρήσῃ αὐτὴν: ἢν εἰ μὴ καὶ ἡ πίστις αὕτη ἐκ θελήματος θεοῦ, ἐξελύθη ἂν τότε εὐκόλως. *Rectè sanè Gennadius. Nam, vt alicubi verè Clemens Alexandrinus pronunciauit:* ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται. *Atqui doctrina Christiana verissima est. Itaque ne dubitemus, inuictam quoque esse: & eo quidem nomine, sedulos potius eius discipulos & testes, quàm acutos Aristarchos, agamus: & nunquã non repetamus hosce Aphorismos:*

1. *Scripturæ non credens (inquit Chrysostomus) vt furibundus vitandus est.*

2. *Scripturæ (eiusdem sententia) expendendæ, non reprehendendæ.*

3. *Euangelio contradicentes magis Christum lædũt, quàm qui eum crucifixerunt. Augustinus, de Natura & Gratia.*

Bene vale, Candide Lector, & Christum ora, vt nobis omnibus det per omnem vitam constanter & eleganter φιλαληθεύειν, εὐεργετεῖν καὶ τεθποφορεῖν. *Perscriptum Basileæ, Anno Domini* M. D. LXXXII. *16. Maij, qua die, Anno Mundi conditi 2454. ante Christum natum 1517. (iuxta Bucholceri, doctissimi viri, Χρονολογίων) Deus populo Israel cœlitùs subministrare cœpit Mannam, de cuius vsu & mysterio agitur Exod. 16. Ioan. 6. 1. Cor. 10.*

ΔΙΑΛΟΓΙΣΜΟΣ.

Dic Pietatis amans, Fidei quæ regula recta?
Simplicitas: sed quæ non rationis eget.
Quid ratio? An nescis, brutum Mortalis habetur,
Dum temerè Superûm mystica damnat homo?
Esto: nil humana valet sapientia, diuis
Rebus iudicium quando parare studet.
At si informetur nostræ rationis acumen,
Incipit à supera luce placere Deo.
Haud rationis egens, scrutando dicta probabit,
Vel iustè poterit scripta secare Dei.
Concede hinc Fidei rationem, iusta probanti:
Æternùm sanæ vel rationis ege.

Sacra Simplicitas Veritatis.

THESES
DE MISSA PONTIFICIA, QVAE ostendunt eam non esse Cœnam Domini nostri Iesu Christi.

De ijs autem in disputatione publica, in Theologico BASILIENSIS *Academiæ Auditorio, die XIV. Iunij, Præside D. Ioan. Iacobo Grynæo, S. Theologiæ Professore,*

Genere & ingenio nobilis, D. EMMANVEL BAERNESIVS Anglus, Philosophię Doctor Oxoniensis, Deo dante, respondit.

AD

Illustrem & Generosum D. Dn. GEORGIVM A SAYN, *Comitem in Vuitgenstein, Dn. in Homburg.*

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, D. GEORGIO A SAYN, IVNIORI, COMITI in Vuitgenstein, Domino in Homburg, S. & P. à Domino.

INclyte, magnanimi proles generosa parentis,
Romani capias fallacia dogmata Papæ,
In lucem deducta nouam, verbúmque tonantis
Admirare Dei, magicæ phantasmata Missæ
Comtemplare, sua Latium cum fraude tyrannum
Eijcito, clarique sequens vestigia Patris,
Macte tua virtute Comes (sic itur ad astra)
Ascribique tibi nostram patiare camœnam.

Tuæ Generositati deditissimus
Emmanuel Bærnesius Anglus.

THESES DE MISSA PAPISTICA.

I.

QVOD benè vertat Dominus noster Iesus Christus: propositũ nobis est, ad Dei gloriam & nostram institutionem, demonstrare, Missam Papisticam nequaquam esse sacrosanctam illam Domini nostri Iesu Christi Cœnam: sed horrendam eius profanationem, contumeliosam in Deum Patrem, & in piacularem victimam, quam in crucis ara nostra caussa Mediator & Redemtor noster Iesus Christus semel obtulit: eóque nomine, ceu nocentissimam pestem, pijs omnibus fugiendam. Extra chorum autem hunc, in ista Disputatione, non est animus differendo ἐξορχεῖσθαι.

II.

Argumentum autem ὑπομνηματικὸν, hac Demonstratione, velut cẽtro & spacio, initiò

cio, initiò circumscribimus, vt piæ mentes sententiam nostram facilè & assequi & diiudicare possint.

Quæcunque actiones religiosæ plurimùm inter se differunt, appellationibus propriis, speciebus, caussis, & agendi modis, eæ non possunt confundi, & pro vna eadémque haberi.

Atqui sacra Eucharistia, quæ est κοινωνίας Corporis & Sanguinis Christi augustissimum Sacramentum: & Missa Papistica, appellationibus, speciebus, caussis, agendi, δὶς διὰ παντῶν inter se dissident.

Itaque certissimum est, Missam non esse Cœnam Domini. Viderint ergo illius patroni, quid de commento humano sibi tandem sit statuendum: &, quod sanè ex animo optamus, Deo gloriam, veritati palmam dantes, Missam Pontificiam missam faciant, ac Christi Iesu ὁμοτραπέζοι in sacra Cœna fiant, & vno spiritu Deum nobiscum collaudent.

III.

1 A Notatione.

Minorem, in qua est τὸ καινόμυον, instituta μεθόδῳ τῶν λόγων, perspicuè & euidenter demonstrabimus, ac initium à Notatione faciemus.

Diuersarum rerum, diuersa quoque sunt & propria nomina: ac, vt exotericus ille Orator verè dixit: Nomina cum rebus consentiunt. Sed Missæ & Cœnæ Domini diuersa sunt nomina: id quod non solùm ex dictionum sonis & significationibus, sed etiam (vt de aliis nunc non dicamus) ex vtriusque finitione κατ' ἔπαινον liquet. Etenim Missa suis Hierophantis est altaris Sacramentum, profana loquendi ratione: Cœna autem Dominica (1. Cor. 11. 20. religiosè à Paulo Apostolo sic dicta) est μετοχὴ seu participatio mensæ Domini. 1. Cor. 10. 21. Porrò, Ecclesiæ Dei Cœna Dominica, est σύναξις καὶ κοινωνία, quum sit efficax Sacramentum nostræ cum Christo consociationis, & mutuæ coniunctionis omnium fidelium. 1. Corinth. 10. 16. 17. At in Missis priuatis sacrificulorum vnusquisque propriam non Cœnam, sed ientaculum præoccupat in vescendo, cæteris, nisi domi pransi sint, esuriẽtibus. Fatendum itaque est, diuersas res esse Eucharistiam nostram & papisticam Missam: de cuius nomine, vt hoc παρέργως addamus, non idem visum est Polydoro Virgilio, homini Pontificio, quod Reuchlino, qui מסה Hebræis Oblationem significare, ex Deut. 16. 10. ostendere conatus est. Probat enim ille, nobis non admodum reclamantibus, Missæ nomen à sacris Isidis petitum esse, & adducit idoneum testem Apuleium, qui lib. 11. Asini sui aurei, de Isidis cultu nonnulla memoriæ prodidit, quæ Missifici, Orgia sua celebrantes, strenuè repræsentant, & à quibus partem bonam suorum sacrorum petierint, non obscurè indicant.

IIII.

2 A Speciebus diuersis.

Nemo pius & intelligens nescit, aliud esse Sacrificium, in quo aliquid Deo offertur, vt is debito afficiatur honore: aliud autem esse Sacramentum, in quo Dei dona percipiuntur. Etsi autem quædam habent communia, reuera tamen sic inter sese differunt, quemadmodum dare & accipere. Nec sanè eadem sunt, quæ in aliquo tertio conueniunt: vt monet vetus canon.

Fatentur autem Pontificij, Missam esse sacrificium incruentum, quod pro viuis & mortuis sit offerendum: etsi nondum illis planè conuenit, , sit ne ἱλαστικὸν, an verò εὐχαριστικόν.

Negant igitur, Missam esse Sacramentum: & per consequens, negant Missam esse Eucharistiam. Nam à quo remouetur genus, ab eodem & speciem remoueri, manifestum est.

V.

3. A Causis effic. princip.

Cœnam Dominicam, in ea nocte qua proditus est Dominum noster Iesus Christus, ab eodem, in sui memoriam, institutam esse, extra omnem controuersiam est. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

At Missæ centones à diuersis Pontificibus, Romanis tamen præcipuè, diuersisque temporibus esse consarcinatos, ipsemet Platina historiographus Pontificum Romanorum, in vita Sixti I. fatetur. Adscribam autem eius verba ex eo codice Platinæ, qui Noribergæ, anno Christi 1481. ab Antonio Koburgero excusus est, tum ne quis νόθα & recẽtia dicta adduci à nobis, suspicari possit: tum quia, iuxta paroemiam, bis interimuntur Missæ patroni (qui Deo & veritati gloriam dare recusant) cùm suis armis pereunt. In celebratione Missæ (Sixtus mandauit) vt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, cantaretur. Nuda primò hæc erant, & omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim, vbi consecrauerat, oratione Pater noster, vsus est. Auxit hęc mysteria Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, auxit & Basilius, auxêre & alij. Nam Cœlestinus Missæ introitum dedit: Gregorius, Kyrieeleison: Gloria in excelsis Deo, Telesphorus: Collationes, Gelasius primus: Epistolã & Euangelium, Hieronymus: Alleluia verò sumptum est ex Ecclesia Hierosolymitana: Symbolum in Concilio Nicæno: Mortuorum autem commemorationem, Pelagius inuenit: Thus, Leo tertius: Osculum pacis, Innocentius primus: vt caneretur Agnus Dei, Sergius Pontifex instituit. Quàm verò in veteri Ecclesia, aliena fuerit Cœnæ Dominicę administratio, ab omnibus istis corruptelis & sutelis, quibus iam Missa constat, Gregorij Magni Episcopi Romani (qui tamen de suo quoque nonnulla ei asperserit) verba testantur, quæ extant Epistolarum lib. 7. Epist. 63. In quotidianis Missis alia quæ dici solent tacemus, tantummodò Kyrie-eleison & Christe-eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem autem Dominicam ideò mox post precem dicimus: quia MOS APOSTOLORVM fuit, vt ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent.

Concludimus itaque, cũ nõ sit hominum verbo Dei & Sacramentis aliquid addere (Deut. 4. 2. & 12. 32.) Eos, qui Missam composuerunt, non tantum Dominicam Cœnam corrupisse, sed etiam in specie diuersum monstrũ transformasse. Falsò autem affingi Iacobo Hierosolymorum Episcopo initium sutelarum illarum, homines sani intelligunt, nec id obscurè ex verbis Gregorij, quæ adduximus, colligere licet. Sed posterioribus seculis, etiã pios quosdam Episcopos nimium sibiipsis in hoc genere augendi Sacramentorum liturgiam, quam simplicissimam esse conuenit, & eorum exemplo, confirmatam esse audaciam καὶ δεισιδαιμονίαν Romanorum Episcoporum, Historia Ecclesiastica testatur.

VI.

4. A causis effic. famulantibus.

Cœnæ Dominicæ λειτουργοὶ, seu administri sunt, verbi Dei Ministri, quibus non modò Missificare non licet, sed etiam ne quidem illius ἀπολαυσείας & impietatis spectatores agere, cuius hostes esse debent, propter gloriam Iesu Christi Domini sui.

Sed

Sed Missæ pantomimi sunt Sacerdotes, quibus à Pseudepiscopis (habent enim similes labra lactucas) facta est copia, vt loquũtur, consecrandi corpus Christi verum, & absoluendi mysticum. Atqui, abolito Leuitico Sacerdotio, ad Iesum Christum nostrum Seruatorem, vnicum Archipontificem secundum ordinem Melchisedeci, omni sacerdotij honos rediit : propterea quòd is semel in consummatione seculorum, ad abolendum peccatum, per immolationem suiipsius patefactus est. Hebr. 9. 26. Viderint itaque Sacrificuli illi, ne Cereris & Bacchi mystæ potius sint, quàm Christi Iesu, qui in Ecclesia Noui Testamenti, non Sacerdotum, sed verbi sui præconum, ordinem instituit.

Sic itaque ratiocinamur : Quæ duæ actiones vsqueadeò à se inuicem sunt alienæ, vt nequaquam ab iisdem administris effici possint & debeant, eę non sunt in vnam conflandæ. Sed Cœnam Dominicam administrare verbi Ministri debent: Missam autem celebrare non debent. Rursum, Missam celebrare (hominum errore) Sacrificulis Papisticis licet: Cœnam Dominicam, si qui eorum simul administrare velint, nobis tamen frequentare, & ea vti non licet. Quare necesse est aliud esse Cœnam Domini, aliud Missam Papalem.

VII.

5. Adiuersitate formarum.

Actiones, quarum diuersæ sunt formæ, non sunt pro vna & eadem habendæ. Sed Cœnæ Dominicæ & Missæ theatricæ diuersæ sunt formæ. Quare Missa non est Cœna Domini.

Minorem illustrat & probat αὐτόπτης Actionum in Cœna Dominica, & in Missa Pontificia, circulatoria & præstigiatrice.

In Cœna Dominica alia sunt Ministrorum, alia τῶν ὁμοτραπέζων adiuncta & opera. Illorum est, Panem Domini frangere: Poculum Domini ἐχαριστῶν offerre: in precibus, in doxologiis, in mortis Domini nostri Iesu Christi annunciatione toti Ecclesiæ præire verbis, &c. Horum autem est, Panem Domini accipere & edere: bibere è poculo Domini : seipsos probare : Domini mortem, prælucente fide, commemorare, &c. Sunt enim istorum, Cœnæ inquam Dominicæ vtentium, opera duûm generum. Externa enim sunt, accipere, edere, bibere. Sacramenta videlicet, quæ in sensus incurrunt. Interna verò, edere corpus Christi, bibere eiusdem sanguinem, sed spiritualiter, cùm nulla in h s mysteriis physica substantiarum συνάφεια fidelibus sit statuenda.

In Missa autem idololatrica, Actio primaria Sacrificuli est, offerre incruẽtum sacrificium pro suis & alienis peccatis (hoc quàm sit absurdum, vel ex eo liquet, quòd absque sanguinis effusione non fit remissio. Hebr. 9. 22.) Deo Patri: conficere ex pane corpus Christi: edere, bibere, ludere, cæteris spectantibus & attonitis. Eorum autem qui Missis intersunt, quæ tandem aliæ sunt actiones, quàm in priuatis quidem Missis cum magna δεισιδαιμονίᾳ, agere spectatores hominum admodum indecorè se gerentium, & id quod tanquam Numen adorandum exhibuerant, auidè mox deuorantium: spectando alienæ seruire fabulę: in cæteris autem Missis, pane contentos, à poculo abstinere? Summatim dicam, μηδὲν λαμβάνειν, καὶ καλῶς κρατεῖν. Quid enim hoc est, nudum panem edere, & interim opinari nihil eius præter accidentia restare, in quæ ille conuersus fingitur, & τὰ πεπώματα δώκειν, vt habet prouerbium?

VIII.

6. A Materia. Quæ res materia quoque differunt, eæ non sunt pro vna & eadem habendæ. Missa autem & Cœna Domini materia differunt. Quare dici non debet, quòd Missa sit Cœna Domini.

Minorem probo. Etenim in Cœna Dominica fideles omnes cum beato Irenæo Martyre agnoscũt res terrenas & cœlestes, quarum est συστοιχείωσις ἑνωτική, qua etiam finienda est Sacramentalis vnio signorum & signatorum. Ac terrena quidem sunt, Panis & Vinum Domini, quæ vsu & ordinatione diuina sanctificantur, vt sint Sacramenta: cœlestia verò sunt, Corpus Christi pro nobis traditum, Sanguis Christi pro nobis fusus, vnà cum omnibus meritis & beneficiis Christi.

Pontificij autem contendunt, in sua Missa, mutatis vi verborum consecrationis Symbolorum, panis inquam & vini, substantiis (si vtrumque credere fas est) manere illarum accidentia, colorem, odorem, figuram, sine subiectis suis. Necesse est itaque, perire analogiam signorum & rerum signatarum. neque enim illa similitudinem habent, qua corpus & sanguinem Domini repræsentent.

Rursum, non illud nesciunt Pontificij, Scholiasten Decretorum Gratiani (qui certè in magno apud eos precio semper fuit) de Consecrat. Distinct. 2. cap. Tribus gradibus, hæc annotasse ex recepta haud dubiè Romanæ Ecclesiæ opinione: Certum est, quòd species quàm citò dentibus teruntur, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi.

Ex his colligo, posita ὑποθέσει Papistarum de Transsubstantiatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi: & de corpore Christi statim atque species dentibus (id est, vmbræ & fumi manibus) teruntur, in cœlum subuolante, eosdem, cùm suum illud Altaris Sacramentum percipiunt, nec symbolorum, nec rei Sacramenti verè participes fieri: sed nuda accidentia sine subiectis percipere: quod est absurdissimum. Etenim panis & vinum, illorum errore transelementantur, vt desinant id actu esse, quod paulo antè fuerunt: Corpus autem Christi, vt disertè Scholiastes scribit, in cœlum abripitur, cũ species dentibus teruntur. Liquet igitur, illos nec panis, nec vini, nec Christi corporis participes fieri in suis illis Missis, propterea quòd non eadem est earum, quæ sacrosanctæ Cœnæ, materia.

Vt autem vna est Dominica Cœna, fidelibus celebranda donec veniat Dominus Iesus, 1. Cor. 11. 26. ita sunt Missæ multiplices, in quarum numero hæ quoque sunt. 1. De spinea corona. 2. Missa de tribus clauis. 3. Missa de præputio Christi. 4. Missa pro equestri aut pedestri itinere peregrinãtibus. 5. Missa pro nauigantibus. 6. Missa pro grauidis. 7. Missa pro parturientibus. 8. Missa pro sterilibus. 9. Missa pro febri quartana aut tertiana laborantibus, &c. Bone Deus, quàm sunt multæ formæ vendendi fumos turpis lucri gratia: & quàm verè dixeris, Sacrificos à mortuis & à viuentibus vectigal exigere?

IX.

7. A finibus Quæ finibus plurimum differunt, inter sese quoque plurimum differunt: ac verè dicitur à I.C. Si finis bonus, ipsum quoque bonum. Atqui diuersissimi sunt fines Cœnæ Domini, qui sunt optimi & saluberrimi: & Missæ Papisticæ fines, qui omnium sunt pessimi, nocentissimi & turpissimi. Quare non est cur Missam demus esse Cœnam Dominicam.

Minorem

Minorem probo. Nam, si Cœnam Dominicam spectes, præcipuus eius finis is est, de quo Paulus ait: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quam frangimus, nónne communio corporis Christi est? 1. Cor. 10. 16. Proximus est is, de quo idem his quidem verbis pronunciauit: Quotiescunque ederitis panem hunc, & biberitis hoc poculum, mortem Domini annunciabitis, vsquequò venerit: 1. Cor. 11. 26. De cæteris subordinatis finibus nunc non dicemus.

Si quis verò Missam Pontificiam consideret, principalis eius finis est, piacularem, sed tamen incruentam victimam, Deo Patri pro peccatis, Missas tum celebrantium, tum pretio redimentium, offerre, quæ ex opere operato eis mereatur remissionem peccatorum. Hæc vana persuasio, vt contumeliosa est in Sacrificium Christi, semel in ara crucis oblatum: ita pernicioſa est Missas tum celebrantibus, tum ementibus, seruítque culinis & ventribus Silenorum Missificantium. Vt autem, qui Missis priuatis interſunt, reuera participes non sunt altaris, non habent cur de efficace tessera suæ cum Christo coniunctionis glorientur: ita nec de Sanctorum communione iidem sibi gratulari possunt: neque enim vnius panis fiunt participes. Porrò, cùm iisdē in Missis communibus pane vescentibus, à poculo Dominico est abstinendum, vt (si Deo placet) Sacerdotum dignitati consulatur: quis non videat, Missam discordiæ inter Clericos & Laicos, quos vocant, symbolum esse: cùm Cœna Domini nostræ cum Christo capite coniunctionis Sacramentum sit?

Iam verò, cùm aliud sit ἀνάμνησις & commemoratio mortis Christi (quæ iam olim incidit in annum à condito mundo 4004. Christi autem 34) aliud incruenta corporis Christi oblatio: quis non videat, alium esse Cœnæ Dominicæ, quæ ad Christi & oblationis eius semel peractæ, recordationem instituta est: alium autem Missæ Papalis, in qua Tragœdus illius, Christum sacrare & Deo Patri offerre, opinatur, finem? Potissimum autem Missæ finem esse, vt quæstui & delitiis Sacerdotum summorum, mediocrium & infimorum seruiat, qui non videt, nihil videt.

X.

8. A liturgia Cœnæ Dominicæ, & Bacchanal. Missæ.

Restat vt differentiæ rationes eas quoque attingamus, quæ ducuntur à modis diuersissimis celebrandi Cœnam Domini & Missam Pontificiam. Neque verò, vt de decoro (de quo sapienter dicitur: Caput artis est decere quod facias) primùm breuitérque dicam, in liturgia Cœnæ Dominicæ quicquam est, quod non ordini & decoro pulcrè respondeat, cùm ea tota à Christo Domino sit instituta.

At in Missa Papali inter alia absurda hæc occurrunt. 1. Sacramentum in Sacrificium transformare. 2. Sacrifici vicaria opera vti in vsu Sacramenti: quod perinde absurdum est, ac si olim Iudæus aliquis spectator esse suæ circumcisionis maluisset, aliúmque suo loco circumcidi curauisset. 3. Opere operato & quidem alieno, ea sibi applicare velle, quæ fide sua quemque apprehendere & applicare oportebat. 4. Vti in Ecclesia peregrino sermone, cùm publico verbi visibilis Ministerio defungendum est, sic vt Idiotæ non possint dicere Amen. Nihil iam de eo dicam, quòd Clerici & alij, qui Missificanti reboando nonnunquam mutuas operas tradunt, suam fabulam ita bellè saltant, vt non possit non in mentem venire homini intelligenti, illud

vetus Prouerbium. Οὔνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δ' ἀκούσας ἐκίνει τὰ ὦτα.

XI.

Non voluit Christus Cœnam suam turpissimo quæstui seruire, sed piorum institutioni & consolationi. Notum enim est illud Apostolicũ: Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius est. 1. Cor. 10. 24.

At Missa prostat & in quæstu pro meretrice sedet, ac seruit alendis multis millibus Sacrificulorũ: quorũ res propter inscitiã, agrestes mores, stultitiam, temulentiam & alia dedecora, partim ad famem Saguntinã, partim ad restim, partim ad rastros rediret, nisi Missa foret: cùm maxima eorum pars æquè sit aliena ab omni liberalis doctrinæ & virtutis studio & præsidiis, atque est vulgus Pseudepiscoporum ἀναλφαβήτων, qui cùm neque literas bonas, neque natare nouerint: interim sunt δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανάς.

XII.

Vult Christus in Ecclesia omnia decenter & ordinè fieri. 1. Corin. 14. 40. Itaque & in Cœnæ suæ administratione εὐσχημοσύνῃ & decorum accuratè obseruari voluit.

In Missa autem, Deus bone, quid non scenicum & histrionicum, & ab omni decoro & grauitate ac modestia Christiana alienum, occurrit? Prodit in proscenium Comicus histrio, ἠ μεταβλητότερος μίτρας τῆς ἐρισίχθονος, vestimentis scenicis ornatus, qui suis gesticulationibus, boatu, murmure & sibilis, gemitibus & suspiriis, cantu & aliis modis, spectatoribus (si quidem illi Orgiis istis nunquã interfuerint nec assueuerint) non minorẽ ridendi materiã subministrat, quàm vel funambulus per extentum funem incedens, vel γελωτοποιὸς, cùm celebrantur Bacchanalia. Verùm istas sordes, à quibus mens pia vehementer abhorret: & de quibus non iniuria dubites, risúne, an verò sangnineis lacrymis (cum & in Deum contumelioſæ sint, & Ecclesię summo dedecori) prosequendæ sint, omitto: & ad alia θαλύγματα accedo.

XIII.

In Cœna Domini nihil est, quod ordini in natura rerum diuinitùs sancito aduersetur: nec nisi per μετωνυμίαν sacramẽtalem de pane prædicatur, quòd sit Christi corpus: & de vino, quòd sit eiusdem sanguis. Ideo & Augustinus negat, in Sacramentis miraculis locum esse.

At in Missa nonnulla planè sunt magica, abominanda, ἠ περατώδη περιέσματα. In eorum numero hæc sunt. 1. Verbis & susurris vti ad res ἀψύχοις. Quãtum autem, Deum immortalem, flagitium est, verba Cœnæ Dominicæ in Ephesias literas transformare? 2. Rerum formas verbis conceptis transformare velle. Conantur id Sacrificuli, cum ex pane carnem Christi, ex vino sanguinem, transelementando producere cupiunt. 3. Verbis aliam quàm significandi vim affingere, &c. 4. Pane consecrato vti ad restinguenda incendia, ad sedandas tempestates, &c. Atqui vt nihil habet Sacramenti rationem extra vsum diuinitùs præscriptum: sic si aliquid superstitiosè adhibeatur ad vsus peregrinos & diuersos, nulla nec naturę, nec instituti diuini ratione habita, quis dubitet magicum eius abusum esse?

XIIII.

In Cœna Dominica nullus est idololatriæ locus : nec enim illa in idolũ transfomari, sed δοξολογίᾳ & commemorationi mortis Christi seruire debet.

Sed in Missa manifesta est ἀρτολατρεία. 1. Panem enim magicè incantatũ, Deum vocant. 2. Eundem attollunt, vt cultus adorationis illi præstetur. 3. Egregiè autem illudunt spectatoribus, cum eundem mox deglutiunt, quem paulo antè adorandum exhibuerant: parum sanè memores dicti Ciceronis: Quem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, Deum credat esse? 4. Accidentia quinetiam panis & vini (nisi fortè putant, auolante corpore, per nouam μετασοιχείωσιν ἢ μεταποίησιν, panem iterum substitui: ne nuda accidentia periclitentur) armariis & ciboriis superstitiosè includunt, & cum libet (prorsus vt olim Persæ ignem) circumgestant, supplices adorant, & beatissimo (si Deo placet) isti Sacramento animas suas commendant: vehementer dolentes, cum à sceleratis muribus aut gliribus id absumitur: id quod interdum euenire, Scholasticorum ὡραὶ ζητήσεις super ea re, abundè testantur.

XV.

Vt autem finem faciamus, sicut nihil est in Cœna Dominica, quod non conueniat voluntati diuinæ & pacto Sacramentario: sic in Missa, hæc sacrilegia occurrunt. 1. Nucleo sublato, putamina relinquere: hoc est, è Sacramentis, per Transsubstantiationis figmentum, signorum substantias tollere, accidentia relinquere: quod simpliciter est ἀδύνατον & absurdum. 2. Contra expressum Christi de poculo Domini mãdatum: Bibite ex eo omnes. Matth. 26.27. maximę parti populi Dei, alteram Cœnæ Dominicæ partem denegare. Neque verò est, vt hoc coronidis vice addamus, cur quis nos ἀσύστατα hîc dicere suspicetur. Non enim damus, Missam esse Cœnam Domini: sed ex Aduersariorum ὁμοδόξει colligimus, siquidem illud detur, sacrilegam tamen esse audaciam, Laicis, quos vocant, id adimere, quod eis diuinitùs est destinatum. 3. Fingere separationem corporis Christi & nostri: sic vt illud exhiberi, ac statim in cœlum abripi dicatur.

XVI.

Ex iis, quæ ἀμαθέστερον ἢ σαφέστερον, solidè tamen, à nobis sunt dicta, colligimus, Missam non esse Cœnam Dominicam, sed potius horrendam eius profanationem. ὅσῳ τάχιον δεῖ δεῖξαι. Dominus Iesus misereatur errãtium, & reuocet in viã eos quos veritatis luce illustrare, ipsi visum est: ac in cordibus nostris accendat & foueat φιλαληθείαν ἢ φιλαδελφίαν: détque vt bonam ipsius caussam bene, hoc est, eleganter, constanter & solidè agamus, ad ipsius laudem & nostram institutionem, Amen. Perscriptum Basileæ, Calendis Iunij, 1582.

πάντοτε δόξα θεῷ.

DE MISSA PAPISTICA EPIGRAMMA.

AVrea sceptrigerûm postquam diademata Regum,
Per fraudem subiecta sibi cædémque Tyranus
Vidisset Latius, sua regna recentia laruis
Incœpit formare nouis, verámque perosus
Doctrinæ normam Domino contrarius iuit.
Ac primùm sanctis orbauit templa Ministris,
Et rabidos reuocare lupos, qui dente vorace
Insontes laniare greges potuêre, solebat.
His, quo sancta cohors tam sancto digna parente
Comparere queant, rasis diademata iussit
Verticibus, pallásque humeris imponier albas:
Quas super obryzo nitidas mandauerat auro
Induier chlamydes, temulenti festa Lyæi,
Iunoníque amens vetitos imitatus honores:
Quóque magis miserum posset laniare popellum,
Pro libris tribuisse faces, gladiísque cruentas
Armauisse manus, sanctorum cæsa loquuntur
Millia, terra gemens, postes murique loquuntur.
His vbi regna modis sibi confirmasset in altum,
Incœpit latrare Patrem: ruptísque Tabellis
Vtriusque nomi, leges sancire recentes
Perrexit, spretóque Deo sua iura docebat.
Principiò sacris picti ludibria trunci,
Atque ebur in varias & saxa excisa figuras
Imposuit veneranda locis: Dominóque creanti
Debita prostituit diuis mysteria mutis.
Ne quid & intactum sceleris prauíque relinquat,
In Christum sæuire parat, mutatáque miris
Sacramenta modis tandem deleuit, eorum
Inq; vicem proprij statuit decreta cerebri.
Baptismi variis maculauit symbola philtris,
Vt magicum videatur opus, tollénsque synaxin
Scœnica constituit fœdæ phantasmata Missæ.
Quam, quoniam humanis tenebras offudit ocellis,
Ad viuum resecare libet, fraudémque dolosam
Discutere, & technis pleno aduersarier ore.
Hoc monstrum à multis capiens sacraria sacris
Mutua, si redeant gentes, propriáque reposcant
Pacificè nugas, mouneat comœdia risum
Furtiuis nudata iocis. Seruator in illa,
Qua datus infaustis gratissima præda Iudæis,
Nocte suos dulci solatus voce μαθητὰς,
Syncera instituit sacræ primordia Cœnæ.
Hinc obscœna sibi meretrix Babylonis auaræ
Materiam lucri sperauerat esse rapacis:

Sed

Sed cùm ſacrilegis ſyncera reſiſteret auſis
Relligio, mutauit opus, Chriſtóque repugnans
Præpoſuit Cœnæ Miſſam, mala dogmata verbo:
Vtq́ ſuas melius poſſet diuendere merces,
Incœpit nitidis fœtum depingere fucis.
Nomen ab antiquis Ægypti ducere ſacris,
Aurea demonſtrant aſini monumenta ſacrati.
Thura Venus tribuit: Lucernas aurea Veſta:
Auratam Iuno Chlamydem: diadema prophanus
Iuppiter. Vnde ſuas (quæris) petitêre choreas?
Bacchorum maleſana cohors, Corybantica turba
Sic proprium coluere Deum. petis vnde ſacrati
Principium lactis, ſacratæ nomina Lymphæ
Vnde ſient? totam paucis rem concipe verbis.
Eſt Regio, æterni quæ nunquam nomen Ieſu
Audiit (illa ſuos etiam fouet Inſula myſtas:)
Hi populo ſpectante, vndas, ſimúmque farinámque
Accipiunt, ollæq́ includunt, murmure quaſdam
Deinde preces recitant, conſcenſáque arbore pronum
Aſpergunt populum, mixto paulò antea fimo.
Creditur hæc miſeris cœleſte aſperſio numen,
Indéque Papalis ſcelerata aſperſio nomen
Accipit. At paucis totam conſtringere verbis
Rem iuuat. Hac Latius Miſſam depinxerat arte,
Vt ſubitò euadat toti mirabilis orbi:
Sed neque ſic ſcelerum fabricator deſtitit, artes
Artibus adiungens, technis coniungere technas
Perrexit, totámque dolis maculare ſynaxin.
Miſſam igitur tantis commiſtam erroribus orbi
Proponit, populúmque docet quòd verus in ipſa
Chriſtus adeſt (Chriſtum raſus facit eſſe ſacerdos)
Qui poſtquam innumeris ridendum geſtibus actum
Egit, & ad plenum tendit comœdia finem,
Quem populo cleróque dedit paulò antè colendum,
Ore capit, Dominúmque vorat, rictúque trucidat.
Demiror quæ vos Papiſtæ inſania vexet,
Aut quo tranſuerſo rapiantur turbine mentes,
Vt ſpreto Domini verbo iuſſíſque tonantis.
Humanas alto figatis pectore leges.
Papa caput cœtus veſtri quo iure ſacratum
Peruertat Domini verbum? quo iure recentem
Doctrinæ ſpeciem fabricet? quo iure popellum
Illudat? Sedenim iuſtas pro talibus auſis
Quandocunque Deo pœnas dabit: ipſe nefandas
Diſperdet dextra Babylonis vindice technas.

Emmanuel Bernæſius
Anglus.

DE FORMA DEI ET SERVI THESES:

An videlicet locus Pauli ad Phil. 2. 5. secundum Patres Basil. Magnum & Chrysost. intelligendus sit, illic de diuina, hîc de humana Christi natura, nécne?

Cui συζητήσει, 28. Iunij institutæ, Theologiæ Professor in Academia Basilienſi, D. Ioh. Iacobus Grynæus, Præses ac Præstes fuit, respondente

RAPHAELE EGLINO TIGVRINO.

AD

Illustres & generosos Dominos Comites, D. Ioan. Albertum, D. Georg. Eberhardum, D. Eberhartum, Solmenses, Dominos in Mintzenberg & Sonnenualdt, &c.

AD ILLVSTRES ET GENEROSOS DOminos Comites, D. Ioan. Albertum, D. Georgium Eberhardum, D. Eberhartum, Solmenses, Dominos in Mintzenberg & Sonnenuualdt, &c. Epigramma.

LVCIS vt æthereæ radios, si fortè refulsit
Clarior, affecti ferre negant oculi:
Sic animi cassum lumen (nisi munere CHRISTI)
Torpet, vt est Verbi purior aura sacri.
Sed benè, queis acuat sua lumina, luminis auctor
CHRISTVS habet, summi clara propago Dei,
GRYNÆVM ante alios, adeò & clarissima doctæ
Vos Academiæ lumina Rauriacæ,
Magnamini Comites, queis pectore condita pollet
Mens animi, atque animi mente sacrata Fides.
Ergo lubens, meritò, quos propugnamus Elenchos,
Cum venia, vestris consecro nominibus,
Vt quod me in claro fors cæcutire necesse est
Lumine, vos facili perspiciatis ope.

Vestræ illustri Ampl.
deditissimus
Raphael Eglinus Tig.

DE FORMA DEI ET SERVI, THESES

I.

CVM spiritus Prophetarum Prophetis subiiciantur: 1. Cor. 14. 32. & omnia exploranda, quod autem bonum fuerit, retinendum nobis sit: 1. Thess. 5. 21. quid de aduersariis expositionibus dicti Pauli Apostoli, de forma Dei & de forma Serui, piis mentibus certò

certò sit statuendum, ἀμαθέτερον ἢ συφέτερον, sed tamen solidè veréque, hac Disputatione, σὺν θεῷ, inuestigare & ostendere constitutum habemus: & suppliciter Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oramus, vt sancto suo Spiritu nos in omnem veritatem ducat, ad ipsius gloriam & nostram πληροφορίαν, ne fluctuandum nobis sit in pelago pugnantium opinionum. Verba Apostoli hæc sunt: Itaque is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: Qui, cum esset in forma Dei non duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse se exinaniuit, forma Serui accepta, similis hominibus factus: Et habitu compertus vt homo, &c. Phil. 2. 5. & sequentibus versibus.

II.

Basilius magnus disertè inquit: Τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ, ἐν οὐσίᾳ ὄξει θεοῦ. Iudicat itaque, de forma essentiali Apostolum esse locutum. Econtrà, Pseudohieronymus, cuius scholia in Epistolas Paulinas extant, ἀμφίδοξος est, & sic pronunciat, vt tamen videatur in eã de formis accidentalibus inclinare opinionem, qua carni Christi tribuitur & forma Dei, id est, diuina quædam maiestas, & forma Serui, id est, summissio & exinanitio. Has autem interpretationes esse ἀποφατικὰς, & vtrique non deesse suffragatores tam veteres quàm recentes, ac horũ alios ῥητῶς pronunciare de altera sententia, alios recitatis suis & alienis cogitationibus ἐπέχειν, nemo in S. Theologia mediocriter versatus ignorat.

III.

Sedenim, cum vnum & verum inter se ἀπόφατα sint, & plus vno verum esse non possit, vnam esse dicti Apostolici veram & genuinam sententiam, & (ne ἐν τριόδῳ λογισμῶν dubij & incerti hæreamus) Demonstrationum ὀργάνῳ adhibito, inuestigandam, & in ea iam inuenta constanter acquiescendum, nec contrariæ opinioni locum relinquendum, certissimum est. Nos cum καθόδυναμιν δ' ἔρδειν ἱερὰ ἀθανάτῳ θεῷ soleamus, hanc nostræ διεξόδῳ œconomiam instituemus. Initiò, Pauli Apostoli argumentum, velut dissertationis fontem, exponemus. Deinde, ἀπορίαν, de qua sunt pugnantes sententiæ, addemus. Tertiò, λύσιν, seu solutionem dubiæ quæstionis, subiungemus. Quartò sententiã veram κατασκευαστικῶς tractando confirmabimus. Postremò, ἐλεγκτικῶς aduersariam opinionem discutiemus. Dabimus autem in publica συζητήσει operam, vt quæ in his Thesibus minus perspicua aut firma alicui prima fronte videbũtur, illustremus & confirmemus.

IIII.

Argumenti, de charitate & humilitate fidelium, quod Apostolus duxit ab exemplo Iesu Christi Domini nostri, qui iure optimo dixit: Discite à me, quòd mitis sim & humilis corde. Matt. 11. 29. hæc sententia est:

1. Maior, versu 5. In fidelibus is sit affectus, qui fuit & in Christo Iesu. Decet enim illos, tanquam membra, Christo capiti συμμόρφους, & in totius vitæ specie eius imitatores esse. Ioan. 13. 14. & 15. 12. Eph. 5. 1. 2.

2. Minor, versib. 6. 7. 8. Atqui Iesus Christus, cum esset in forma Dei, nõ duxit rapinam parem esse cum Deo: sed ipse se exinaniuit, forma serui accepta, similis hominibus factus: & habitu compertus vt homo, ipse se summisit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. In sequentibus versibus 9. 10. 11. charitatis & ταπεινοφροσύνης Christi exitum glorioſum Apostolus describit.

1. Argumẽtum Pauli de modest. & charitate.

3. Complexio, versu 12. Itaque charitatis & humilitatis cæterarúmque Christianarum virtutum studio, fideles Christum Dominum egregiè referre debent.

V.

2. Ἀπορία περὶ τὸ ζητύμενον.

Iam verò ἀπορία est de Minore. Sunt enim, qui verba Apostoli restringant ad Naturam assumtam, & formæ vocabulum de Accidentalibus speciebus interpretentur, videlicet de summissione & de exaltatione carnis Christi, eò quòd illa sola & humiliari & exaltari potuerit. Alij autem (quòd videant Paulum docere, quis ante ἐνσάρκωσιν Christus fuerit, & ita argumentari: Si Dei filius non dubitauit nostra causa eò vsque sese demittere, vt etiam humanam naturam personaliter sibi iungeret, & Patri obediens fieret vsque ad mortem crucis, quam in carne sustinuit, quis non videat nos quoque modestiæ & humilitatis studiosissimos esse debere?) μορφῆς seu formæ vocabulum, de essentiali forma interpretantur. Itaque forma Dei, Deitas illis est: forma autem Serui, humana natura.

Quæritur ergo, Anne μορφῆς, seu formæ vocabulum, hoc loco, externam carnis Christi speciem, an verò μορφὴ θεῦ, Deitatem: μορφὴ δέλυ, Humanitatem significet? Istud est τὸ ζητύμενον, de quo ideò pronũciandum erit collatis prius sententiis & earum argumentis, ne velut inter contrarios opinionum fluctus, nobis sit periclitandum.

λύσις per distinctionem.

VI.

Sit itaque quæstionis illius hæc orthodoxa λύσις, per distinctionem: Etsi fatendum est, in Scripturis diuinis τῆς μορφῆς seu formæ vocabulum, interdũ accipi de Accidentali specie: verbi gratia, de Domini nostri Iesu Christi in terris, carne sua inter homines, ante ascensionem, versantis: vt Marc. 16. 12. Christus duobus ex ipsis ambulantibus apparuit alia forma. Tamen in illo Pauli dicto hauddubiè forma Dei, Deitatem τῦ λόγυ: Forma autem serui, Humanam Naturam significat. Hæc nostra sententia est, quam Scripturæ auctoritate adducti, non autem siculno humanæ προσωποληψίας præsidio moti, bona conscientia profitemur & defendimus.

VII.

4. κατασκευὴ quæ constat Demonstrationum συντάξει

Iam verò, vt κατασκευαστικῆς Disputationis initium faciamus, & sententiæ nostræ certitudinem ἀποδεικτικῶς persequamur, initium faciemus à Canone Logico de Cõparatione. Inuenta seu animaduersa demonstratione in speculabilibus aut practicis, manifestum est, reiiciendam esse contrariam imaginationem, ne dubitatio de Comparatione maneat.

Sunt autem sequentia argumenta, quæ ostendunt, Formam Dei esse Deitatem: Formam autem Serui esse humanitatem, demonstrationes firmæ & immotæ.

Quare iis cognitis, reiicienda est contraria imaginatio: nec locus relinquendus est τῇ ἐποχῇ seu dubitationi. Ac in Deum contumelioſi sunt, qui veritati ad oculum demonstratæ, ἀντιγνωμονεῖν pergunt, eo nomone, necubi erasse, aut ab alijs quicquam didicisse videantur.

VIII.

1. Demõstratio à Connexis. Si Paulus Apostolus verbis illis suis: Qui cũ esset in orma Dei, &c. quis fuerit Dominus noster Iesus Christus ante τὸν

τὴν ἐνσάρκωσιν, seu incarnationem (quæ incidit in annum ab orbe condito 3970. vt quidam Chronographi colligunt) ostendit: tum euidentissimè manifestum fit, Formam Dei non esse intelligendam de Humanæ naturæ specie glorioſa & diuina.

Verum est Antecedens. Nam Apostolus disertè dicit, Iesum Christum, cum in forma Dei esset (fuit autem in ea ab æterno, cum sit Patri Filius συναΐδιος, & splendor gloriæ, & character personæ illius. Heb. 1. 3.) sese exinaniuisse (hoc ad οἰκονομίαν incarnationis, non ad essentiam τοῦ λόγου referri debet: vt suo loco dicetur) & formam Serui, id est, humanam naturâ assumsisse.

Verum igitur est & Consequens.

IX.

2. Demonstratio ab Etymologia vocabuli μορφῆς, seu formæ.

Si forma Dei idem est (hoc loco) quod Dei essentia, tum certissimum est, non esse accipiendam de accidentali humanæ naturæ in Christo forma.

Sed prius est, vt Basilius Magnus adhibita reductione ad impossibile & absurdum euincit. Eius verba hæc sunt: τὸ ἐν μορφῇ θεοῦ, ἐν οὐσίᾳ ὄντι θεοῦ. εἰ γὰρ ἄλλο μορφὴ, καὶ ἄλλο οὐσία θεοῦ, ἵνα μὴ σύνθετος. Si aliud esset forma Dei, aliud essentia, tum Deus esset σύνθετος, compositus. Sed hoc est ἀδύνατον καὶ ἄτοπον.

Igitur & posterius verum est.

Intellexit id & Thomas Aquinas, cuius hæc verba sunt: Dicit ergo, quòd Christus, cum in forma Dei esset, &c. Vnumquodque enim dicitur in natura generis vel speciei per suam formam. Vnde forma dicitur Natura rei. Et sic esse in forma Dei, est esse in natura Dei, per quod intelligitur quòd sit verus Deus. 1. Ioan. 5. 20. Vt simus in vero filio eius Iesu Christo. Sed non est intelligendum, quòd aliud sit forma Dei, & aliud ipse Deus quia in simplicibus idem est forma & id cuius est, & maximè in Deo. Non iam auctoritate pugno: sed rationes, quibus etiam alij moti sunt, adduco.

X.

3. Demonstratio à sermonis proprietate. Si Paulus dixisset, in Christo exhibito diuinam formam esse cœpisse: non autem, θεοῦ μορφὴν (ante eius in carne manifestationem) fuisse: tum verò speciem aliquam veri haberet aduersaria opinio. Atqui Paulus disertè ait: Qui cum esset in forma Dei. nec ita loquitur vt Petrus, cuius verba (de qualitatibus & donis per Spiritum sanctum infusis) sunt: Vt efficeremini diuinæ consortes naturæ. 2. Pet. 1. 4. Quis igitur dubitet, Formam Dei τὴν θεότητα, non autem Carnis eius τὴν θεότητα, hoc loco significare?

XI.

4. Demonstratio à participio ὑπάρχων. Inter modos dicendi per se tertius est earum propositionum, in quibus ipsum subsistere, ὑφίστασθαι, dicitur de singulari ὑφισαμένῳ. Nec (sententia quorundam) differunt viua essentia & subsistere.

Sed Paulus dicit, Christum Iesum etiam ante incarnationem fuisse in forma Dei. Dicit enim: ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων.

Fatetur igitur, Christum ὑπόστασιν seu personam fuisse: & μορφὴν ὑπαρχούσης

appellatione essentiam diuinam designat.

XII.

5. Demonstratio ab actionibus. Certissimum est, actiones esse τῶν ὑφισταμένων, seu suppositorum. Tribuuntur autem ei qui in forma Dei erat ab æterno, quòd non duxerit rapinam parem esse cum Deo: quòd seipsum exinaniuerit: quòd serui formam acceperit. Fatendum itaque est, formæ Dei vocabulis, non accidentalem humanæ in Christo naturæ speciem: sed ipsam τοῦ λόγου θεότητα designatam esse.

Cæterùm, cum τὸν λόγον non rapinam duxisse parem esse cum Deo Patre affirmat Paulus, hoc monet, Naturà quidem ὁμοουσίους, ἰσοτίμους καὶ συναϊδίους eos esse: sed tamen Patrem maiorem Filio eo nomine dici, quòd hic se exinaniuit forma Serui assumta, & Mediatoris munus in se recepit, sic vt etiam Christi caput Deus sit. 1. Cor. 11. 3. Pater enim seipsum non exinaniuit, nec in carne apparuit, nec denique Mediatoris munere functus est.

XIII.

6. Demonstratio, ab essentiæ & formæ Dei ταυτότητι. Nam quod est par Deo, est & ταυτὸν ratione essentiæ.

Nemo dici potest par Deo, respectu accidentalis formæ. 1. Cor. 12. 4. 5. 6.

Christus autem par Deo dicitur, κατὰ μορφὴν θεοῦ.

Igitur certissimum est, μορφὴν θεοῦ non esse accidentalem formã: sed ipsam Dei essentiam.

Rursum:

De nulla creatura etiam rationali, multóque minus de forma accidentali, dici potest, parem eam esse cum Deo. Ioan. 5. 18.

Atqui de Christo dicitur, quòd par Deo sit. Phil. 2. 6.

Ergo sequitur respectu τοῦ λόγου de eo prædicari, quòd sit par Deo: nec forma Dei, secundum quam Deo Patri par dicitur Christus, vel de humanitate, quæ est creatura: vel de creata eius perfectione & gloria, accipi potest.

XIIII.

7. Demonstratio, ab actione miranda Christi Iesu, qui est hodie, heri, idẽ & in secula. Heb. 13. 8. ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε. Sed ipse se exinaniuit.

Accidentalis forma humanæ in Christo naturæ nec est ὑφισάμενον, nec sola agit. Sunt enim actiones τῶν ὑφισαμένων: & Accidentia sine fulcris substantiarum non sunt, nedum aliquid agunt.

At Christus in forma Dei primùm est persona, deinde idem se exinaniuit.

Indubitatum itaque est, formam Dei in Christo accidentalem formam non esse.

Minor probatur. Nam de persona Filij dicitur, Ipse se: de actione autem eiusdem dicitur, Exinaniuit, quoad vsum videlicet, non autem quod ad hypostasin. Non enim tum ita refulsit in eo diuina maiestas, cùm sese demitteret, quemadmodum aliàs solet splendescere & incomparabiliter excellere.

XV.

8. Demonstratio à forma Serui, & eius in personæ vnitatem assumtione. Si forma Dei in Christo est Deitas, tum in eodẽ forma Serui est eius humanitas,

manitas,perſonaliter illi vnita:non autem accidentalis forma.

Atqui prius iam eſt demonſtratum.Itaque nec poſterius dubium eſſe poteſt.Alioquin ſequeretur,Deitati acceſsiſſe formam accidentalem, quod eſt abſurdum.

Dic mihi,ait Ioan.Chryſoſtomus,quid eſt quòd formam Serui accepit? Homo factus eſt,inquis.Igitur & cum in forma Dei eſſet, Deus erat. Vtrobique enim forma ponitur.Si iſtud verum, verum & illud. Naturà homo, eſt forma Serui:igitur & naturà Deus,forma eſt Dei.

Sicut enim ſe habet is qui eſt in forma Dei,ad τὴν θεότητα: ita is qui in forma Serui eſt,ſe habet ad τὴν ἀνθρωπότητα. Atqui verus Deus is eſt,qui in forma Dei eſt:Ergo & verus Homo eſt,qui in forma Serui eſt. Vnde liquet, formam quidem Dei, de Deitate:formam autem Serui, de humana natura intelligi debere.Porrò Serui dicimur,reſpectu Iehouæ Domini & conditoris noſtri,cui obedientiam & honorem ac timorem debemus.

XVI.

9. Demonſtratio,à ſimilitudine hominum.Nemo,niſi ſubſtantialis formæ ratione,dici poteſt ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος.Significat enim ſimilitudo naturæ humanæ ἰδέαν καὶ εἰκόνα ἐσιώδη, conformationem & veritatem ipſam: vt in illo dicto Moſis: Vixerat autem Adam centum triginta annos, cum gigneret (filium) in imagine ſua,ſecundum ſimilitudinem ſuam:& vocaret nomen eius Sethum.Gen.5.3.

Chriſtus autem ſimilis hominibus factus eſt. Hanc Minorem ipſemet Paulus expoſuit, Rom.8.3. Deus ſuo ipſius Filio miſſo, conformato carni peccato obnoxiæ.Heb.2.11.Nam & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno ſunt omnes : quam ob cauſam non erubeſcit fratres ipſos vocare.14. Quoniam igitur pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem.16.Non enim Angelos aſſumſit, ſed ſemẽ Abrahæ aſſumſit.17.Vnde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, &c.

Concludimus itaque, μορφὴν δούλου hoc loco ſubſtantialem hominis formam ſignificare.

XVII.

10. Demonſtratio,à propriis in quarto modo humanæ naturæ. Cuicũque tribuuntur propria & conditiones ſoli naturæ humanæ propriæ, eidem & naturæ veritas tribuitur.

Formæ Serui in Chriſto illæ conditiones tribuuntur.Habitu enim compertus eſt vt homo:de quo verè dicitur: καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας. Ac nota eſt vox illa Pauli plena conſolationis:Non enim habemus Pontificem,qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum,ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato.Heb.4.15.

Formæ itaque Serui appellatione, naturam humanam deſignari, certum eſt. Vt autem Petrus Chriſtum ἐν σαρκὶ, in carne,paſſum eſſe,dicit:ita quoque Paulus hoc loco Chriſtum σχήματι vt hominem inuentum , cum ipſe ſe ſummitteret,Patríque obediens fieret vſque ad mortem crucis, teſtatur. Totius enim vitæ mortísque ſuæ ſchemate,tanquam αὐτῷ τῷ ἔργῳ teſtatũ fecit Chriſtus,ſe verum eſſe & nobis ὁμοιοπαθῆ hominem.

XVIII.

ἔλεγχος τῶν σοφισμάτων.

Restat ἐλεγκτικὴ dissertationis nostræ pars, in qua agendum erit de Sophismatis, quibus ceu ficulneis tibicinibus opinionem de Formis accidentalibus, fulcire quidam conantur. Quod autem Aristot. Topic. 1. dixit: Propter veritatem debent sibi inuicem philosophi contradicere, vt videlicet ea illustretur: id sibi quoque faciendum Theologi (interim μηδὲν κατ' ἐρίθειαν ἢ κενοδοξίαν, sed ex modestia alium quisque se præstantiorem existimantes) persuasum habere debent.

Opinionis quorundam summa huc redit: Iesus Christus, etsi κατὰ σάρκα esset in forma Dei, id est, maiestate, gloria, virtute diuina realiter assumtæ naturæ communicata: ac, si modò voluisset, potuisset quoque ipsis factis, maiestatẽ illam virtutémque demonstrare: tamen formam Serui assumsit, id est, in eadem sua carne sese summisit, sicut de se diceret. Ego verò vermis sum & non homo, opprobrium populi, &c. Psal. 22. Isa. 53. Itaque forma Dei, accidentalẽ humanæ Naturæ in Christo perfectionem: forma Serui, eiusdem ταπείνωσιν & deiectionem significat: ac formæ Dei & Serui vocabula ad humanæ eiusdem naturæ descriptionem referri debent. Expendamus iam quædam argumenta, quæ opinioni isti patrocinari videntur.

XIX.

1. Reductione ad quædam absurda, adhibita, ita quidam argumentantur: Non est consentanea interpretatio verborum Pauli de Christo Iesu, quę Deitati ipsius τὸ ἀναλλοίωτον, Humanitati autem in ἐνσαρκώσει realiter communicatam maiestatem derogat.

Sed eiusmodi est interpretatio eorum, qui μορφὴν θεοῦ quidem de ipsa Deitate, sed μορφὴν δούλου de Humanitate interpretantur. Etenim Deitati tribuunt exinanitionem, summissionem, exaltationem, quæ non competunt ei, qui est ἀναλλοίωτος. Iidem negant in humanitate esse μορφὴν θεοῦ, id est, diuinam maiestatem. Non igitur est consentanea illa interpretatio.

Plana & vera ad Minorem eiúsque probationem responsio est: Primùm, τῷ λόγῳ ista omnia tribui, non naturæ, sed officij & personæ Mediatoris respectu: ea videlicet ratione, qua à Patre datus & missus, Ioan. 3. 16. 17. à semetipso non operari, Ioan. 5. 19. Patris voluntatem facere, Ioan. 4. 34. Patre minor esse, dicitur, qui alioquin vnum est cum Patre. Ioan. 10. 30. Natura τοῦ λόγου est immutabilis: sed quatenus Filius à Patre datus, est Deus in carne patefactus, ταπείνωσις ἢ ὕψωσις rectè de eius persona prædicantur. Secundò, cum demonstratum superius sit, μορφὰς ἑτεροίους hoc loco à Paulo designari, non minus absurdum est, Deitati realiter Serui formam tribuere, quàm humanitati tribuere Dei μορφὴν: cum finitam inter & infinitam naturam nulla sit proportio.

XX.

2. A propriis vtriusque in Christo naturæ. Quemadmodum Deitas est summè αὐτάρκης, ἀπαθὴς καὶ ἀναλλοίωτος: sic Humanitas humiliari, pati, mori, suscitari, exaltari, & aliquid accipere, sola potuit. Igitur ea quæ hoc loco de forma Dei & Serui dicuntur, restringi debent ad assumptam Naturam.

Respõdeo, distinguenda esse, 1. Propria essentialia Naturarum. 2. Perfectionem

fectionem carnis Christi, quæ ab vnione personali cum λόγῳ in eam redundauit. 3. Potestatem officij, & eius ἐνεργείας ἢ ἀποτελέσματα.

Fatendum est, propria essentialia non egredi sua subiecta, etsi in concreto de tota Christi persona prædicantur. Distinguenda etiam sunt propria humanæ naturæ, in ea quæ sunt ἐσπώδη & perpetua, & in ea quæ olim τῆς ἀνθρωπείας ἀδυνείας fuerunt, vt pati & mori potuisse. His enim abolitis, illa remansere. Gloria enim ei collata est, naturæ autem veritas non est ei adempta, nec in æternum adimetur ei.

Vincit caro Christi perfectione, quæ à primo incarnationis momento in ea refulgere cœpit, omnium creaturarum τελείωσιν & dignitatem, & Hominum & Angelorum captum: quia est τοῦ λόγου propria Caro, & proinde propter Spiritus S. ἐνέργειαν, viuifica. Non tamen desiit esse Caro humana: gloriam enim illi contulit ὁ λόγος: Naturæ autem veritatem reliquit.

Officij autem potestas toti Personæ τοῦ θεανθρώπου commissa est, ideo Mediatoris ἀποτελέσματα sunt θεανδρικὰ, quia amicè conspirant naturæ, & quod suum est vtraque facit, in hac quidem non indistincta κοινοποιΐᾳ.

Hæc præmittere in piæ Iuuentutis gratiam est visum, ne Andabatarum more pugnarem. Ad argumentum iam respondeo, Cauendum ignorationis Elenchi paralogismum. Rectè dicit Nazianzenus in oratione 1. de λόγῳ. ἄλλος μὲν φύσεως, ἄλλος δ' οἰκονομίας λόγος. Si spectes τοῦ λόγου naturam, & quidem absolutè καθ' ἁπλότητος, non potest de eo dici quòd se summiserit, quòd exaltatus sit, quòd aliquid olim in tempore acceperit: neque enim naturæ Dei, quæ summè perfecta & beata est, quicquam vel accedere vel decedere potest. At si relatiuè, respectu officij Mediatoris, κατὰ τὴν οἰκονομίαν, & missionis eum consideres, mandata à Patre accepit & executus est, & propter nostram salutem Sermo ille caro factus est, Ioan. 1. 14. Officium itaque Redemptoris & Mediatoris integræ Dei in carne patefacti personæ commissum statuimus, quia summo consilio naturarum ἕνωσιν factam esse, & officij ἐξουσίαν toti Christo delegatã credimus. Placet enim nobis illud Athanasij dictum: Data est mihi omnis potestas, vt Saluatori.

XXI.

3. Sunt, qui sic argutentur: Si Paulus de Deitate & humanitate loqui voluisset, dixisset: θεὸς ὢν ἄνθρωπος ὢν ἦρξεν. Sed maluit dicere: Qui cum esset in forma Dei. Item: Formam Serui assumsit. Igitur de accidentalibus duabus vnius & eiusdem carnis Christi formis, videlicet de gloria & de ignominia, loquutus est.

Respondeo: Præstabat sanè caussam, qua Apostolus ductus ita loqui maluit, discere, quàm docere quomodo loquendum fuerit Spiritui sancto per selectissima sua organa. Sed ad rem. Si absolutè de duabus illis Naturis Paulo loqui visum fuisset, poterat θεότητος καὶ θεοῦ: ἀνθρωπότητος καὶ ἀνθρώπου vocabulis vti: sed cum vtranque suis qualitatibus, adiunctis & adiacentibus vestitam, æstimandam exhibere voluerit, quis homo sobrius, vocibus, gloriam diuinæ naturæ, & propria πάθη humanę naturæ significantibus, vsum esse miretur? Sed de hoc λεπτολογήματι & de similibus, in Theologica συζητήσει placidè & diligenter, σὺν θεῷ, agendum erit.

XXII.

Confidimus, ex ijs quæ hactenus dicta demonstratáque sunt, pios & amãtes veritatis euidenter colligere, Formam Dei (in illo Pauli dicto) ipsam θεότητα Christi: Formam autem Serui, eiusdem τὴν ἀνθρωπότητα significare, & contrarium de formis accidentalibus Carnis Christi figmentum, reijciendum esse, ac Basilij & Chrysostomi ἐξήγησιν nobis esse præferendam aliorum opinionibus: id quod ad Iesu Christi gloriam, & nostram ἀληθοφοείαν, demonstrandum sumsimus, 28. Iunij, M. D. LXXXII. Basileæ.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

THESES THEOLOGICÆ DE

LIBRO VITAE:

De quibus, Christo Duce & Auspice, die 7. Iulij, in publica disputatione Theologorum, Præside D. Ioan. Iacobo Grynæo, S. S. Theologiæ Professore respondit

M. IOAN. IACOBVS COLERVS TIGVRINVS.

AD

Generosos Dominos Barones, D. Danielem de Beaufort, Dominum in Blet & Brosses: & D. Ioannem de Beauuau, Dominum in Merigny & Rorte, discipulos suos.

Lucæ 10.20.

Gaudete potius, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

GENEROSIS DOMINIS, D. DANIELI DE BEAVFORT, DOMINO IN BLET & BROSSES: & D. IOANNI de BEAVVAV, Domino in MERIGNY & RORTE, Discipulis suis.

ΓΕΝΝΑΙΟΙ παῖδες γυναίων ἐκγεγαῶτες
Δέξασθ' ἡμετέρης δείγματ' εὐφεσσυνίης.
Ῥητήρ τοι ἐτῴων ὔμμιν φρηκτήρ τε καὶ ἔργων
Εἰμὶ, θεωσυνόδου τ' ἔασομ' ἀεὶ σοφίης
Μυσὴς, παντοδαπῆς ἀρετῆς βιότοιο διώκτης,
Μωύτωρ πινυτὸς σώφρονά θ' ὁσίης.
Δόγματα ῥητίδιον μὴ ζωφόρα πάντα διδάσκειν,
Ἔργῳ δ' ἐκτελέειν φρῆγμ' ἀνιηρότατον.

Exercitiorum Pietatis & Virtutis vestræ ἐργοδιώκτης
M. Ioan. Iacobus Colerus.

DE

DE LIBRO VITÆ THESES.

I.

SIT nomen Domini nostri Iesu Christi benedictum, quòd eius merito nobis albo vitæ antequam iacerentur fundamenta mundi, inscriptis, de eodem ad ipsius laudem nostrámque consolationem συμβιβάζειν datum est. Ipse regat dictis animos nostros, & Spiritu sancto suo ducat nos in omnem veritatem vt hæc συζήτησις ipsius gloriæ, & fidei nostræ τῇ πληροφορίᾳ seruiat.

II.

Propositum autem nobis est, in gratiam piæ & ingeniosæ Iuuentutis, Didascalico ordine, 1. de appellatione Libri vitæ: 2. de finitione: 3. de caussis: 4. de circumstantijs: & 5. de contrarijs eius, secundum Scripturas diuinas, pronunciare. Ira enim manifestũ fiet, quid de Ciuitatis Dei, quæ est Ecclesiæ catholicæ ὑποσωαγωγὴ, pyctacio, piis mẽtibus firmiter statuendũ sit.

III.

Hebræorum idiotismo Liber catalogum seu recensionem certorum hominum significat: vt Gen. 5.1. & Matt. 1.1. videre est. Vitæ autem liber Phil. 4. 3. vocatur, quòd iis solis æternæ vitæ donum ἀμεταμέλητον commune sit, quorum nomina inscripta sunt ei Libro. Eodem consilio ספר-חיים, Liber viuentium, vocatur Psal. 69.29. Deleantur è Libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Κατ' ἐξοχὴν autem LIBER nuncupatur Dan. 12.1. 1. σύμβολον.

IIII.

Finitionem Libri vitæ, piæ mentes petere possunt ex diuino illo oraculo, quod extat 2. Tim. 2.19. Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: Nouit Deus qui sint sui. & ex alio ὁμοψήφῳ, Ephes. 2.19. Nempe igitur non estis hospites & inquilini, sed conciues Sanctorum & domestici Dei. 2. λόγος τῆς οὐσίας.

Inde colligimus, Librum vitæ (per ἀνθρωποπάθειαν sic dictum) Dei, filios & domesticos suos agnoscentis, γεγνῶσιν esse. Etenim eos, quos filiorum per adoptionem & domesticorum suorum loco non habet, nunquam nouisse dicitur, Matth. 7.23. nescire vnde sint, Luc. 13.25.27. id quod κατάπ accipiendum est, cum eos solùm nouisse dicatur, quos pro suis filiis & domesticis habet, & quorum intima, totiúsque vitæ speciem agnoscere & intelligere dicitur. Psal. 1.6. & 139.1.2. & seq.

V.

Auctorem Libri vitæ eum agnoscimus, qui idem & conditor & redemtor noster est. Iuxta dictum, quod verè est πάντων αὐτάξιον ἄλλων: Attamen nunc an condonare vis peccatum eorum? nam si non ita est, dele me nunc de Libro quem scripsisti: Exod. 32.32. Piè sanè Theophylactus: τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη, inquit, ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἐν μέλανι, ἀλλὰ μνήμῃ θεῦ καὶ χάριτι. Super caput decimum Lucæ. 3. ἄτιτον κύριον.

VI.

4. κωξιαρχικὸν τ' ἐκκλησίας

Nemo in hoc Catalogo locum habet, nisi qui est verus Israelita. Iuxta illud oraculum Ezech.13.9.quod κατ' ἀφαίρεσιν τῶν ἐναντίων dicitur: In cœtu populi mei non erunt,& in Scriptura domus Israel nõ scribentur,& terram Israel non ingredientur. Est enim Liber viuentium,Domesticorum & Filiorum Dei,Conciuium Sanctorum,bonorum militum optimi & omniscij Imperatoris Christi (qui certè rectius veriúsque commilitiones suos nominatim compellare potest, quàm olim Cyrus suos συστρατώτας) τῶν ζώντων ἀγέγγυς ὄντων. Ephes.2.19.1.Tim.1.28.Luc.20.38.Eph.2.13.

VII.

5. τὸ ἀμεταθετον τ' τοῦ θεῦ βυλῆς.

Quum verò definitum Dei consilium & ἀμέγγωσις seiungi nequeant, Act. 2.23.nec vnquam Dei propositum præpediri aut suo fine frustrari possit,negamus expungi vllius verè Electi nomen è vitæ Libro. Etenim fundamentum Dei solidum stat,habétque sigillum hoc: Nouit Dominus qui sint sui: 2.Tim.2.19.Item:Oues meæ,inquit Christus Iesus,vocem meam audiunt,& ego eas agnosco,& sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis:nec peribunt in æternum,neque rapiet eas quisquam è manu mea. Pater meus, qui (eas) dedit mihi, maior omnibus est: neque quisquam potest eas rapere è manu Patris mei.Ioan.10.27.28.29.

VIII.

6. Fines.

Interest enim gloriæ Dei redemtoris, sanctificationem Filiorum Dei, & segregationem infidelium, exactissimè respondere ἀμεταμελήτῳ Dei consilio, quo apud semetipsum sapientissimè, iustissimè & optimè iam olim decreuit, quos charissimorum Filiorum & domesticorũ loco habiturus, quos verò alienos iudicaturus esset. Interest & nostræ fidei & salutis,certò scire, quòd in Ecclesia & de Ecclesia,non autem οἰέξω,aut non nisi æquiuocè dicti filij regni (Matth.8.12.) simus.Demonstrationes autem ἀναλυτικαὶ, à Spiritus sancti arrhabone,& à sanctificatione seu regeneratione nostra ductæ, πληροφορίαν de nominibus nostris Libro vitæ inscriptis solidissimè confirmant.

IX.

7. Εὐαγγέλια.

Tantum autem abest,vt hæc doctrina pias mentes perturbet, & mœrore afficiat,vt etiam nulla alia solidi gaudij tantam subministret materiam. Nota enim est ἐξαγγελτικὴ oratio Seruatoris nostri: Sed de eo ne gaudete (subaudi principaliter) quòd spiritus vobis subiiciuntur: gaudete verò potius, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis Luc.10.20.Et Dan.12.1.dicitur:Eo autem tẽpore euadet populus tuus,quicunque inuentus fuerit scriptus in Libro.Si hi soli,quorum inscripta nomina sunt,euadent,quis non sibi gratuletur inscriptionem nominis sui?

X.

8. Χρῆσις καὶ ἐνέργεια.

Gaudebunt autem & salient, cùm κατ' ἀνάλυσιν demonstratiuè colligent, inscripta esse Libro vitæ nomina sua. Non enim magis certa sunt vitæ animalis τεκμήρια, Motus & Sensus: quàm certa sunt inscriptionis in Libro vitæ documenta, Fides, Spes, Charitas. Horum χαρισμάτων lucem & ardorem qui-

quicunque in cordibus suis accensum sentiunt, quî de ἐνεργείᾳ Spiritus sancti possent dubitare? Iam verò qui obsignati sunt Spiritu illo promissionis sancto, eundem arrhabonem hæreditatis suæ habent, dum in libertatem vindicentur. Eph.1.13.14. Quotquot autem Spiritu Dei ducuntur, ij sunt filij Dei: Rom.8.14. Quòd si filij, etiam hæredes: v.17. Sic igitur ratiocinabuntur piæ mentes: Filiorum Dei nomina, eius Libro sunt inscripta. Atqui ipse Spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei: Rom.8.16. Certissimum itaque est, nomina nostra Libro Dei esse inscripta.

Ad ea autem argumenta, de quibus iam διὰ βραχέων diximus, & quorum præcipua est euidentia, addantur & παρέξω, velut εὐσυνοχα, videlicet, Verbi Dei auscultatio, & Sacramentorum obsignatio, Absolutio: quibus secundas tribui videmus Gal.5.6.

XI.

In cœlo autem nomina nostra sunt inscripta, Luc.10.20. quia ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. Phil.3.20. & eo nomine superna nobis quærenda sunt, non terrestria. Colos.3.2. 9. αἱ ἄνω σταί-σεις.

Econtrariò, Iere.17.13, dicitur: O spes Israel Iehouah, omnes qui derelinquunt te, pudore suffundentur: & recedentes à me in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Iehouam.

XII.

Inscriptionem autem nominum nostrorũ in Libro vitæ, tum factam credimus, cum & electi sumus. Electi autem sumus, antequam iacerentur fundamenta mundi: vt essemus sancti & inculpati coram eo per charitatem: Eph.1.4. Tum igitur & nomina nostra in Librum viuentium relata fuerunt. Maior ex eo liquet, quòd Liber vitæ est Electorum enumeratio, in qua nemo præteritur, nemo per errorem casu adnumeratur.

XIII.

Ei autem soli numerus Electorum notus est, qui inscribendo elegit, & eligendo inscripsit Libro suo, nomina à se electorum. Solus autem Deus nos elegit, & nomina nostra in Librum suum retulit. Soli igitur Deo cognitus est electorum suorum numerus. Ac profectò nimis sunt & timidi & delicati, qui vix audent profari hanc enunciationem: Est definitus Electorum seu relatorum in Librum vitæ numerus, soli Deo cognitus.

XIIII.

Neque enim maior caussa est, cur piæ mentes conturbentur, cùm audiunt nos pronunciantes, definitum esse numerum Electorum seu Scriptorum in cœlis: hoc est, Deo sic constare de numero filiorum & domesticorum suorum, vt neminem suorum non agnoscat, & vt nemo exotericus eundem fallat: quàm si dicamus, optimo & prudentissimo Patri de numero suorum liberorum, & cordato Patrifamiliâs de domesticorum serie, sic constare, vt neuter falli possit: nisi fortè putare conuenit, minus esse Deum suarum rerum & suorum familiarium conscium & memorem, quàm sint ἐφήμερα φρονοῦντες homines, nimium non rarò & inscij rerum suarum & obliuiosi.

XV.

10. ἀντικείμενα

Opponuntur autem inscriptioni in Librum vitæ hæc duo, Terræ inscribi, quod de reprobis dictum esse, ἀναμφισβήτητον est: &, Deleri è Libro viuentium, quæ phrasis abdicationem significat eorum hominum, qui filij regni, suo & alieno errore visi sunt, cùm reuera alieni essent à regno Dei, si internam societatem & communionem Sanctorum spectes. Matt. 8.12. In horum numero sunt Saul, Iudas Iscariotes, Simon Magus, & alij ὁμοιότροποι, qui ante vitæ suæ exitum, soricum instar, suo seipsos perfidiæ indicio prodiderunt. Hi dicuntur, Vasa iræ coagmentata in interitum, Rom. 9.22. &, Homines οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα ἀσεβεῖς, τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. Iudæ ver. 3.

XVI.

11. Ἀπορία.

Nascitur hoc loco ἀπορία: Anne cuiusque nomen reuera Libro vitæ inscriptum, vnquam expungatur, an verò non? Negamus verò nomina semel inscripta deleri.

Vt autem Iuniores pij & φιλαληθεῖς, quos τὰ κεχρυμμένα οὐ δεῖ ζητεῖν, τὰ δ' ἀδηλούμενα σέβειν προσήκει, vt Theodoreti verbis vtar, videant quid sibi secundum Scripturas de hac nostra sententia statuendum sit, κεφαλαιωδῶς respõdebimus.

1. Non nisi καθ' ἀνθρωποπάθειαν inscribi & deleri nomina.

2. Inscripta dici eorum nomina, quos Deus eligendo inscripsit, & inscribendo elegit.

3. Itaque si electio diuina sit, vt reuera est, ἀμετακίνητος (quia Deus propositum non mutat) etiam inscriptio ἀμετάθλητος sit necesse esse.

4. Tam autem absurdum esse dicere, quòd Deus hominis nomen à se Libro vitæ olim inscriptum vnquam expungat: quàm sunt hæc absurda, 1. Dei dona non esse ἀμεταμέλητα. 2. Dei propositum frustrari posse suo fine. 3. Dei πρόγνωσιν à definito consilio separari posse. 4. Viribus creatis infringi posse virtutem diuinam. 5. Scelera hominum remoras esse propositi diuini, de rebus propter ipsius gloriam ad destinatos fines deducendis.

5. Ergo si quorum nomina expungi dicuntur, meminerimus intelligendum de abdicatione putrium Ecclesiæ membrorum, quæ ita vt suprà diximus, soricum instar suo tandem indicio sese produnt. De huiusmodi homũcionibus, qui δόξαι erronea tum sua, tum aliorum quorundam inscripti dicuntur, sed tamen ὁμωνύμως, loquitur Apostolus & Euangelistes: E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum: sed hoc factum est, vt patefieret non omnes esse ex nobis. 1. Ioan. 2.19.

6. Summatim denique dicemus, Si nemo potest oues Christi ex eius manibus rapere: si non peribunt in æternum, eo quòd vitam æternam pastor bonus eis dat, Ioan. 10.28. quis intelligens det, expungi vel vnius nomẽ è viuentium Libro?

Et hæc quidem (ἅπερ θείας γραφῆς μηδὲν λέγοντες, vt Apostoli Petri Apophthegmate vtamur) de Libro vitæ dicere, visum est. Perscriptũ Anno Christi 1582. pridie Martyrij Ioannis Hussi, quod olim, anno videlicet Christi 1415. incidit in 8. Iulij: cum à Pseudosynodo Constantiensi Hieromartyr Christi damnatus esset.

August.

Auguſt. in lib. de Prædeſt. & gratia:

GRatulare quicunque illuminatus es, & gratiam, quam non merebaris, agnoſce. Geme quicunque induratus es, iuſtitiam confitere. Dic quicunque ab originali contagio, lauacro gratiæ, te gratularis ablutum: Miſericors & miſerator Dominus, patiens & multæ miſericordiæ: non ſecundum peccata noſtra fecit nobis. Dic quicunque damnaris: Iuſtus es Domine in omnibus quæ feciſti nobis, & omnia iudicia tua vera: quia in veritate & iudicio ſuperinduxiſti omnia hęc propter peccata noſtra. Et noli iuſtitiæ Dei culpam tuę indurationis adſcribere: quia omnes vię Domini miſericordia & veritas: vt nec ij qui miſericordiam fuerunt conſequuti à Deo, iudicio veritatis, de meritis ſuis aliquid glorientur: nec ij qui indurati atque damnati ſunt, excuſationem culpæ ex hoc ſe habere poſſe credant, quòd nullam, qua conuerterentur, ſunt miſericordiam conſequuti.

---

24. THESES

DE VETVSTATE DOCTRINÆ PAPIſticæ, quæ oſtendunt illam non eſſe præiudicio orthodoxæ doctrinæ Euangelij, quam noſtræ Eccleſiæ profitentur. De ijs autem, σὺν Χριστῷ, Præſide D. Iacobo Grynæo, die 6. Septembris, in Theologica συζητήσει, reſpondit ingenio & pietate præſtans Iuuenis,

IACOBVS ARMINIVS, *Hollandus.*

1582

AD

Illuſtrem Dominum, Dn. IOANNEM Baronem à KITLITZ, ſtemmatis, virtutibus, pietate florentem.

Cyprianus:

Non quid hic aut ille ante nos dixerit, ſed quid Chriſtus, qui ante omnes eſt, pronunciârit, attendendum.

QVÆ Iouæ fidit, non eſt mortale, quod optat,
Mens pia, dum carnis carcere preſſa gemit.
Hinc ſuperas, ſpretis caulis mortalibus, aulas
Ambit, vbi Chriſti dextra tremenda viget.
Hîc Deus hîc nobis certum proponit aſylum:
Quo ſi quis careat, funditùs igne ruet.
Hîc Patris eſt Verbum, diuini haud numinis expers:
Diſtentum dira quod trabe furta luit.
Hoc ſeſe hoc noſtræ eſt largitum ſponte ſaluti,
Exemtos pœnis in ſua regna vehens.
Quiſquis ad Auſonij fumantes confugit aras
Monſtri, fumante hîc funditùs igne ruet.
Sunt fraus, ſunt nugæ, ſunt luſus, & omnia ſunt nil:
Iſte triceps coluber funditùs igne ruet.
Nil vales hîc triplicis ſeries veneranda coronæ,
Quam Petro, primo tempore, Petra dedit.
Inuaſit raſam Cocytia virgo cohortem:
Hinc Chriſto, multo funere, bella mouet.
Purpureo denſas ceu vincit Phoſphorus ore
Nubes, cùm picco turbine terra tremit:
Sic Petri pietas, fidei ſplendore coruſcans,
Pontificum exuperat phaſmata, ſpectra, dolos.
Vni crede Deo: fœtentes temne cucullas:
Quod ſi non facies, funditùs igne rues.

Hieronymus Reuſnerus
Leorinus, D. Med.

DE VETVSTATE RELIGIONIS, THESES.

I.

DRaeclare dixit Q. Sept. Florens Tertullianus, in veſtibulo libri de Virginibus velãdis: Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpacium tẽporũ, non patrocinia perſonarũ, nõ priuilegiũ regionũ. Ex iis enim ferè cõſuetudo initiũ ab aliqua ignorãtia vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionẽ corroboratur, & ita aduerſus veritatẽ vindicatur. Sed Dominus noſter Chriſtus, Veritatẽ ſe, non Conſuetudinem, cognominauit. Si ſemper Chriſtus, & prior omnibus: æquè veritas ſempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus nouum eſt, quod ſibi vetus eſt. Hęreſeîs non tam nouitas, quàm veritas reuincit. Quodcunque aduerſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo. Hoc, illius præſtantiſſimi viri, inſigne dictum, aureæ baſis vice toti diſputationi noſtræ, velut cuidam ædificio, ſubſternemus.

II.

Etſi igitur ſtatuimus, veram Religionem, diuinitùs inde vſque ab initio Mundi patefactam, & in vera Eccleſia à Veteris & Noui Teſtamenti fidelibus Miniſtris, ſumma fide traditam, ab Antiquitate eáque laudatiſſima verè meritóque celebrari: ac valde probamus eiuſdem Tertulliani de Religione dictum: Antiquiſſimum quodque optimum: adulterinum autem quodcunque nouum eſt: tamen & Erroris vetuſtatem eſſe, ideo libenter damus, quia Satanam mendacij patrem, pro ſua ἀπχαιρεσιακία, omnibus temporibus veram Religionem oppugnaſſe intelligimus: eóque nomine, cum beato Auguſtino, negamus Antiquitatem præiudicare veritati.

III.

Pontificiis itaque, ſuæ Religionis vetuſtatem magnificè celebrantibus: & noſtram veluti vixdum ſexagenariam, falsò nouitatis accuſantibus, per diſtinctionem euidentiſſimam & obſeruatione digniſſimam, ſolidè reſpondẽdum iudicamus. Quum Deo Patri, pro immenſa ſua bonitate, viſum, ſit etiã in medio Papatu, ſua ſeptem millia, eorum qui genua ſua coram Baal non curuauerunt, colligere & ſeruare ad ſuæ gratiæ laudem, non omnia ædificationis piorum inſtrumenta eis ademta eſſe: ſed inter medias doctrinæ tenebras, & ſuperſtitionum labyrinthos, quædam neceſſaria inſtitutionis adminicula & gratiæ Dei pignora relicta. In horum numero ſunt, Baptiſmus, fœdè tamen conſpurcatus: Symbolum Apoſtolicum: Decalogus, ſecundo de idolis præcepto ſceleratè mutilatus: Dominica oratio: Fragmenta Lectionum Dominicalium ex Euangeliſtarum libris & ex Epiſtolis Apoſtolorum. De horum antiquitate & veritate nulla eſt controuerſia. Longè autem aliud eſt, ſi de illis loquaris, quæ diuinitùs ſancita & tradita, vtcunque in Papatu hæſerunt: aliud, ſi de doctrina Pontificiorum, eorúmque traditionibus καὶ τοῖς ἐθελοθρησκείαις, quæ ſunt Romanæ Eccleſiæ, & ei coniunctarum, propriæ: nec in Eccleſia Chriſti locum habent: ſed nobis

ſummo

summo studio fugiendæ sunt, etiamsi iampridem in vsu esse cœperunt.

IIII.

Propositum autem nobis est, διδασκαλικῶς καὶ ἱστορικῶς ostendere, Papatum, qui Christianismo è diametro repugnat: & Papistica dogmata, quæ à Lege & Euangelio sunt δὶς διὰ πασῶν aliena: suam quidem habere antiquitatem, sed illaudatam, cùm ea non sit cum veritate coniuncta. I contrà nostram Religionem falsò nouitatis insimulari, cum sit omnium prima, & sola veritatis laudem obtineat. Vt enim errantium multitudo, sententia Hieronymi, non parit errori patrocinium: sic nec vetustas erroris Pontificij commendationem aliquam meretur.

V.

Cæterùm, cùm paulo pòst de nostræ Religionis antiquitate & euidentia (satis comprobata testimoniis Prophetarum & Apostolorum & Ecclesiæ Dei historia) acturi simus: nunc Papatui suam quandam Antiquitatem cõstare, sed vitiosam, illaudatam, miniméque veritati, quam Dei beneficio nostræ Ecclesiæ profitentur, præiudicantem, sic probamus.

Si Papatus, propriè sic dictus, conflatus est ex Ethnicismo, Pseudoiudaismo, & Pseudochristianismo, tum certè sua illi vetustas tribuenda est, hoc est, fatendum est, quædam illius esse antiquissima, quædam antiquiora, nonnulla antiqua: nec simpliciter id negandum est, quod Pontificii iactitant, Suam videlicet Religionem, antiquam esse.

Verum est Antecedens.

Verum ergo est & Consequens.

VI.

Antequam autem ad probationem Antecedentis, in quo est τὸ πρωτόμυθον, accedamus, vitandi Paralogismi Ignorationis Elenchi gratia, fatemur Papatum Veterem & Nouum à nobis dici, sed non κατὰ τὸ αὐτό. Vetus enim est, si spectes hæreseis antiquas, quas alijs velaminibus καὶ προσχήμασιν ornatas, Papatus nunc venditat. Nouus autem est, si eum opponas veræ Religioni, quæ vt prima & vna veráque sola est, ita omnium antiquissima est, sicut commenticiæ Religiones, in quarum numero etiam Papistica est, eius respectu nouæ sunt.

VII.

Ethnicismum Pseudoiudaismo esse vetustiorem, illi soli negabunt, qui ignorant, & diuinitus iam olim sanctificatam esse Gentem Iudaicam, vt esset Dei peculium, gens magna, cui essent statuta & iudicia iusta Deut. 4. 8. & in illo populo statim inualuisse ἀφορισίαν, sic vt alij essent Iudæi in propatulo, circumcisi carne, quorum laus esset ex hominibus: alij autem Iudæi in occulto, quorum corda quoque essent circumcisa spiritu, & quorum laus ex Deo esset. Rom. 2. 28. 29. Paulus in sua oratione, quam in vrbe Attica habuit, secula quibus Ethnicismus longè latéque inualuit, vocat, τοὺς τῆς ἀγνοίας χρόνους. Act. 17. 30.

VIII.

Papatus Romanus ab Ethnicismo & Paganismo inter multa alia, hæc mu-

tuatus est.

1. Vt Ethnici τῇ πολυθείᾳ confinxerunt, adeò prodigiosam, vt Deam Cloacinam, Stercutium & alia monstra, quorum beatus Augustinus meminit, non præterirent: ita Pontificij Sanctos hac vita defunctos, velut Deos minorum gentium & patronos agnoscunt & adorant. Enimuerò, Palladi, Catharinam: Aesculapio, Cosmam & Damianum: Baccho, Vrbanum: & aliis Ethnicorum numinibus, alios Sanctos velut διαδόχους substituerunt.

2. Sicut vetustas Ethnica, Cæsares & alios Heroas, per ἀποθέωσιν poeticã, in Diuorum numerum retulit: ita Pontifices Romani, quos volunt canonizantes, in Sanctorum album referunt: vt testantur narrationes, de S. Henrico Imperatore & Bauarię duce: de S. Bernhardo, Badensi Marchione: de S. Leopoldo, principe Austriæ: de Brigitta, Suetię Regina: déque multis aliis, quorum non necesse est percensere nomina.

3. Vt Romæ, Paganismo florente, in illa Deorum multitudine, fuit Pantheon: ita apud Pontificios est Omnium Sanctorum, Omnium Animarum, dies festus, sunt & templa diuersis Diuis sacra.

4. Inuocabant Ethnici eos, quos olim in terris vixisse fatebantur Iouẽ, cuius sepulchrum in Creta fuisse quidam narrant: Apollinem, Martem, Vulcanum, & alios, non indignos quos Hecuba regina olim vocaret χαλκᾶς συμμάχους. Inuocant & Papistæ Franciscum, Dominicum, Vrsulam, Otiliam, & multos alios adeò inglorios Diuos, vt post natos homines istos vnquam vixisse, cultores eorum solidè probare nequeant. Ac quid tandem interesse dicemus inter Papistarum inuocationem hominum mortuorum, & inter Platæensiũ illorum, quos Thucydides lib. 3. de Bello Peloponnesiaco, in summa rerum suarum desperatione, hac oratione vsos scribit: Imploramus communes Deos Græcorum, vt vobis (Lacedæmoniis) hæc persuadeamus, ne obliuiscamini iuramenti, quod Patres vestri iurârunt: & sumus supplices ad sepulcra Maiorum vestrorum, ac vita defunctos inuocamus (ἢ ὀπτιγαλώμεθα τὰς κειμένως) ne Thebanis subiiciamur?

5. Idola, & eorum ornatum & venerationem, à Paganis mutuatos esse Pontificios, quis homo mediocriter in historia vetere versatus ignorare potest? Nota est narratio de Dionysio seniore, Siciliæ Rege, qui amiculum aureum Ioui Olympio detraxit, lanecúmque illi iniecit pallium, dicẽs: Aureum amiculum æstate graue, hyeme frigidum esse, contrà laneum ad vtrumque anni tempus commodum. Annon autem Pontificij idola sua lignea, lapidea (argentea enim & aurea etiam in alios vsus conuertere nouerunt) lineis laneisque vestibus ornant, quasi vel ab æstu, vel à frigore, illis periculum immineat?

6. Iusiurandum per homines mortuos præstare, Ethnicorum magisterio, Pontificij didicerunt. Pietas enim Christiana longè aliud docet, illud nimirum, de quo Apostolus: Nam homines quidem per eum iurant qui sit maior. Hebr. 6. 16.

7. Hierarchiam suam Ecclesiasticam, non sine κακοζηλίᾳ Monarchiæ Romanæ & Ciuilis, instituerunt Pontificij. Papa eorum Monarcha est: Cardinales Principes Electores: Archiepiscopi & Episcopi, Archiduces & Duces: Abbates, Centuriones: Monachi & Sacrificuli, satellites & legionarij milites: Iesuitæ, Triarij.

8. Ægro-

8. Ægrotantium & morientium vnctionem extremam, Pontificij ab iisdem Magistris acceperunt. Ex historia Cleomenis liquet, expiatores ac diuinos ad ægrotos accedere consueuisse, vt eos expiarent à sceleribus. Quid aliud Sacrificuli agunt, cum ægrotos inungunt, dicentes: Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum, auditum, gustum, olfactum & tactum?

9. Lustralem aquam vnde petierint Pontificij, liquet vel ex historia de Diogene Cynico, qui sceleratum hominem religionis causa aqua sese conspergentem (prisci hac ratione purificari consueuerunt, si quid piaculi commissum esse, persuasum haberent) vidēs: Infelix, inquit, quū erras in Grāmatica, non absolueris aspersus: multò minus aspersio te liberabit à vitæ criminibus. Rectè sanè Diogenes, Animæ maculas profano sensibilíque elemento nequaquam elui, censuit. At longè diuersum Pontificiis videtur, qui, neglecto ῥαντισμῷ sanguinis Christi, aqua incantando consecrata vtuntur ad sanctificationem carnis, & emundationem à venialibus peccatis.

10. Ex Lycurgi, Spartanorum legumlatoris, historia constat, miram apud Ethnicos sepulcrorum superstitionem fuisse. Erant funebres expiationes: multa cū cadaueribus humanis defodiebātur: voluit Lycurgus iuxta tēpla & in templis sepeliri defunctos, & addi Epitaphia. Annon hæc omnia quæstus potissimùm, deinde & ostentationis causſa Pontificij faciunt?

11. Purgatorium à Platonicis, & Virgilio, aliísque Ethnicis iam pridem petiuerunt ij, qui Romanæ Ecclesiæ columnæ fuerunt. Nota sunt Marsilij Ficini verba, quæ extant in Argumento libr. 4. Æneadis 3. cap. 5. in Plotini editione: Est autem accommodatissimus purgatorio iudicio status in aerio corpore. Ibi enim est afflictio Spiritus in peccantibus, ac propter minorem distractionem facilior occasio pœnitentiæ, expectatúrque profectus quidam in anima, & futuri status electio.

12. Polydorus Virgilius in Libris de rerum Inuentoribus fatetur, τὸ Ite missa est, petitum è sacris Isidis: & adducit idoneum testem Apuleium, in libro de Asino aureo.

13. Peccati originarij ἐξιλασμὸν, vnde, te quæso, Pontificij petiuerunt, quàm à Paganis, quibus historia, de tristissimo primorum parentum lapsu, & de peccato, quod in omnes peruasit, mortémque comitem secum traxit, ignota fuit?

14. De libero arbitrio hominis nondum renati, non alia Papistæ tradunt, quàm quæ Philosophi quidam apud Ethnicos olim senserunt & memoriæ prodiderunt.

15. Et cum πληροφορίαν fidei, de gratia Dei erga nos, déque exauditione precum nostrarum tollunt: ánnon cum Academicis & Pyrrhoniis, nos ἐπέχειν iubent?

16. Epicureum autem dogma est, de propitia Dei prouidentia erga nos, non plenè nobis persuasum esse debere, ac proinde confugiendum ad hominum seu superstitum seu defunctorum suffragia, & patrocinium, eis commendandam salutem, dignitatem, animam: quod facere Pontificios quis potest ignorare? Sed non libet plura Paganismi documenta, quæ in Papismo occurrunt, enumerare. Vtinam istorum eos tandem aliquando sic pudeat, vt locum dent veritati Euangelicæ, & vnà nobiscum Deum concelebrantes salui fiant.

IX.

Vetustior est Pseudochristianismo Pseudoiudaismus, licet vterque in cultu literæ & ieiunis mundi elementis, ac corporali exercitatione, sit positus. Videamus autem, quænam Pontificiis, si eorum ψευδοχριστιανισμὸν spectes, cum Iudæis, quorum laus fuit ex hominibus, communia sint, seu quænam ab his illi didicerint, & κακόζηλοι nunc repræsentent.

1. Quemadmodum vnus in populo Iudaico ἀρχιερεὺς olim fuit, qui Christi Iesu Archipontificis, secundum Melchisedeci ordinem typus fuit, sed πεῖσικαιρος: ita Romanenses, vnum Papam Romanum, Oecumenicum Episcopum, Christique in his terris vicarium esse, fingunt.

2. Vt autem olim multi fuerunt Leuitici Sacerdotes, quorum erat sacra liturgia defungi, ac erant distinctæ eorum ἐφημερίαι: ita Papistæ multos habẽt Sacrificulos, quorum est, si Christo placet, consecrare corpus Christi verum, & absoluere corpus Christi mysticum.

3. Sicut olim erat iuge sacrificium, quod singulis diebus offerebatur: ita Papistæ gloriantur, Missificantes quotidiè Deo offerre sacrificium incruentum, expiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum. In eo autem à Iudæis dissident, quòd vespertinas oblationes Missaticas prætermittunt.

4. Sicut olim Pseudoiudæis satisfaciebat, ac meriti instar habebatur, litera, sine spiritu, in Sacrificiis & Sacramentis: quo nomine grauissimè reprehensi sunt à Prophetis: ita Pontificiis, Sacrificia & Sacramenta, quæ illi in totidem idola transformant, ex opere operato, etiam sine bono motu vtentis conferre gratiam, videntur.

5. Vt olim clamabant Pseudoprophetæ, Templum Domini: Non peribit lex à Sacerdote: ita nũc vociferãtur Pontificij de Lauretanæ Mariæ fano:

Non est in toto sanctior orbe locus.

Quod si verum est, cur instituta Indulgentiarum & Iubilæi nundinatione, Romam potius, quàm ad Lauretanum εἰδωλεῖον inuitantur homines? Clamant etiam, Papam in scrinio pectoris sui omnem habere scientiam: Episcopos, quorum plurimi sunt indocti καὶ ἄμυσοι, potestatem interpretandi scripturas habere: Conciliis ipsorum & Traditionibus παραδόσεσι religiosè stãdum & acquiescendum.

6. Vestitus sacerdotalis species quasdam, à Leuitis sese mutuatos esse, non negant Pontificij.

7. Habent Pontificij & hoc commune cum Iudæis illis, quòd legem per fidem inanem reddi opinantur. Quid enim aliud sibi vult illa Sophistarum calumnia, qua erga nos vtuntur, cum contendunt, posita thesi de solius fidei iustificatione, tolli bonorum operum studium, laxari frenos peccandi libidini?

8. Sicut Pseudoiudæi olim, operibus legis hominem iustificari, contendebant: ita nunc Pontificij meritis bonorum operum iustificationis palmã tribuunt: & eo nomine fingunt opera bona Iustificationẽ promerentia antecèdendo, comitando & subsequendo: vt est videre in Disputatione Maluendæ Hispani contra Bucerum.

X.

Habet autem Papismus quædam pecularia ψευδοχριστιανισμῷ documenta,

menta,quorum aliqua saltem,non nisi κεφαλαιωδῶς,percensebimus.

1. Mortuorum hominum impiam inuocationem, quæ seculis aliquot vsurpata est.

2. Transsubstantiationem panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi , quæ confirmata est auctoritate Lateranensis Concilij , Anno Christi 1215.

3. Cœlibatum Sacerdotum,qui diu antea obtrusus,maximè inualuit,imperante,bono Principe,Henrico 4.

4. Vsum vnius speciei in Cœna Dominica, qui tandem sancitus est à Pseudosynodo Constantiensi,Anno 1415.

5. Monachorum varios ordines,è quibus alij aliis temporibus(plerique intra 500 annos)exorti sunt. Dominicani,cum Episcopi concionari desiissent,docendi partes sibi sumserunt, & Ordinis sui confirmationem ab Honorio 3.Papa impetrauerunt,Anno Domini 1216. Initium sectæ eorum refertur ad Annum Domini 1198.

6. Prohibitionem Coniugij , à Tatiano & Encratitis petitam, cum delectu ciborum & aliis dæmoniorum doctrinis,iam olim à piis Episcopis refutatis & explosis coniunxerunt Pontificij.

7. Conspurcationem Baptismi,quæ fit sputo , puluere & aliis sordibus aspersis,consecrationem panis,lardi,ouorum:baptismum campanarum : panis consecrati inclusionem,eiusdem circumgestationem theatricam , & alia βδελύγματα, quæ Pontifices quidam Romani & alij Pseudepiscopi à se excogitata,inuexerunt in Ecclesiam.Sed quis tãdem hoc Augiæ stabulum expurget,& sordes eiusvel enumeret?

Damus ergo Pontificiis,Papatum antiquum esse , si ea quæ sunt Pseudochristianismi,antiquiorem,si quæ sunt Pseudoiudaismi:denique antiquissimum esse,si in eo Ethnicismi propria,consideremus. Nouum tamen eundẽ verè dicimus,respectu nostræ religionis,quæ omnium est antiquissima.Erroneum etiam & commenticium esse Papatum,tot Ethnica,Iudaica & Pseudochristiana opinionum monstra,quæ percensuimus,monent.

XI.

Sed enim,vt nostræ Religionis decus ἡ ἀξίωμα , aduersus Calumniam de nouitate, ad gloriam Dei auctoris,paucis (nam δώνυμον ἐς δέκαν τρία ἔπεα satisfaciunt)vindicemus,sic argumentamur:

Ea demum Religio,antiquitatis veram laudem,sibi sola,optimo iure vendicat,quæ omnium prima est:& proinde vna,vera & æterna. Etenim ea sola nulla est prior,nulla verior,æquè ἀυτόπιστος ἡ ἀμετακίνητος. Ac præclarè de ea pronunciauit Clemens Alexandrinus,cuius hoc nobile dictum est : Ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια,ψευδοδοξία ὑπὸ καταλύεται.

Atqui nostra Religio , quam ex præscripto verbi Dei reformatæ Ecclesiæ magno consensu profitentur,omnium est prima.

Itaque iure summo ei vni vetustatis laudatissimæ ἀξίωμα debetur.

XII.

Religionem nostram primam esse,sic probo.

Ea Religio prima dici & haberi debet, quæ diuinitùs in Paradiso Protoplastis est patefacta, non humanitùs inuenta & introducta : quæ totam

Sapientiam, cuius cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt, complectitur: quæ nihil habet ἀσύμφωνον, nihil δυσάρμοσον: quæ denique ad ſolius Dei, à quo ortum ducit, gloriam, & eam profitentium ſalutem, directa eſt: & cuius promi & condi fideles fuerunt Prophetæ, Euangeliſtæ, Apoſtoli.

Talis autem eſt noſtra Religio, verè Euangelica. Etenim eius epitome tradita eſt in prima illa Concione, quæ poſt lapſum primorum Parentum noſtrorum in Paradiſo eſt habita: Inimicitias ponam inter te & ipſam Mulierem: & inter ſemen tuum & ſemen eius: ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum, Gen. 3. 15. Complectitur autem Dei conditoris & Redemtoris veram noticiam, traditam in lege & Euangelio. Legem inſcripſit Deus cordibus hominum in prima eorum creatione. Euangelium priùs Adæ & Euę patefecit, quàm è Paradiſo eos relegaret. Ac vt eſt omnium partium, quibus hæc vera religio conſtat, dulciſſima παναρμονία & miranda perfectio: ita omnia illius ſeruiunt gloriæ Dei, & hominum eam profitentium & exercentium inſtaurationi & ſaluti. Tradita quinetiam eſt & viua voce Filij Dei & Veteris Nouique Teſtamenti Miniſtrorum, & horum ſanctiſſimis monumentis memoriæ prodita. Nec aliud doctrinæ genus Eccleſia Dei inde vſque ab initio Mundi habuit, quàm illud ipſum, quod nos, Dei beneficio, amplexi ſumus & profitemur.

Primam itaque eam eſſe Religionem plenè perſuaſi, non ſolùm præclarum doctrinæ cœleſtis depoſitum fideliter ſeruemus: ſed etiam, memores dicti: Quiſquis igitur audit ex me ſermones iſtos, & præſtat, &c. Matth. 7. 24. tota vita noſtra ſtudio ſanctiſſimo eam ornemus: vt ſi qui nouitatis eam traducant, reipſa vanitatis redarguti & conuicti, vel reſipiſcant déntque locum veritati, vel confundantur in æternum. Baſileæ, Calendis Septemb. 1582.

THESIVM ANALYTICARVM, DE Epiſtola Pauli Apoſtoli, ad Galatas, Pars prima:

De qua in Theologica & publica συζητήσει, D. Ioan. Iacobo Grynæo Præſide, ad diem XX. Septembris, αὐν Θεῷ, reſpondit ingenioſus Iuuenis,

DAVID FVETERVS, *Bernàs.*

A D.

Nobilitate generis, Maiorum virtute, & ingenij laude florentem Iuuenem, NICOLAVM A BVRCKHAVS, Sileſium, Magnifici, Nobiliſſimíque viri, Dn. SIGISMVNDI A BVRCKHAVS, Filium.

I. *Pet.* 4. 11.

εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ.

NOBI-

NOBILISSIMO IVVENI, NICOLAO A BVRCKHAVS, SILESIO, D. IOAN. IAcobus Grynæus, S. D. P.

VOD bene vertat Dominus Iesus Christus, vnicus ille noster doctor, constitui Thesibus Analyticis, de Epistolæ ad Galatas Oeconomia, conscriptis, piæ & ingeniosæ Iuuentuti nostræ, materiam disserendi de pietatis & doctrinæ Christianæ Capitibus primarijs, subministrare: vt, si quidem longiorem vitæ vsuram Christus Dominus mihi concedat, pia, vtilia ac necessaria docendo, Deiq; consilio pro virili inseruiendo, faciam officium, pro modulo talenti quod à Domino meo Iesu Christo accepi: sin autem illi, qui lucrum mihi est & in vita & in morte, libeat è terrena Academia in cœlestem & æternam me traducere, res ipsa, & multi pij & eruditi Auditores mei, testari possint, me à tristissimis certaminibus, quæ senescentem Ecclesiam nunc valdè affligunt, planè alienum tota vita fuisse: & ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν, mihi summè fuisse cordi.

Tibi verò, nobilissime Nicolae, primã hanc partem Analyticarum in Epistolam ad Galatas Thesium, inscribere visum est, quia laudabili tuo exemplo, superioribus mensibus, tui ordinis Nobilibus Iuuenibus auctor fuisti, vt non modò non essent mutæ personæ καὶ ἀσύμβολοι in Disputationibus Theologicis: sed etiam eruditè disserendo & sibiipsis & alijs plurimùm prodessent. Et cùm non ignores, vt gemmas & margaritas, quæ precio vsúque æstimantur, licet paruæ sint: sic hæc quoque scripta, quæ exiguo centro spacióque multas magnas res complectuntur, censeri debere: pro tua humanitate Theologicum munusculum boni consules: memor videlicet Artoxerxis Longimani, qui censuit, non minus regium & humanum esse, parua libenter promptéque accipere, quàm magna tribuere. Spero tamen futurum, vt hæ Thesium primitiæ, plenioris Messis, quæ Ecclesiæ profutura sit, auspicatissimum sint proœmium.

Deum Patrem toto pectore oro, vt tibi det per omnem vitam piè, iustè & temperanter viuere & agere, ad ipsius laudem, nobilissimorum Parentum sanctam voluptatem, & Reipub. vtilitatem, Amen. Basileæ 7. Septembris, 1582.

THESIVM ANALYTICARVM, DE PAVli Apostoli ad Galatas Epistola, pars prima, quæ τὰ προλεγόμενα & Proœmium, complectitur.

I.

DEo æterno, cuius infinita est sapientia, bonitas & φιλανθρωπία, iuuante & benedicente, in hac Theologica συζητήσει, initiò τὰ προλεγόμενα in Epistolam beati Apostoli Pauli: deinde & Proœmium, breuiter & perspicuè exponemus: ad Dei Patris laudem, & ad nostram institutionem & communem exhortationem, per mutuam fidem Interrogantium & Respondentium.

II.

Genus causæ. I. Nihil verò dubiũ est, ad illud genꝰ causſæ Epistolã hãc esse referẽdã, quod in ea maximè dominatur. Iudiciale verò causſę genꝰ in ea eminere, inde colligi potest, ꝙ Apostolꝰ in eo totus est, vt nõ solùm seipsũ & auctoritatẽ suã

Apostolicã, adeóque totã Euangelij doctrinam, aduersus Sycophantarum & τῶν ἑτεροδιδασκάλων calumnias & fermentum Pharisaicum, tueatur: sed etiam, vt Pseudoapostolos, suis ad viuum coloribus depictos, accuset grauissimè: & eorum errores ἐν τῇ ματαιολογίαν confutet solidissimè. Atque his omnibus seruiunt tot correctiones, tot cõfutationes Sophismatũ, & alia Elenchi documenta, vt non sit necesse ξύμμικτον causſæ genus, in hac Epistola statuere. Constat itaque Iudiciale genus, in hac Epistola sic excellere, vt cætera velut ἐμβλήματα eidem suis quæque locis seruiant.

III.

2. Status. Status Epistolæ est διαμολογικὸς, seu Iuredicialis. Hoc enim quæritur, Iurene Galatæ, deserto eo, qui vocârat eos in gratiam Christi, transferri sese passi sint in aliud Euangelium, an verò non? Hoc est, recténe & iure Galatæ sibi à Pseudoapostolis persuaderi passi sint. Iudaismum sibi cum Christianismo necessariò coniungendum permiscendúmque: &, euitandæ crucis & persecutionis ergò, fidelibus ex Gentibus iugum Legis Mosaicæ & Ceremoniarum Leuiticarum imponendum: quod alioquì citra legalium sanctionum accuratam obseruationem nulla fidelibus videatur salutis spes esse?

Omnibus autem ætatibus Epicurea hæc sapientia nonnullis placuit, pacis ciuilis & tranquillitatis retinendæ nomine, Religionis μίγμα quoddam instituendum, & ex diuersis pugnantium Religionum formis vnam quandam constituendam, quæ Religionum causſa dissidentibus probari, & eorum cõsociationi seruire possit, cum è diuersis opinionum flosculis, instar corollæ varicoloris, sit contexta.

Ac Pseudoapostoli quidem aientem opinionem, tueri conati sunt: Paulus autem negantem sententiam solidissimè confirmauit: vt, Deo volente, in διεξόδῳ ostendemus.

IIII.

3. Partium Oeconomia. Partes Epistolæ treis sunt, Proœmium, Tractatio Argumẽti, & Epilogus.

Proœmium habet, Suscriptionem Auctoris: Inscriptionem nominis Ecclesiarum, quibus primò Epistola scripta est: & Salutationem religiosissimam, summi erga eas amoris, testem.

Tractatio, constans primùm Demonstratione sententiæ negantis iustam fuisse defectionis in aliud Euangelium, causſam: deinde, cõfutatione Sophismatum, quibus Pseudoapostoli, de carne eiúsque iusticia gloriantes, nitebantur, subdiuidi potest.

1. In eam, quæ de Galatarum vocatione in gratiam Christi agens, optimo iure negat causſam vllam fuisse, cur ab ea vnquam, nedum tam citò resilirent & deficerent. cap. 1. & 2. vsque ad versum 16.

2. In eam, quæ de Iustificatione & aliis quibusdam ei cognatis doctrinæ Christianæ capitibus, demonstratiuè agit. cap. 2. versu 16. vsque ad finem 3. capitis

3. In eam, quę de discrimine Veteris & Noui Testamenti Populi & Ecclesiæ differens, negat viris ea opus esse pædagogia, qua olim pueri in officio, Deíque obsequio & cultu retenti fuissent: cùm aliam ætatem, alia deceant: & viros libertate Christiana, gaudentes, Spiritu sancto duci regíque, æquum sit. cap. 4. & 5. vsque ad 13. versum.

4. In

4. In eam, quæ de Sanctificatione & eius effectis & exercitiis agit: versu 13. capitis 5. vsque ad cap. 6. versu 11.

Epilogus totius Epistolæ (cuius initium est versu 11. cap. 6.) constat, primùm commonefactione de animo Pauli Epistolam hancce scribentis, vers. 11. secundò, Reprehensione Pseudoapostolorum, vers. 12. 13. tertiò, sancta Gloriatione Pauli de cruce Christi, vers. 14. 15. quartò, amabili Voto, vers. 16. quintò, Interminatione Apostolica de molestia sibi vlterius non exhibenda in caussa Christi, vers. 17. postremò, Repetitione salutationis, vers. 18.

V.

Magnum autem operæpretium erit, Syllogismos ἀντιπάλους, Pseudoapostolorum, qui Sophismatis quibusdam suis, tanquam siculneis fulcris nitebantur: & Pauli, qui Demonstrationibus euidentissimis, rem Euangelicam aduersus eius hostes συνεχῶς καὶ ἀκριβῶς agit, velut in tabella initiò σκιαγραφεῖν: nam suo tempore colores & alia addenda erunt.

Syllogismi principes & aduersarii.

I. DE VOCATIONE GALATARVM.

Sic argumentabantur Pseudoapostoli, hostes crucis Christi:

Licet omninò quàm ocyssimè descisscere à doctrina & vocatione eius hominis, qui nec cum summis illis Apostolis vnquam paria facere potuit: & nō est θεοδίδακτος: nec vixit in contubernio Christi Iesu & eius Apostolorum. De Paulo Tarsensi hæc omnia dici possunt. Non igitur est tanti facienda eius tum vocatio, tum doctrina, vt nemini pio & prudenti homini vel latum vnguem, quod dici solet, ab ea discedere liceat?

Paulus econtrariò, vt doceat Aduersarios suos in Minore τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβανειν, sic argumentatur:

Non est fas vnquam abiicere doctrinam veram, & aspernari vocationem eius serui Dei, qui diuinitùs καὶ ἀμέσως ad Apostolatum vocatus, per reuelationem Dei Euangelium didicit: nec re vlla insigni inferior est summis illis Apostolis, à quibus etiam illius doctrina iure meritóque pridem comprobata fuit. Talis autem ego sum, per Dei gratiam: inquit Gentium Doctor Paulus. Itaque caussa nulla erat cur transferremini in aliud Euangelium.

II. DE IVSTIFICATIONE.

Sic argutabantur φρεναπάται καὶ ματαιόλογοι Pseudoapostoli, pro tuenda iustificatione legis, seu operum, per commenticiam quandā ὑπαγωγὴν εἰς ἀδύνατον.

Si iustificatio non penderet à legis præstatione, hoc est, ab operibus Moralibus & Ceremonialibus: tum verò, frustra Decalogus promulgatus: frustrà Leges Ceremoniales de Sacramentis, de Sacrificiis, de Festis diebus, de Ciborum delectu & aliis rebus essent latæ.

Consequens absurdum & impossibile est.

Igitur & Antecedens est eiusmodi.

Paulus Apostolus ediuerso, Paralogismum illum περὶ τὸ μὴ αἴτιον, ὡς αἴτιον, retundens: Demonstratione, à διαιρέσει ἀμέσῳ ducta, Fidei iustificationem, hoc pacto adstruit.

Aut ex fide Iesu Christi iustificamur, aut propter opera Legis diuinæ. Atqui, Dauide teste, ex operibus Legis non iustificabitur vlla caro. Psalm. 143. 2. Itaque ἀναντιῤῥήτως sequitur, ex fide Iesu Christi iustificari hominem.

III. DE PÆDAGOGIA ET DE *Libertate Filiorum Dei.*

Pseudoapostoli hoc λεπτολογήματι, fucum faciebant Galatis.

Ea, tum vitæ rectè instituendæ, tum cultus diuini ratio, quam Deo summè sapienti, semel visum est Populo suo Israelitico præscribere: illa inquam, haud dubiè omnibus Mũdi tẽporibus, in Ecclesia vigere & obseruari debet.

Talis autem est Legalis illa & Leuitica pædagogia, ἡ ἱερατικὴ.

Ergo ea nobis hoc quoque tempore, constanter retinenda, & diligenter obseruanda est.

Paulus Apostolus contrà, in Maiore Sophismatis præcedentis Principij petitione prudenter animaduersa, sic argumentatur:

Non est hominibus sobriis cum Deo de sapientię laude certandum, & ordo gubernationis Ecclesiæ, ab eodem (respectu literæ, non autem Spiritus) summo consilio variatus, temerè improbandus.

Atqui Deus, quod aliam atque aliam ætatem Ecclesiæ, alia quoque decere intelligeret, eius infantiæ, pueritiæ & adolescentiæ conuenientem παιδαγωγίαν olim præscripsit: nunc verò virili eius ætati & senectuti libertatis optatissimum priuilegium indulsit: quod Spiritus sui magisterio, à corporalibus exercitationibus ad Δοῦλειαν ἡ τὴν λογικὴν λατρείαν modis omnibus reuocandam, iudicaret,

Non igitur est, cur iam senescenti Ecclesiæ, puerilis illa pædagogia (quam oportuit vigere μέχρι καιρῦ διορθώσεως, Heb. 9. 10.) intempestiuè obtrudatur, eáque ad pueritiæ γεγυμνάσματα, per indecorum quoddam ὕστερον πρότερον, reuocetur.

IIII. DE SANCTIFICATIONE.

Sic sophisticabantur Pseudoapostoli.

Emundationis à peccatis adminicula, bonorúmque operum progymnasmata à Deo ipso olim sapiẽter & vtiliter præcepta, nõ sunt nobis negligẽda.

In eorum autem numero sunt, Circumcisio, Leuiticæ lustrationes à peccatorum sordibus, Sacrificia, dies festi & cætera.

Non sunt igitur nobis negligenda & intermittenda.

Paulus, fallaciam à dicto secundum quid, ad simpliciter dictum, in Maiore obseruans (non enim adminicula emundationis typicæ ideo præscripta fuerunt, vt perpetuò in vsu essent) econtrariò sic ratiocinatur.

Id quod in Christo Iesu maximè valet, præcipuè quoque nobis sectãdũ est.

Atqui in eo non Sacrificia & Sacramenta (citra Spiritum) pręcipuè valent: sed fides, spes, charitas.

His igitur potissimùm nos studere æquum & vtile est.

V I.

5. Ἀνάλυσις. Hæc autem ἀνάλυσις: Galatæ grauissimè peccârunt, quòd se transferri passi sunt in aliud Euangelium: reduci debet ad hanc θέσιν: Cùm nõ sit aliud quàm vnicum illud Iesu Christi Euangelium, vehementer peccant, qui illud tum quoque deserunt, quum fermento ἑτεροδιδασκαλίας illud corrumpunt, & cœlestem

cœlestem doctrinam humanis commentis ita permiscent, vt videatur habere, φάρμακα πολλὰ μὲν ἐδὼν πολλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δ' ἀνιγρά, secundum versum veterem.

VII.

Primarij Loci Communes, qui ceu lucidissima primæque magnitudinis sidera lucent, & quibus πανοπλία in tota Epistola secundarij inspergũtur, hi ferè sunt: 6. Loci Cõmunes.

In cap. 1. De Apostolatu: de Euangelio vno & æterno: de Conuersione ad fidem Christi.

In cap. 2. de Defensione sanæ doctrinæ & fidelium Dei Seruorum aduersus calumnias Sycophantarum: de Sanctorum quibusdam lapsibus: de Iustificatione.

In cap. 3. de eadem Iustificatione fidei: de Lege, eius principiis & vsu longè maximo.

In cap. 4. de discrimine Regiminis veteris & noui Populi: seu Iudæorum & Christianorum.

In cap. 5. de Libertate Christiana: de Sanctificatione, & de iis quæ vel illius propria sunt, vel eidem aduersantur.

In cap. 6. De Officis hominis Christiani, quæ Sanctificationis propria effecta & specimina sunt.

Horum pulcerrimorum & vtilissimorum capitum doctrinæ cœlestis, ὀρθοτομία & expositio, in animis piorum accendere & fouere debet φιλομάθειαν ἢ φιλαλήθειαν, & odium fermenti Pharisaici, quod aliàs aliis coloribus pingi solet ab impostoribus & seductoribus.

VIII.

Etsi autem quæ sit singulorum capitum huius Epistolæ series & sententia, ex suprà dictis liquet: quia tamen nihil vetat δὶς ἢ τρὶς τὸ καλὸν, secundum paræmiam, repetere, breuiter capitum summas recitabimus. 7. Ἀνακεφαλαίωσις.

Cap. 1. Post præfationem, ostendit nihil omninò causæ fuisse, cur Galatæ à sancta vocatione in gratiam Christi desciscerent, siue quis doctrinam Euangelij quam illi didicerant, siue eius fidelem præconem, Paulum Apostolum, ἀμέτρως θεοσέβαστον, benéque de Ecclesiis meritum, spectaret.

Cap. 2. Idem ex eo quoque colligit, quòd immediatè à Deo ad munus Apostolicum obeundum vocatus, non esset re vlla inferior summis Apostolis: & quòd his cum Paulo præclarè & de doctrina & de ministerio conueniret: denique quòd Petrum Apostolum non recto pede in Euangelio Christi apud Antiochenos incedentem, ipse grauiter obiurgatum in viam reduxisset: non autem ecõtrariò vllius erroris à quoquam vnquam esset cõuictus.

Inde ad Iustificationis negocium transit, & propositionem, de fidei iustificatione, solidè confirmat & munit.

Cap. 3. habet primò κατάφασιν, qua Paulus ostendit sese rectè de fidei iustificatione, & secundum Scripturas sanctas, pronunciare: deinde ἀπόφασιν, qua euincit Pseudoapostolos non rectè Operibus iustificationis palmam acceptam referre.

Cap. 4. docet, vt veteri Populo, tanquam pupillo hæredi sub tutoribus

agenti, legalem παιδαγωγίαν: sic Ecclesiæ Noui Testamenti ἐλευθερίαν, libertatem Christianam conuenire: ac proinde huic non quadrare per ὑπαλλαγὴν, pædagogica exercitia, quæ puerili, non virili ætati sint præscripta.

Cap. 5. Libertatem Christianam, fructuum Spiritus præstatione, operúmque carnis intermissione, declarandam esse: non autem cum iugo ceremoniali permutandam, grauissimè monet Apostolus.

Cap. 6. Denique veris Officiis fidei, spei, charitatis, Sanctificationem per omnem vitam constanter & eleganter nobis esse demonstrandam, Apostolus humanissima & efficacissima vtens exhortatione, significat: ac coronidem toti Epistolæ imponit conuenientissimam.

IX.

s. Scopus. Obseruent autem piæ mentes & Scopum istius Epistolæ, qui de eius vsu nos commonefacit: vt videlicet alieno malo docti, nunquam inuertamus aut corrumpamus Euangelium Iesu Christi: sed constanter & sincerè retineamus veram doctrinam de nostra Vocatione, Iustificatione, Liberatione à iugo Legali, & Sanctificatione: & ipsis factis nos verè fideles esse, testemur. O vtinam Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi dono, cum sanæ doctrinæ confessione, semper coniungamus vitæ innocentiam, humilitatem, pacis studium & alias virtutes.

X.

9 Circunstantiæ quædam. Scripta est hæc Epistola ad Galatas, à beato Apostolo Paulo, in vrbe Roma, Anno Christi 59. Conuersionis & Apostolatus Pauli, anno 26. Imperii Neronis 3. anno, qui pertinet ad illius quinquennium, quod à Traiano Imperatore sæpenumero ita celebratum fuit, vt diceret, Principes omnes multùm abesse à Neronis quinquennio. Eodem autem anno scripsit Paulus Epistolas, ad Ephesios, ad Timotheum secundam, ad Philippenses, ad Colossenses & ad Philemonem: cùm prima sua Apologia defungeretur. Sequente autem anno, Nerone eum dimittente, ereptus fuit ex ore leonis. 2. Timoth. 4. 17. Monent autem hæ circumstantiæ, Dei Seruos, etiam in mediis vitæ periculis, non deesse debere suo officio, hoc est sanctificationi diuini nominis, plantationi & rigationi Ecclesiæ: quæ Dei aruum est, per verbi Dei sincerum præconium, & Sacramentorum administrationem.

XI.

10. Reprehensionis acrimonia. Reprehensionis Paulinæ acrimoniam, cum ea à Spiritu Dei profecta sit, pii homines nequaquam vitio Apostolo dandam esse statuent, si vel ista quoque secum diligenter perpenderint.

I. Gentis, quam citra calumniam, ἀνόητον vocauit Paulus, ingenium. Opus habent acri obiurgatione, qui adeò sunt φιλόκαινοι καὶ ἀψίκοροι, vt non tam ingenii tarditate, quam leuitate, credulitatéque nimia peccent, & doctrinæ corruptelas citò & temerè admittant: id quod feciisse Galatas res ipsa loquebatur.

II. Pauli, vt Parentis Galatarum in Christo, personam. Non enim in iustum

iustum aut indecorum videri debet, si qui patrum in Christo sustinent personam, filios à recta institutione summo suo cum periculo deflectentes, grauiter obiurgent.

III. Rei magnitudinem. Adducta fuit à Galatis in periculum eorum salus, cum in aliud Euangelium se tranferri passi sunt. Itaque quòd meliora essent vulnera diligentis, quàm oscula odium dissimulantis: reprehensionis acrimonia tempestiuè erant expergefaciendi, & in viam veritatis reducendi. Sed de his aliàs quoque dicetur.

XII.

Proœmium, quod capitis 1. ver. 5. priores complectitur, in ἐπιγραφὴν, in ὁπιγραφὴν & in ἀσπασμὸν diuidimus: quia de Auctore Epistolæ, eiúique Collegis, de Galatis ad quos illa perscripta est, & de ea re, quam nunquam non nos ipsos quoque ardentibus votis & nobis & aliis precari oportet, potissimùm agit. Vident piæ mentes etiam in hac prima breuissimáque Epistolæ huius parte, religiosi artificij, pulcerrimum specimen. De proœmio, quod est 1. pars Epistolæ.

XIII.

De Subscriptione, vers. 1. & 2. Etsi vocationis diuinæ & immediatæ præcipuum decus est: tamen, cum per sua organa Deus ordinariè agat; etiam mediata vocatio, quæ fit per hominem, modò Dei voluntati sit conformis, suam habet auctoritatem: vtraque autem Gorgonis instar Pseudoapostolis & Sycophantis (docendi partes citra vocationem sibi sumentibus, & piè docentibus, strenuè maledicentibus) opponi meritò potest.

XIIII.

Modestia Christiana facit, vt summi Ecclesiarum φωστῆρες & Antistites, subordinatos symmystas suos, ad Christi negocium ritè peragendum, ξυμπαρεκτάτους & Collegas libenter sibi adiungant, vt monet exemplum Pauli, vers. 2. Quos autem ille eo tempore Collegas habuerit Romæ, colligi potest ex eorum catalogo, qui exstat 2. Tim. 4.

XV.

De Inscriptione. Charitas, spe emendationis fratrum aberrantium & præoccupatorum in aliqua offensa animata, fidelis nomen, nemini vni temerè, nedum toti Congregationi, quæ in doctrina & vita alicubi lapsa est, Ecclesiæ titulum derogat. Ideo Paulus vers. 2. Ecclesiis Galatiæ, scripsit: non desertoribus, aut planè alienis à fide Christi. Vtinam eadem quoque sit nostra φιλόστοργια & humanitas erga eos, qui aberrârunt quidem nonnihil à via veræ doctrinæ: sed tamen posterioribus curis, quæ meliores esse consueuerunt, & institutioni piè docentium locum dant.

XVI.

De Salutatione, quam gratia fidéque locupletibus dicendam, beatus Hieronymus alicubi pronunciauit. Hæc inuocationis Dei forma tribus partibus constat. Primò quidem precatione gratiæ & pacis, vers. 3. deinde, ὑμνοποιΐᾳ doctrinæ Euangelij, vers. 4. postremò, breui δοξολογίᾳ, vers. 5.

XVII.

Homini fideli nihil optabilius esse potest, Dei gratia, seu beneuolentia: &

eius fructu, videlicet vera εἰρήνη, quam Paulus pacem vocare solet. Nec sine consilio mirificè placuit beato Philippo Melãchthoni, Ecclesiarum & Academiarum per Germaniam ex præscripto verbi Dei reformatarum, decori quondam & lumini, illud nobile Ioannis Chrysostomi dictum: ἁδὲν ἕτως διαφαίνειν εἴωθεν ὥσπερ συνειδὸς καθαρόν. Nihil est quod æquè nos exhilaret, atque pura conscientia. Tum autem pura & pacata est conscientia, cùm homo fide iustificatus est. Roman. 5. 1.

XVIII.

Euangelii (cuius doctrinam pleniſſimam adducere benedictionem, & cœlorum portas nobis aperire, Cyrillus Alexandrinus piè dixit) hæc hypotypoſis eſt, Chriſtũ Ieſum vnica oblatione ſua redemiſſe nos, & ſanctificauiſſe è mundo: ſecundum voluntatem ſeu propoſitum Patris æterni. Hanc breuem formam ſanorum ſermonũ toti ματαιολογίᾳ Pſeudoapoſtolorum Iudaizantium, Apoſtolus opponit.

XIX.

Nihil autem eſſe, quod magis ad celebrandam Dei Redemtoris gloriam faciat, quàm ſit ipſa redemtio noſtra, ij demum vident, qui τῇ κτίσει τὴν ἀποκατάσασιν ſucceſſiſſe ſeriò & perpetuò gaudent: Deóque, ita vt par eſt, toto pectore gratias agunt.

XX.

Et hęc quidem σὺν θεῷ, de Præfatis & de Proœmio annotaſſe ſatis ſit. Chriſtus Ieſus vel nobis dexter adſit in continuatione Theologicorum iſtorum exercitiorum, vel nobis in cœleſtem ſubductis Academiam, orthodoxos καὶ ὁμονοοῦντας διαδόχους ſeu ſucceſſores ſubſtituat, qui ſint ſanæ doctrinæ cuſtodes: Baſileæ, 7. Septembris: 1582.

Preſſa ſub ingenti ceu pondere Palma vireſcit:
Sub cruce ſic florent dedita corda Deo.

THESIVM ANALYTICARVM, DE EPIſtola Pauli Apoſtoli, ad Galatas Pars ſecunda:

In qua agitur, de Vocatione Filiorum Dei per Euangelium, nunquam illis deſerenda: & cauſſæ aliquot grauiſſimæ indicantur, propter quas à Romana Papalíque Religione pias mentes ſemper abhorrere oportet. De
ea autem in Theologica Diſputatione, D. Ioan. Iacobo
Grynæo, Præſide, doctrina & pietate excellens
Iuuenis, Iacobus Arminius, Hollandus, IIII. die Octobris, σὺν
θεῷ γυμνασίας χάριν
reſpondit.

AD

Illuſtrem & Magnificum Dominum, Dn. IOANNEM BARONEM A KITLITZ, ſtudioſorum hominum Patronum benigniſſimum.

Philip. 3. 15.

Quotquot itaque perfecti ſumus, hoc ſentiamus: quòd ſi quid aliter ſentitis, hoc quoque Deus vobis reteget.

ILLV-

ILLVSTRI ET MAGNANIMO DOMINO,
DN. IOANNI, BARONI A KITLITZ S. D. P.

COgitanti mihi de ratione citra contumeliam ab alijs quibusdam dissentiendi, nunquam non in mentem venit, cedróque digna videtur, illa beati Philippi Melanchthonis sententia, qua monet, disiungi debere, vt diuersarum specierum accidentia, dissentire & odium. Dissentire enim, ait ille, iudicium est mentis: sed odium flamma est voluntatis.

Vtinam verò tandem aliquando multi nostrûm discant, illam Christianis hominibus dignissimam, & modis omnibus πραχτικὴν Artem, quæ hoc præstat, vt possimus, cum ijs quidem qui nobiscum consentiunt de tota Religione Christiana, constanter & eleganter, τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν: vt alicubi loquitur Paulus: cum ijs autem, qui, seu de parte, seu de tota Religione aliter sentiunt, ita agere, vt siue fidei nostræ professionem, siue vitam inculpatam, spectent: in vtroque amorem veri, studium gloriæ Dei, curam de nostra & aliena salute procuranda, συμπάθειαν, modestiam: animum à contemtu aliorum, à vanitate omni, ab odio proximi, ab αἰσχροκερδείᾳ, alienum: lucere, & amabili fulgore doctrinæ & virtutis, etiam aduersariorum animos in admirationem rapere, sentiant. Dedit sanè Deus, huius rei modis omnibus amabile exemplum huic nostro seculo, PHILIPPVM MELANCHTHONEM: qui etsi toto Agonis sui, quo defunctus est, tempore, pro tuendo Euangelio D. N. Iesu Christi, sæpenumerò comminus & eminus cum exercitatissimis Antagonistis fortiter congressus est, & strenuè conflixit: sic tamen bonam caussam egit benè & decenter, vt cordati & literati Aduersarij, eum non possent seriò odisse: & vt morte illius nunciata, ornatus sit à laudatissimo Imperatore FERDINANDO Augusto F. M, honestissimo elogio: HVIVS VIRI CONSILIA SEMPER FVERVNT MODERATA. Ego sanè non solùm infirmitatis meæ conscientia, sed etiam animi mei proposito, sic moueor, vt in omnibus Theologicis exercitijs, ea lege διαφωνίαν, quæ de religione Christiana inter nos & Pontificios est, ingenuè testatam mihi faciendam existimem, vt tamen, & abesse velim odij acerbitatem, scommata φλυαρίαν, & alia sanctæ nostræ caussæ dehonestamẽta: & vnicè Deum precer, vt errantes quidem in viam veritatis ducat: nos verò nunquam patiatur septa veritatis transilire: vt denique in nobis semper foueat veritatis pacísque amorem.

Res ipsa autem postulabat, vt Illustri tuo nomini hæ Theses inscriberentur. Neque enim solùm præsentia tua Theologicas συζητήσεις ornare: sed etiam erudita collatione sententiarum sic illustrare soles, vt Nobilitati florentissimæ ea res sit exemplo: & iam multi Heroici Iuuenes nequaquam sint mutæ personæ in istis Disputationibus. Dominus IESVS tuam Clementiam regat & protegat. Amen.

T. CL. obseruans Ioan. Iacobus Grynæus

DE VOCATIONE FILIORVM DEI, A qua pijs non licet deficere,

THESES.

I.

QVVM Apostolus noster initiò Propositionẽ, toti actioni quam Galatis ob defectionem intendit, velut basin quandam adamantinam, substernat: ac deinde, si spectes τοῦ θεοῦ, de Galatarũ vocatione: si θεοῦ, de Filiorum Dei sancta vocatione, grauissimè agat:

nos quoq; eius vestigia religiosè & libenter sequemur, lætíque ominis ergò vsurpabimus ἐφημισμὸν illum veterem: τὰ δὲ πάντα θεῦ σωιεθέλοντος γένοιτ' ἄν.

II.

Hypotheseos de Galatis, qui sanctæ suæ vocationis & institutionis in fide Christi, non eam quam oportuit rationem habuerant, hæc summa est: Miror vos ita citò, deserto eo qui vocârat vos in gratiam Christi, transferri in aliud Euangelium? vers.6. Sententia est, Summæ mihi admirationi est, quòd à Deo Patre, me Apostolo per Euangelium nostrum, ad Christi gratiam gloriámque vocati, fide iustificati, libertate Filiorum Dei donati, & sanctificati; ita citò à Pseudoapostolis persuasi & seducti, ad nouum quoddam Euangelium, quod Iudaismum & Christianismum quendam μίγδην complectitur, vos traduci passi sitis? Admiratio de rebus insperatis nascitur: vt alicubi, contra Manichæos differens, Augustinus pronunciauit. Nihil autem minus sibi polliceri poterat Apostolus, quàm tam citò Galatas, fidelissimè recens à se de fide Christi edoctos, à Pseudoapostolis transuersos rapi & seduci posse?

III.

Meminerint autém piæ mentes, beatum Apostolum Paulum Hypothesin istam de Galatis, eo consilio ἀναπολογητικῶς tractare, vt euincat, Nullam planè caussam defectionis Galatas habuisse, siue quis Euangelium ipsum quod erant amplexi, siue eius auctorem Deum, siue Paulum eius professorem fide dignum, siue aliud quippiam, spectarent. Est autem pulcerrima μέθοδος τῆς λόγων, & series Argumentorum, quam nos fideliter & perspicuè, Deo gratiam suam largiente, ὡς ἐν πλάτει ostendemus.

IIII.

1. A natura Euangelij ver.6.7. Si vnum, simplex & æternum est Euangelium, tum non est vobis Galatis aliud, multiplex & temporarium recipiendum.

Verum est Antecedens.

Verum igitur est & Consequens.

V.

2. A fine, seu scopo Pseudoapostolis præfixo, vers.7. Si propositum est seductoribus illis Pseudoapostolis, non modò vos turbare, sed etiam inuertere Euangelium Christi, tum non erat illis fides habenda. Atqui vera sunt quæ antecedunt. Res ipsa enim testatur, impostores illos, sic perturbare mẽtes hominum alioquin minimè malorum, vt velut ἐν τριόδῳ λογισμῶν positi, quid tandem certò credere debeant, ignorent. Deinde, annon hoc est inuertere Euangelium Christi, illud in Legem de meritis nostris, déque operum iustificatione, transformare: aut certè Christi Iesu & hominum merita eo successu conciliare & coniungere, quo lux cum tenebris, & verum cum falso permiscetur? Vera igitur sunt & quæ sequuntur.

VI.

3. A Comparatione docentium, κατ' ἐξοχήν, ab impossibili ad possibile.

bile.vers.8.Si anathema esse debebat,aliud Euangelium annuncians vel Paulus ipse, vel Angelus aliquis è cœlo, quibus nemo pius hoc facilè tribuat: quantò magis anathema esse debent Pseudoapostoli, Euangelium peruertentes.Sed prius verum est. Igitur & posterius. Ne quis autem prius illud lemma per imprudentiam Paulo excidisse,dicere posset,repetitione τῆς κατὰ δόλον, illud confirmat vers.9.

VII.

4. A doctrinæ,quam Paulus Galatis tradiderat, materia, & docendi fine. versu 10.Si quidem Deum solum vobis non prædicassem, sed homines: vt faciunt Pseudoapostoli osores mei:& eorundem exemplo, homines insignes tantùm in ore habuissem, & docendo hominum gratiam, non autem Dei,aucupatus essem:Tum verò habuissetis,ô Galatæ,ab ea desciscendi aliquam caussam. Atqui Deum suadeo,id est,nomine Christi legatione fungor, velut Deo vos precante per nos:oramus Christi nomine,reconciliamini Deo,2.Cor.5.20.nec quæro hominibus placere:nec etiam horum nomina & auctoritatem vendito.Hoc lemma probat ab impossibili. Si hominibus adhuc (videlicet vt olim in Iudaismo) placerem, Christi seruus non essem. Sum autem Christi seruus. Itaque hominibus non placeo. Ex istis colligo, nullam apostasiæ caussam Galatas habuisse,si quis inquam spectet,& Deum quem vobis prædicaui,& scopum meæ institutionis.

VIII.

5. Ab auctore Euangelij,per ὑπόφασιν. Si Euangelium, quod vobis Galatis prædicaui, humanum, seu ab homine excogitatum esset:&, si non immediatè à Deo edoctus accepissem:tum verò illud abiicere poteratis. Atqui illud nõ est secundum hominem : neque enim ego id hominum magisterio, sed Iesu Christo reuelante,didici vers.11.12. Itaque retinendum vobis erat.

IX.

Minoris prius lemma, quo probat se non esse ἀνθρωποδίδακτον, confirmat Paulus,primùm vers.11.12.13.Qui hostiliter persequitur doctrinam aliquam, & eius professores,is certè hisce Magistris illam non discit. Ego verò cùm Iudæus essem,hostiliter persequebar Euangelium & Christianos.Ergo non ab his didici Euangelium. deinde vers.14. Qui præ multis aliis in Iudaismo proficit,quî dici posset Christianismum,qui illi è diametro repugnat, interea ab eius professoribus discere?Ego tum in Iudaismo plurimùm proficiebã.

X.

Posterius autem lemma eiusdem Minoris,in quo per κατάφασιν ostendit sese θεοδίδακτον esse,probat vers.15.16. à caussa efficiente, à φανερώσει, & à fine. Rectè dicitur θεοδίδακτος,qui Dei δόσει,separatus ab vtero matris, & per gratiam vocatus est,& illuminatus,vt retegat Filium Dei, euangelizando inter Gentes.Atqui Deus pro sua δόσει & gratia me eum ad modum illuminauit & vocauit. Incidit autem conuersio Pauli & eius vocatio ad munus Apostolicum,in annum Christi 35. Mundi conditi 4005. statim post Stephani

martyrium. Act. 9. & 22. 1. Tim. 1.

XI.

Rursus autem idem lemma, per ἀπόφασιν probat, vers. 16. 17. Si quidem non statim post conuersionem, Euangelium purè prædicauissem: sed cum summis illis Apostolis (quos osores mei mihi falsò tanquam aduersarios obiiciunt) de doctrina prius diu multúmque contulissem, tum videri possem alicui humanitùs institutus, eóque nomine forsan minoris faciendus. Sed non statim contuli cum carne & sanguine: neque redij Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant Apostoli: sed abii in Arabiam, ac denuò reuersus sum Damascum. Hanc Minorem probat à temporis interuallo, vers. 18. 19. Primus autem congressus Petri, Pauli & Iacobi, incidit in annum Christi 38. Mundi conditi 4008.

XII.

A peregrinationibus suis extra Iudæam, eandem sententiam probat versu 21. 22. 23. 24. Qui plerumque in aliis locis, quàm iis in quibus versabantur Apostoli, docuit: ignotus facie Ecclesiis Iudææ: sed interim clarus propter mirandam conuersionem ad fidem Christi, & fidele ac felix eiusdem præconium, is non dici potest intra Iudæam delituisse per id tempus, Euangelii ab hominibus addiscendi gratia. Illa verò superiora de me, ait Paulus, verè dici possunt. Igitur, &c.

XIII.

6. A παρρησίᾳ Pauli Apostolorum, de doctrina, quæ in Synodo Hierosolymitana, Anno Christi 49. Mundi verò creati 4019. declarata fuit, Capit. 2. versu 1. & 2. Si consensus de Euangelii doctrina, inter Paulum, & summos illos Apostolos, publicè priuatímque comprobatus fuit, in publica Synodo Hierosolymitana: & animaduersum Paulum nequaquam frustrà cucurrisse: tum certè non par erat Galatas, fascinatos commento de Pauli cum Apostolis dissidio, ab ea doctrina ita citò transferri in aliud Euangelium. Verum est Antecedens, vt testantur publica eius Synodi acta, quæ diligenter Lucas descripsit Act. 15. cap.

XIIII.

7. A consensu Apostolorum cæterorum & Pauli, de Circumcisione fidelium ex Gentibus, quam planè necessariam esse ad salutem Iudaizantes fingebant. Si vnà cum Paulo cæteri Apostoli non censuerunt circumcidendos esse fideles ex Gentibus: tum verò non est cur Paulo quisquam vitio det, quòd circumcidi illos non vult. Prius est, vt versu 3. liquet, in quo Titi exemplum adducitur: & ex versu 4. & 5. in quibus Paulus, emissariis ψευδαδέλφοις flagitantibus vt Titum circumcideret, se nequaquam tum cessisse, ídque declarandæ libertatis Christianæ ergò, & vt veritas Euangelij permaneret apud Galatas aliósque fideles disertè confirmat.

XV.

8. A doctrinę Pauli æstimatione, vers. 6. Si ne quidem ii, qui putãtur esse aliquid,

aliquid,& sunt in pretio (hac τοὺς περὶ Petrum , Iacobum & alios denotat) nihil Paulo præterea contulerunt,quis non videat doctrina eius, contentos Galatas esse debuisse?Verum est Antecedens. Igitur & Consequens eiusmodi est.

XVI.

9. A τὸ τῆς χάριτος. versu 7. Si Apostoli summi reipsa viderunt,non minus Paulo creditum esse Euangelium præputij (id est,Apostolorum inter Gentes) quàm Petro commissum esset Circũcisionis,hoc est, Iudæorum circũcisorum : Tum non erat cur Galatæ fidem haberent Pseudoapostolis , ministerium Pauli in dubium vocantibus. Verum est quod antecedit , vt ex efficacia Apostolatus vtriusque,quæ certè vocationis diuinæ documentum illustre est,colligi potuit. versu 8. Non igitur falsum est, quod ex eo consequitur.

XVII.

Duo sequentes versus 9.& 10. ἐργασίαν habent,præcedentis argumenti, cuius summa huc redit.

Candidissimi illi alienorum donorum æstimatores,Iacobus ,Cephas , & Ioannes , qui putantur esse columnæ , nobis duobus , (ait Paulus) mihi & Barnabæ , dexteras societatis dederunt : & nos pauperum memores esse voluerunt , ac reipsa sunt experti eam rem nobis summæ curæ fuisse. Horum grauissimorum de nobis iudicium , vobis Galatis, longissimè anteponendum erat , iniquissimo de nobis & de doctrina , quam bona conscientia profitemur,præiudicio,Tenebrionum Pseudoapostolorum , qui nos inhumaniter & calumniosè traducunt.

XVIII.

10. Ab eo,quòd nunquam iurè Paulus , doctrinæ liturgiæ & exempli vitæ caussa,reprehendi potuit.versu 11. Si perinde vnquam condemnandus fuissem sententia Apostolorum,vt olim Petrus Antiochiæ:tum verò plausibilem me reprehendendi , & ministerium quo fungor traducendi , ansam Pseudoapostoli haberent. Atqui nunquam doctrinæ & ministerii mei vitæque caussa meritò redargutus sum : Petrus autem Antiochiæ cum scandalo infirmorum fratrum ex Gentibus, Iudaizans , grauiter reprehendus mihi erat.Quare non est cur vitilitigationem aliquam aduersus me , Antagonistæ mei instituant.

XIX.

Minoris κατασκευὴ, & historica ἐργασία tradita est,vers.12.13.14. Ordo autem hic est.

Primò docet,qua in re peccauerit Petrus, videlicet quòd hominum metu ductus , libertatem Christianam , qua iam iam vsus erat , non multò post in dubium vocasset,& à fidelibus ex Gentibus , quibuscum familiariter cibum sumserat citra Iudaismi obseruationem , sese metu Iudæorum subduxisset & separasset. Præterquam enim quòd cauẽdum nobis est, ne simus, immò ne videamur Vertumni in Religione:piaculum summum esse debet, suo exemplo,Christianam prodere libertatem.vers.12.

Secundò,testatur Petri exemplum plurimum obfuisse Iudæis,& inter alios Barnabæ,qui simul abreptus est in eandem simulationem. Ac summorũ hominum exempla, cum in vulgus manent, si vitiosa sint, magnopere obesse solent. vers.13.

Postremò,subiungit publicam Reprehensionem Petri (non recto pede incedentis,vt veritati Euangelij conueniebat)qua Paulus vsus erat. Dignus est reprehensione,qui secus,quàm ipse bona conscientia viuit,agítque, alios agere & viuere simulando cogit. Tu verò Petre,id agis. Confisus libertate Christiana,bona conscientia, ἐθνικῶς ζῇς, gentiliter viuis(id est,non obseruas Iudaicum viuendi institutum,non ciborum delectum, non alia παρασκευάσματα:non enim te clam est,quid Christiana credentibus libertas permittat)nõ Iudaicè:& tamen fideles ex Gentibus ἀναγκάζεις ἰουδαΐζειν,hoc est,exemplo tuo quodammodo cogis,vt iam obsoletis Iudæorum institutis,sibi opus esse putent. Dignus igitur es quem grauiter reprehendam,& ad Christianæ libertatis vsum tempestiuè reuocem. v.14.

X X.

Ex his omnibus quæ de ἐθνικῶς καὶ οὐκ Ἰουδαϊκῶς dicta sunt, rectè colligimus, Galatis non fuisse caussam cur desciscerent à sancta sua vocatione,per Euangelium facta.

Coronidis vice illud addemus, Paulum cum à se Petrum reprehensum scribit,non officioso vsum mendacio,vt Hieronymus censuit,sed bona fide testatum id quod non rectè factum erat : ac iustam fuisse reprehensionem, quòd res esset maximi momenti:nec Paulum sibiipsi contradixisse dicto factóue,si omnia illius rectè considerentur: vt verius pronunciauit Augustinus. De hac autem controuersia,agitur in vtriusque Epistolis,lectu dignissimis. Ex illarum vna,quæ Hieronymi est,ea adducemus verba,quæ certè nemo nostrûm facilè ausit per omnia probare. Didicimus,inquit Hieronymus,quòd propter metum Iudæorum, & Petrus & Paulus æqualiter finxerint,se Legis præcepta seruare. Qua igitur fronte,qua audacia Paulus in altero reprehendat,quod ipse commisit? Ego,immò alij ante me exposuerunt caussam quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, vt tu scribis:sed docentes honestam dispensationem,vt & Apostolorum prudentiam demonstrarent,& blasphemantis Porphyrij imprudentiam coërcerẽt, qui Petrum & Paulum puerili dicit inter se pugnasse certamine,immò exarsisse Paulum in inuidiam virtutum Petri, & ea scripsisse iactanter, quæ vel non fecerit : vel si fecerit, procaciter fecerit id in alio reprehendens,quod ipse commiserit,&c.

X X I.

Sequitur altera instituti nostri pars, videlicet θέσις, de vocatione nostra per Euangelium,de qua κατασκευαστικῶς,quantum dabit Deus,agemus.

Eius hæc sententia est. Filios Dei,eius qui eos vocauit efficaciter in gratiam Christi,vero illo æternóque Euangelio contentos esse, oportet. Iuxta illud eiusdem Apostoli : Nos autem debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio ad salutem per Sanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati : quò vocauit vos per Euangelium nostrum, ad obtinendam gloriam Domini

Domini nostri Iesu Christi,2.Thessal.2.13.14.

Firmiter itaque statuamus, quòd vt olim fidelibus ex Gentibus, non licuit cum Christianismo Iudaismum (per impium quendam Samaritanismum, vera falsis permiscentem) coniungere: aut ad Iudaismum à Christianismo deficere: sic non fas esse, cum Christianismo & Euangelio, Papismum & Monachorum deliramenta (per ἀσεβὲς μεταξὺ, quale fuit Sphynx Augustana, 1548.) conglutinare: aut à Christianismo ad Papismum vnquam transire: cùm sit scriptum: Fugite idola.

XXII.

Rationes autem quibus Thesis, ex sententia Pauli confirmatur, hæ sunt.

1. Vnum est simplex Iesu Christi Euangelium: non multiplex. Gal.1.6. 7. Eo igitur Dei Filios contentos esse, nec humana Pontificum Roman. & Monachorum commenta ei permiscere, æquum sanè est. vers.6.

XXIII.

2. Euangelium Iesu Christi planè distinctum est à Lege. Meminerint ergo Filii Dei, se vocatos ad fidem in Christum, cum operum meritorúmque suorum fiducia, non confundendam: ne eorum conscientiæ turbentur, Euangelii in legem quandam, partim quidem diuinam, partim verò humanam transformatione: versu 7. Cæterùm, quis ignorat Papam, Indulgentias, turpissimi lucri caussa, vendentem, gloriari de dispensatione meritorum Christi & Sanctorum?

XXIIII.

3. Vt benedictio spiritualis in eos redundat, qui Deo per suos fidos Seruos, Euangelium annunciantes, vocanti, constanter obediunt: sic anathema sunt, qui aliud Euangelium prædicant: & maledicti qui illi fidem habent. vers.8. Fugiamus igitur Pseudeuangelium Papæ Romani, quod noua lex nuncupatur, &, si Deo placet, Consilia de perfectione Euangelica, Monachis potissimum præstanda, complectitur.

XXV.

4. Toto pectore execrandi nobis sunt, qui ἀποστασίᾳ defunguntur, & ad Pseudeuangelium, quenquam mortalium inuitant & pelliciunt: vt faciunt Antichristiani Hierophantæ, qui à Dei inuocatione, ad Creaturarum adorationem: à Christi solius fiducia, ad fiduciam in Sanctis reponendam, nos inuitant: suáque τῇ ἑτεροδιδασκαλίᾳ efficiunt, vt vni Deo debita beneficia, beatæ Mariæ aut aliis, miseri homines ab ipsis fascinati attribuant. Adscribam autem eius abominationis exemplum notorium, quod extat in Tẽplo D. Virginis, quod est in mõte Orthonis, prope Thermas Aponẽses.

VERSVS INSCRIPTI TABVLÆ.

Tristis eram longo tenuit me Gallia bello,
Nulla erat in Medico spes, neque multa Deo.
Corripuit Custos audacter me meus, heus tu
Consule te, & mentem volue nefande tuam:
Virgo tuis poterit succurrere maxima votis:

Quid dubitas teneras ſoluere dure preces?
Filia ſponſa Patris, mater ſpes vnica noſtri,
Oranti priſcam reſtituet faciem.
Tunc ego ſingultu & lacrymis pia vota reſolui:
Suſcepit voces diua Virago meas.
Lætus ago ingentes pro tanto munere grates
Virgo tibi, vitæ ſola medela meæ.

XXVI.

5. Cum in Euangelio Deus, non homines, nobis prædicetur (vt ex illo nobili dicto, eius ſummam complectente, liquet: Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticiáque & ſanctificatio & redemtio, vt, ſicut ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. 30. 31.) diuinum, ἀξιόπιστον & vnum illud eſſe, agnoſcamus, & toto pectore amplectamur & retineamus: nec ad Papiſticam ἀγγελολατρείαν καὶ ἀνθρωπολατρείαν nos abduci patiamur, ſic vt, contra expreſſum Dei edictum, Angelos, Sanctóſve homines adoremus, aut Mediatores ſuccenturiatos apud Deum Patrem eſſe, nobis perſuadeamus: aut denique dies feſtos, conciones Panegyricas de ipſorum meritis inſtituamus, Templáque ipſis conſecremus.

XXVII.

6. Docentes in Eccleſia ſummo id vnum ſtudio habere debent, in propagatione ſanæ doctrinæ, vt Deo ſoli placeant. Hi enim ſoli, nihil ad aucupandam hominum κενὴν ἔμιον gratiam, dicunt faciúntve: eóque nomine vocatio eorum magni nobis eſt facienda, vt quæ mediatè à Deo Patre ſit facta. Pontificij, in ſuæ doctrinæ præconio, non Dei potiſsimum, ſed Sanctorum gloriæ conſulunt: dum eum perinde (citra Sanctorum interceſsionem & merita) inexorabilem fingunt: quemadmodum olim Stoici primã cauſſam ſecundis aſtringentes, Parcarum carcere clauſam, & ſine illis ἀδυναμίᾳ laborãtem, comminiſcebantur. Horum igitur vocationem, velut Sirenum cãtum, fugiamus, ne in exitij æterni charybdin, incidamus.

XXVIII.

7. Euangelium, quod non eſt ab hominibus, ſed à Deo auctore profectum, nunquam eſt abiiciendum. Tale autem eſt Euangelium, quod didicimus: vt per ἀποφασιν docet Paulus, quum illud ſecundum hominem eſſe, negat, verſ. 11. Ne igitur moueamur Pontificiorum fabulis, quibus illud vt humanum nouúmque commentum, traducunt.

XXIX.

8. Quis pius & intelligens dubitet, eam doctrinam ambabus manibus, & verius toto pectore amplectendam & retinendam, quam Ieſus Chriſtus dignatus eſt, Gentium doctori, ac proinde Apoſtolo noſtro Paulo patefacere? Euangelium autem, quod ſonat in noſtris Eccleſiis, & inſcribitur cordibus noſtris, illa doctrina eſt. verſ. 12.

XXX.

9. Si beatum Paulum ea res non deterruit, quo minus Euangeliũ Chriſti amplecte-

amplecteretur, quòd diu in Iudaismo versatus, plurimùm præ multis aliis in eo profeciſſet, oſórque ſummus fidei Chriſtianæ fuiſſet: multò minus maiores noſtros pœnitere vnquam debuit, quòd à Papismo ad verum Chriſtianiſmum, tranſierunt: nam ille multò minus remorari ipſos poterat, vt qui ab hominibus confictus eſſet, quàm olim Iudaiſmus Paulum & alios. Verum eſt quod antecedit: vt ſuo exemplo docet Apoſtolus, verſ. 13.14. Ergo & quod ſequitur verum erit.

XXXI.

10. Decet nos, exemplo Apoſtolorum, Dei beneficia & præſentiam grata mente agnoſcere & prædicare. Atqui illi Dei beneplacito ſe ſeparatos, & per gratiam vocatos eſſe, in Domino gloriabantur: vt Pauli exemplum monet, v. 15. Agnoſcamus igitur ipſi quoque vocationem & ſegregationem noſtram, nec iis qui ἀφοπαξίαν, hoc eſt, ſtationis Euangelicæ deſertionem & apoſtaſiam ad Papiſtas, ſuadere conantur, aures præbeamus.

XXXII.

11. Si hic finis fuit Paulo reuelati Euangelij, vt illud annunciarer Gentibus: manifeſtum eſt velle Deum, ne illud aſpernemur & abiiciamus. Verum eſt Antecedens. v. 16.

XXXIII.

12. Si tantus eſt vſus Euangelij, vt ſimul atque illud ſeu mediatè ſeu immediatè eius præconibus plenè innotuit, ſtatim illis ſit iis omnibus ad quos miſsi ſunt, citra moram vllam, annunciandum, etiamſi non liceat prius cum aliis Eccleſiæ doctoribus ἀναπίπτειν: Tum ſequitur illud maximi faciendum, vt nobiliſsimum margaritum, omnibus Mundi totius opibus anteponendum: nec vnquam abiiciendum. Prius eſt, vt ſuo exemplo docet Apoſtolus noſter, v. 17.18.19.20.21.22.23.24. Ergo poſterius quoque verum erit.

XXXIIII.

13. Si doctrinæ Euangelicæ παναρμονία & veritas, non ſolùm piis doctoribus Eccleſiarum noſtrarum, ex præſcripto verbi Dei reformatarum, demonſtrata ſæpenumerò eſt, ad mutuam eorum conſolationem: ſed etiam ſæpenumerò, in Imperij Comitiis & Colloquiis publicis, auctoritate Imperatorum Romanorum, & Ordinum conſenſu hoc ſeculo habitis, aduerſus exercitatiſsimos hoſtes, Eccium, Maluendam, Ieſuitas, voce & ſcriptis aſſerta: tum verò Pauli (qui idem Euangelium, quod inter Gentes diu prædicauerat, Apoſtolis quidem bona fide tandem expoſuit: aduerſus oſores verò fortiter defendit, nec vnquam abiecit, verſ. 1.2. Cap. 2.) exemplo, idem porrò quoque noſtris faciendum eſt, & oſtendendum fruſtrà nos in fidei ſtadio, nec currere, nec cucurriſſe: eóque nomine non deficiendum in laudatiſsimo curſu. Verū eſt quod antecedit: vt teſtatur hiſtoria noſtri tēporis. Ergo, &c.

XXXV.

14. Si Paulus, legalib⁹ ceremoniis hoc tēpore τῆς διορθώσεως, ſeu correctionis, iã antiquãdis & πρὸ ἀφανισμῷ proximis: Heb. 8.13. Titum circumcidi noluit, ne

cui circumcisio & tota Legalis παιδαγωγία videretur necessaria. Tum verò multò minus locus dãdus est, Papisticis ἐθελοθρησκείαις, Missæ, Lustrali aquæ & alijs sordibus, ne videlicet cuiquã Paparũ & Pseudepiscoporum φαντασία multiplex, & in Deum contumeliosa, necessaria obseruatu, videatur. Nam si diuinitùs olim instituta, vt certò tempore in vsu esset, periodo finita aboleri oportuit, quantò magis humanitùs conficta & Ecclesiæ obtrusa superstitionis & idololatriæ specimina, iuréque abrogata, nunquam sunt in vsum reuocanda. Verum est Antecedens, vt apparet vers. 3 è quo colligere licet idẽ planè cæteris Apostolis qui tum Hierosolymæ erant, totíque Synodo, quod Apostolo Paulo visum. Est ergo & Consequens verum.

XXXVI.

15. Exempla φιλανθρωπίας, & zeli pro tuenda & propaganda veritate Euangelica & libertate Christiana, ideò à Spiritu sancto nobis proponuntur, vt iis admoniti & excitati, pro nostra virili officium piè faciamus. Paulus autẽ, emissariis falsis fratribus, qui irrepserant ad explorandam fidelium libertatem, & ad seruitutis iugum ipsis imponendum, ne ad momentum quidem cessit, vt veritas Euangelij permaneret apud Galatas aliósque fideles. v. 3. 4. Resistamus igitur & ipsi Pontificiis, verbum Dei cauponantibns, & Traditionum humanarum iugum imponere cupientibus.

XXXVII.

16. Dei æterni inæstimabili beneficio, amplexæ sunt & profitentur Ecclesiæ nostræ, eam doctrinam, quam Paulus vnà cum cæteris Apostolis fideliter professus est. Atqui ad eam nihil planè addi potuit, etiam ab iis ipsis Apostolis, qui olim cum Domino Iesu Christo familiariter conuersari fuerant. versu 6. Ergo multò minus à Papa, à Monachis & horum similibus, aliquid Euangelio addi posse aut debere, persuasum habeant, & Pontificiis suas nugas pernicioſas & somnia relinquant.

XXXVIII.

17. Concordia & iudicium Apostolorum, exemplo esse debet nostrarũ Ecclesiarum Pastoribus & Doctoribus. Atqui illi ab emissariis falsis fratribus, se non passi sunt scindi in contraria studia, sed Dei dona, ac imprimis efficaciam eius in Ministerio Collegarum, candidè agnoscebant, & magni faciebant, & operas partiebantur, vt & Iudæis & Gentibus consuleretur, pauperúmque haberetur ratio. ver. 7. 8. 9. 10. Itaque & nostros Pastores & concordiæ studere, παρεισκύτους ἀλλοτριοεπισκόπους non admittere nec audire: pauperum, peregrinorum fidelium, periclitantium ob piæ Religionis professionẽ, summa cura affici, decet: vt intelligant Aduersarii veræ doctrinæ, nos vnum in Domino sentire & loqui, Discant autem, & quorundam fratrum importunitatem, aut infirmitatem, patienter ferre: Deúmque orent, vt ipsis det pacis & humilitatis studium.

XXXIX.

18. Si ne quidem Petro Apostolo, non recto pede incedenti, vt veritati Euangelii conueniebat, suóque exemplo Barnabam & alios in eandem simulationẽ abripienti, eáque re fideles ex Gentibus offendenti, parcendum fuit, aut dissimulandum, quod grauiter peccaret: Multò minus Põtificiæ idololatriæ,

lolatriæ, errorúmque sentinæ, palàm & voce & Sophisticis scriptis patrocinantibus, parcendum fuerit.

Verum est quod antecedit, vt habetur v. 11. 12. 13. 14.

Igitur & Consequens est verum. Meminerint autem pij, bonã causſam, benè agendam esse: & si quando res postulat, graviter, eruditè, solidè, & ex præscripto verbi Dei, summáque cum humanitate & suauitate, doctrinam Euangelij tueantur & propugnẽt. Conuiciorum sputum, Sarcasmos, ἀδιλογίας ἐσθυμείας, Aduersariis, malæ causſæ patronis relinquant: ac si quando hisce armis aliquem ex iis vti senserint, repetant memoria illud veteris Historici Herodoti dictum, quod in Polymnia eius extat: Σὺ μὲν ἀποδεξάμενος ὑβρίσματα, ἐμὲ πέσοις ἀχήμονα ἐν τῇ ἀμοιβῇ γενέσθαι.

XL.

Ex iis, quæ iam dicta sunt, liquet, in sancta vocatione, per Euangelium Iesu Christi facta, nobis, omnibúsque aliis Dei filiis, libenter & constanter permanendum: Papismum fugiendum: vita & voce Euangelium profitendum, ornandum: & aduersus calumnias defendendum: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Basileæ, postridie Cal. Octobris, quo die Anno Christi Iesu 422. beatus Hieronymus Bethlehemæ obiit, anno ætatis suæ 91.

THESIVM ANALYTICARVM, DE
Epistola Pauli Apostoli, ad Galatas,
PARS TERTIA:
In qua de Iustificatione Fidei agitur: de ea autem in publica Disputatione,
18. Octobris, D. Ioan. Iacobo Grynæo Præside, respondit, tertij
Agonis Academici, σωὶ Θεῷ, adeundi sustinendíque gratia, eruditus piúsque Iuuenis,

IACOBVS ARMINIVS, HOLLANDVS.

AD

Nobilissimum Iuuenem, IOANNEM AB OMMEREN, Geldriensem, virtutum, stemmatum, & morum opt. laude florentem.

ἀσήλω.

Forma, color, decus, pereunt, ceu lilia: sed Mens
Luce Dei fulgens, non peritura manet.

VIRTVTVM ET INGENII LAVDE NON minus quàm stemmatum & nobilitatis splendore, nobili Iuueni, Dn. IOANNI AB OMMEREN, Geldrensi S. D.

POlycarpum celeberrimum Iesu Christi hieromartyrem, per omnem suam vitam, pro Ecclesiarum Christianarum pace, vnà cum familiaribus suis, ardentissimas ad Deum preces fundere consueuisse, Ecclesia Smyrnæorum in Epistola de illius martyrio, testatur.

Vtinam verò ipsi quoque, sancti illius Episcopi exemplo, PACEM, qua Ecclesiæ non minus, quàm sinistræ dextera, opus est, vt Basilius magnus alicubi dixit: nõ tantùm pijs precibus à Deo petamus, sed etiam summo studio sectemur & colamus: & eius retinendæ caussa parati simus, mores infirmorum Fratrum, & iniurias Hostium, patienter & eleganter ferre.

Sed ad pacis amorem, veritatis quoque studium, eiusq; tuendæ zelũ, accedere oportet: neque enim pax stabilis & diuturna esse potest, nisi immota veritatis basi nitatur. Ideo vox diuina edixit: DILIGITE VERITATEM ET PACEM.

Nihil autem mihi æquè semper visum est indecorum, & à sancta nostra professione magis alienum, quàm defensionem Euangelicæ doctrinæ aduersus eorum, qui à partibus Papæ Romani stant (quorum aliqui eruditione, facundia & modestia excellunt) Sophismata, ironijs, sarcasmis & conuicijs conspurcare. Hoc enim in Domino persuasum habeo, bonam caussam benè quoque esse agẽdam, & etiam in hoste virtutem magnifaciendam. De aduersarijs autem sanæ doctrinæ Deus, qui solus Iudex mundi est, statuet quod ipsi videbitur. Nostrum fuerit cum φιλαδελφίᾳ coniungere φιλαλήθειαν: & non solùm argumentis, sed etiam vitæ innocentiæ, tueri & profiteri Euangelium D.N. Iesu Christi.

Tuo autem laudato nomini, Nobilissime Dn. ab Ommerẽ, has Theses ideo inscribendas censui, vt extaret publicum testimonium, cum gratulationis, qua nobis ideo prosequendus es, quòd, Deo dante, cum stemmatũ & generis nobilitate pietatem, virtutem & ingenij laudes feliciter coniunxisti: tum etiam gratitudinis tibi debitæ, eo quòd liberalitate tua & erudita sententiarum collatione, Disputationum publicarum exercitia, promouere & ornare studes. Deus Opt. Maximus tibi det, vt per omnem vitam tuam diuino consilio feliciter seruias, ac Heroicis tuis Parentibus & Propinquis ornamento voluptatique, Reipub. autem præsidio sis. Bene Vale.

T. Ioan. Iacobus Grynæus.

PIA PHILIPPI MELANCHTHONIS PRECATIO AD FILIVM DEI, PIIS OMNIBUS assiduè repetenda.

Lecte, precor, nobis iratum Christe Parentem,
Qui vis pro nobis supplicis esse loco.
Et quam sparsisti prolatam ex mente Parentis
Deleri vocem ne patiare tuam.
Doctrinæq; tuæ studium, parumámque Sareptam
Doctrinæ hospitium protege quæso tuæ.
Et placidam clemens nobis concedito pacem,
Tuq; DVCVM mentes, tu populúmque regas.

DE IVSTIFICATIONE THESES.

I.

HANC doctrinæ Christianæ partem illustrissimam, in qua agitur de Peccatorum remissione, & de imputatione Iusticiæ Christi, Gentiũ doctor Paulus, demonstratiuè tractauit & persequutus est, initio facto à

cto à 15. versu Cap. 2. eiusque διεξόδῳ perducta, vsque ad finem ver. 22. in Cap. 3. Det nobis Spiritus sanctus, cuius hoc proprium munus & beneficium est, in omnem veritatem ducere, vt Pauli Apostoli vestigiis accuratè insistētes, & vt ille exotericus eleganter dixit: πάλαι κυνηγετοῦντες τὴν μετρόμυον ἴχνη τὰ κείνου νεοχάρακτ' amabilem & salutarem veritatis orbitam, Cynosuram verbi diuini vera fide accuratè intuentes, nunquam deseramus: & vt exemplo & institutione fideli, in eandem alios quoque inuitemus & adducamus, ad Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem.

II.

Propositum autem nobis est, bona fide, ostendere, primùm quidem, quæ olim fuerit Pseudoapostolorum de Hominis Iustificatione opinio, & quinam nostra ætate cum illis (mutatis nonnihil malæ, sed tamen vnius eiusdémque causſæ, fucis & coloribus) faciant: deinde verò, quæ fuerit Pauli sententia vera & immota de fidei iustificatione, & qui tandem nostra ętate eam retineant & orthodoxè profiteantur. Vbi enim de aduersariis istis sententiis, è diametro inter se pugnantibus, probè constiterit: & vera sententia, quam Paulus Apostolus defendit, solidè fuerit demonstrata, contraria imaginatio, fumi cuiusdam instar dissipab tur in auras, & euanescet.

Pseudoapostoli cum Euangelio Legem coniungentes, magnoperè contendebant, iustificari hominem, non Christi tantùm merito, sed etiam suo ipsius merito: vt qui opera Legis diuinæ, & traditiones Seniorum, studiosè obseruasset. Hāc opinionem, olim quidem Pelagiani, gratiæ Christi hostes, amplexi sunt: nunc eandem, proh dolor, Papisticæ τῆς ἑτεροδιδασκαλίας professores retinent, & σωὶ δορὶ, σωὶ ἀσπίδι, & omni Sophismatum genere, tueri conantur.

Paulus econtrà colligit, fide iustificari hominem, absque operibus Legis. Rom. 3. 28. Ei nos quoque, Dei beneficio, subscribentes, testamur, Causſam efficientem principem nostræ iustificationis, esse Deum Patrem. Roman. 4. 5. & 8. 33. Materialem esse Christum, Roman. 3. 22. & 4. 25. 1. Cor. 1. 30. Formalem, remissionem peccatorum & imputationē iustitiæ Iesu Christi, Rō. 3. 4. & 5. Finem vltimum, declarationem iustitiæ Dei, Rom. 3. 25. 26. Organicam, per quam annunciatur & offertur Euangelium, Rom. 1. 16. Organicam, qua apprehenditur & applicatur Christus cum omnibus suis meritis, esse fidem viuam, quæ per charitatem agit. Rom. 3. 30. Gal. 5. 6.

III.

Sedenim, vt iam piæ mentes videant, vt Vocationis (de qua proxima disputatione actum fuit) sic etiam Iustificationis respectu, tam eis integrum non esse, à Christianismo ad Papismum transire: quàm olim non licuit Galatis ad Iudaismum illum Samaritanum τὴν ξύμμικτον, trāsire: quod felix & faustum sit, eadem, quod dici solet, fidelia duos dealbabimus parietes, ac Christianam & orthodoxam de iustificatione fidei doctrinam, iis ipsis, quibus Paulus vsus est, demonstrationibus adhibitis, defendemus: & eadem opera Papistarum opinionem, quam à Pharisæis & Pelagianis πατροπαράδοτον habent & venditant, destruemus.

Vtrūq; autē σὺν θεῷ præstabimus, si Pauli sapiēter & solidè disputātis, Argu-

mentorum seriem, quam vulgò τὴν τῶν λόγων μέθοδον vocare solent, diligenter obseruauerimus.

IIII.

Primum Pauli argumentum, ductum ab exemplo iustificationis fidelium Iudæorum, exstat in vers. 15. 16.

Si, ne quidem nos Iudęi, ex operibus legis iustificamur: sed per fidem Iesu Christi: Tum sequitur, neque Peccatores ex Gentibus, ex operibus Legis iustificari. Non enim diuersi sunt iustificationis nostræ modi: sed vnus tantummodò idémque per omnia. Ideo dato vnico veræ iustificationis exemplo, constat quomodo cæteri fideles, ad vnum omnes, iustificati sint & iustificentur.

Verum est antecedens. Hoc lemma probat primùm, à sua ipsius & omniũ fidelium Iudæorum conscientia, qua ducti de iustificatione ex operibus desperantes: eo vno nomine in Christum Iesum crediderunt, vt iustificarentur ex fide Christi: deinde, veram sententiam (amplificatam & illustratam, tum ἀποφάσει, cum docet, qua ratione homo propter opera legis non iustificetur: tum καταφάσει, cum ostendit quomodo idem fide iustificetur) expresso Dauidis testimonio, quod τὸ καθόλε complectitur: Ex operibus legis non iustificabitur vlla caro. Psal. 143. 2. Genere enim vniuersaliter negato, summouentur & eius species. Nemo hominum (hi ob corruptionem ἐμφατικῶς caro vocantur) ex operibus legis iustificatur. Igitur nec Iudęi, nec alij ex Gentibus Peccatores ex operibus legis iustificantur.

Verum igitur est & consequens. Viderint igitur Pontificij, quomodo saluti suæ consulant? Nã si Iudæi, quorum vestigiis illi insistunt, iustificati nõ sunt ex operibus legis, & quòd seniorũ suorũ traditiones solicitè obseruarent: quomodo, te quæso, propter sua opera iustificabuntur, qui defunguntur partim impiis, partim superstitiosis, partim ridiculis operibus velut Eleusiniis quibusdam muniis? Annon autem profanatio Cœnæ Domini, quæ fit cum celebratur Missa, ἀφοσιωσία impia est? Annon impium est inuocare mortuos homines: superstitiosum cruce sese signare, ciborum dierúmque delectum religionis prætextu obseruare: ridiculum verò lustrali aqua sese aspergere, ad expianda venialia peccata: lucernam clara die statuis inanimatis accendere: loqui cum ligno & lapide?

V.

Secundum argumentum, quod à præcedente ortum ducit, causſamque finalem transitus ab Iudaismo ad Christianismum, indicat: Reductione ad absurdum & impossibile constat. vers. 17. 18, Si nos fideles ex Iudæis, dum neglecta operum iustificatione, quærimus iustificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores (sic vocat, non iustificatos: & per consequens, ne quidem sanctificatos.) Tum verò Christus peccati minister nobis fuit: hoc est, malè nobis consuluit, cùm à Lege ad Euangelium, à fiducia nostrorum operum ad solius gratiæ Dei πληροφορίαν, nos traduxit: cùm hęc omnia συλλήβδην ad perficiendam iustificationem nostri, videantur concurrere.

Consequens autem absurdum est: vt ostendit Paulus, primùm quidem μὴ γένοιτο, Absit, quo innuit illud extremè absurdum esse, cum Christus omnem adimpleuerit iusticiam, Matth. 3. 15. per illius vnius obœdientiam

tiam iusti constituantur multi, Rom.5.19. Deinde verò & hoc argumento ab effectu seu reditus ad Iudaismum à Christianismo, seu coniunctionis legis & fidei ad hominem, partim Christi, partim suo ipsius merito, iustificãdum. Quicunque ea quæ optimo consilio destruxit, pessimo rursum ædificat, is verò absurdè agendo seipsum transgressorem constituit, & leuitatis vanitatísque semetipsum redarguit. Atqui, inquit Paulus, si tuo, Petre, exemplo Iudaicè viuerem, qui Gentiliter iam diu vixi: Iudaismum prudenter destructum reædificarem, Christianismum eadem destruerem opera. Perinde enim est, siue quis cum illo hunc coniungere velit: siue hoc abdicato illum denuò sectetur & colat. Suum autem exemplum adducit, quòd illud magis in sensus incurrere, animósque hominum afficere posse, sciret: quàm pronunciata vniuersalia. Meipsum itaque transgressorem constituerem: quod ne faciam, modis omnibus cauendum mihi est: ne videlicet, quum aliis prædicârim, ipse reprobus fiam. 1. Cor. 9.27.

Colligimus itaque, etiam Antecedens verum non esse: nam ex vero nil nisi verum sequitur: vt habet καθολικὸν illud θεώρημα.

Porrò eadem planè causa nos quoque, qui eandem quam Apostolus nostér sententiam de Iustificatione tuemur, mouet, vt nunquam in æternum Pontificiorum opinionem, nobis nostrísque successoribus admittẽdam statuamus. Scimus enim per Dei gratiam, Christum Iesum nobis iusticiæ auctorem esse, non autem ministrum peccati: & lætamur nos fide iustificatos, inter peccatores non amplius censeri posse.

Vt ergo Paulus Pseudoapostolis respondit: sic nos, eandem cum istis crãbem recoquentibus Papistis, ac aliud nihil docentibus, quàm partim fide in Christum, partim operibus nostris, illius sanguine tinctis, hominem iustificari, respondemus, Si non ex asse fide Christi iustificamur, tum Christus nõ est iusticiæ auctor: sed peccati minister. Ratio, quia suis solius meritis iustificationis beneficium in solidum nos acceptum ferre vult. Consequens summè absurdum est. Igitur & Antecedens.

VI.

Secundi illius Argumenti ἔφοδος & expositio tradita est vers. 19.20. Docẽdi autem gratia, oportet nos hæc Theoremata Theologica præsupponere: 1. Hominem aut esse sub lege, aut sub gratia. Rom.6.15. 2. Hominem eius esse, cui viuit: eius non esse, cui est mortuus. Rom.7.9.10. 3. Legem homini dominari, quoad ipse vixerit. Rom.7.1.2.3. 4. Deum homini dominari, quoad Christus in eo vixerit. Gal.2.20. 5. Hominem regeneratum & iustificatum, Legi mortuum esse (per se) per Christum. Rom.7.4. 6. Eundem per Legem, Legi (per accidens) mortuum esse: quia eius terroribus compulsus, confugiat ad Christum. Galat. 2. vers.19. 7. Sicut, Viuere Legi & mortuum esse Deo, sese respiciunt: ita Mortuum esse Legi, & viuere Deo, itidem sese respiciunt. Idem, verbi gratia, Paulus Iudaismum olim sectans, homóque animalis ac vetus creatura, Legi viuebat, Deo autem mortuus erat: posteaquam autem Christianismum amplexus est, homóque spiritualis, ac noua creatura factus est, Legi mortuus, Deo viuere cœpit. Desiit itaque prioris esse, videlicet Legis: vt esset posterioris. nempe Dei: desiit esse sub Lege, quia cœperat esse sub gratia. Ista si cui in Paulina Theologia minus per ætatem versato, difficilia videbuntur, is accuratè multúm-

que cum præsenti loco conferat capita duo epistolæ ad Rom. 6.& 7. & meminerit etiam hîc locum esse prouerbio:Difficilia,quæ pulcra.Sed ad rem.

Non ratiocinatur Paulus, decet me μεταμεληθέντα,ad id redire & ab eo iustificationis beneficium expetere,cuius non amplius sum : sed ei constanter adhærere,& ab eo iustificationis & sanctificationis dona accipere,cuius iam sum,& in æternum ero.Fateor enim,mei iuris nec vnquam fuisse,nec etiam esse,aut posthac vnquam fore.1.Cor.6.19.20.

Ego verò nequaquam sum legis : (Ratio prima,nam ei sum mortuus, vt Deo viuerem.v.19.Ratio secunda,nam vnà cum Christo crucifixus sum:& à Legis maledictione liberatus.v. 20.)sed sum Christi Iesu:id autem euidenter ex eo colligi potest, quòd viuo ego , non amplius idem ψυχικὸς ἄνθρωπος, animalis homo,qualis ante regenerationem eram : sed viuit in me Christus, posteaquam nouus homo & spiritualis factus sum , per illam nouam creationem,quam Paulus καινὴ κτίσιν vocat,Galat.6.15.

Non igitur par est,me à gratia ad legem , à Christianismo ad Iudaismum reuerti:sed potius Christo Iesu, cuius solius in me viuentis sum , constanter adhærere,& per eius vnius nomen accipere peccatorum remissionem,&c.

VII.

Subiungit autem Paulus,eodem v.20. Occupationem,vt diluat in transcursu obiectionem,contra Minorem,in qua de se non amplius viuente, & de Christo in se viuente & regnante , piè gloriatus fuerat : Qui in carne adhuc viuit,is nec se non viuere:nec Christum solum in sese viuere, gloriari potest.Tu Paule adhuc viuis in carne.Ergo,&c.

Respondet Paulus, Vt in eodem homine regenito externum & internum hominem vos agnoscere oportebat,2.Cor.4.16.sic in eodem, vitam naturæ & vitam gratiæ , ex suis quanque effectis deprehendere & dignoscere conueniebat.Fateor me adhuc vitam naturæ ducere,in carne, seu corpore meo mortali:ac eius πάθεια sunt Motus & Sensus:sed illa non obstante,Christus in me quoque viuit,per Spiritum suum,qui in me habitat:ac huius vitæ documenta sunt fructus spiritus,de quibus Gal.5.22.Principia autem vitæ spiritualis hæc adducit:Efficientem principem,Christum Iesum : Instrumentalem famulantem,fidem quæ apprehendit , & homini fideli applicat Christum,qui vita nostra est:προσωπολήψιαν, dilectionem Christi erga nos,quam tum multis aliis modis declarauit , tũ verò præcipuè seipsum pro nobis tradẽdo.

VIII.

Iam verò si nos ipsi quoque,Legi diuinæ mortui sumus , vt Deo viueremus:si vnà cum Christo crucifixi sumus, si non amplius ipsi viuimus,sed viuit in nobis Christus , sic vt non magis nos exhilaret vita animalis & naturalis, quàm dulcissimus ille sensus vitæ gratiæ : quis pius & prudens dubitet, nos quoque Pauli exemplo , Christo Iesu soli(cuius iam sumus,quique solus sapientia,iusticia,sanctificatio & redemtio nobis factus est. 1.Cor. 2.29.) adhęrere,ac multò minus ad Papatũ bona conscientia transire posse , qui ex meris hominum commentis conflatus est : & sicubi merita sanguinémque Christi venditat,eum tamen cum meritis Monachorum & Sanctorum,sanguinéque Martyrum impiè confundit ac permiscet : quàm olim fideles portuerint

uerint ad veteris Testamenti pædagogiam, rudimenta & vmbras rerum futurarum, quas his adimpletis euanescere oportuit, redire?

Vera sunt quæ antecedunt: Etenim quotquot baptizati sumus in Christũ Iesum, in mortẽ eius baptizati sumus. Sepulti sumus vnà cũ eo per Baptismũ in mortẽ: vt sicut excitatus est Christus ex mortuis in gloriã Patris: ita & nos noua vita ambulemus. Rom. 6.3.4. Mortui sumus & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Col. 3.3. Sumus sub gratia, non sub lege ac huius nostræ felicissimæ conditionis testem habemus Spiritum sanctum: qui in nobis carnem quidem mortificat, Spiritum autem viuificat.

Igitur & quæ consequuntur vera sunt. Fugiamus itaque Antichristiana seu Papalia commenta, quæ nos à Christo abstrahunt, quasi partim nostri ipsorum, partim Sanctorum iuris essemus: & vni Christo Iesu adhæreamus: nam is solus traditus est in mortem propter offensas nostras, & est excitatus propter iustificationem nostri. Rom. 4.25.

IX.

Tertium Pauli Argumentum, itidem constat Reductione ad impossibile, quia ἀναποδεικτικὴ disputatio est. vers. 21. Præmittit autem Apostolus propositionem, qua testatur, se non abrogare Dei gratiam, cuius per Euangelium factus esset particeps, posteaquam omisso Iudaismo, ei fidem habere cœpisset. Neque enim fastidium gratiæ Dei: nec sancti propositi, pœnitudo esse debet. Subiungit deinde hanc demonstrationem, quam opponit iis qui Legem cum Euangelio coniungẽtes, partim Christi, partim suis cuiusque meritis, Iustificationis palmam deferebant: id quod & Pontificii, quicquid dicant, reuera quoque faciunt.

Si per Legem est iusticia, hoc est, si propter operum Legis præstationem iustificamur, igitur Christus sine caussa mortuus est. Nam bis per omnia dissident, satisfactio propria, & ea quæ per alium fit.

Atqui consequens est absurdum. Vt maximè enim Sophistæ absurdi euitandi gratia vtantur exceptione, Non dici posse Christum sine caussa mortuum, cum nõ modò ab illo nostra merita ortum ducant, sed etiam id quod eis deest, Christi meritis suppleatur: tamen non assequuntur id quod quærunt. Etenim, vt gratia Dei, (quæ vt est planè indebita, ita sola nos seruat) opponitur operibus: Roman. 4.4. & 11.6. ita mors Christi, ἐκ δικαιότητος opponitur meritis nostris: sic vt his positis, necesse sit illam (quæ cum his coniungi aut permisceri nequit) vt non necessariam tolli.

Est igitur etiam Antecedens absurdum. Vident itaque Papistæ, nos propter gloriam gratiæ Dei, & meritum mortis Christi Iesu, non posse vnquam ad eos transire, & dogma illorum, quo sanguis Christi conculcatur, dum merita eius cũ humanis meritis cõfunduntur, amplecti. Etenim, vt præclarè dixit Ambrosius, gratia Dei aut tota suscipitur, aut tota reiicitur. Ideo qui partẽ promereri vult suis operibus, & partẽ habere ex Dei gratia, is totã gratiã abiicit. Ad eos enim ablegãdus nobis est, de quibus Paulus grauissimè dixit: Ignorantes Dei iusticiã, & propriam iusticiam studentes constituere, iusticiæ Dei non fuerunt subiecti. Roman. 10. 3. Meritò autem dubites, maior ne sit istorum ingratitudo erga Dei gratiam & Christi merita, an verò superbia ob persuasionem de propria iusticia?

Neque verò Pontificiis prodeſt illud χρησφύγετον commenticium: Paulus, aiunt eorum quidam, Legi Ceremoniali ſolùm derogat vim iuſtificandi: nõ autem Morali. Pſeudoapoſtoli enim non de Ceremonialibus legibus ſolis pugnabant: & Paulus à Circumciſione tanquam ſpecie exorſus, ad genus digreditur, ac docet omnia in vniuerſum Legis opera non iuſtificare, cùm nemo Legi plenè ſatisfaciat. Porrò, rectè quidam monent, reductionem ad abſurdum hîc valere, ſiue de parte Legis, ſiue de tota Lege loquaris: cum ſemper idem ſequatur abſurdum, nempe ſine cauſſa Chriſtum mortuum eſſe, ſi detur vel per totam Legem, vel per partem eſſe iuſticiam. Et hæc quidem de capite ſecundo.

X.

Accedimus iam, σὺν θεῷ, ad cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas, in cuius parte maxima, idem iuſtificationis argumentum tractat Apoſtolus noſter.

Argumentum quartum Pauli, traditum verſ. 1. tale eſt.

Exempla ſpiritualis faſcini, quo aliis olim impoſitum eſt, ſic vt veritati aliquandiu non obſequerentur, ſcripta ſunt ad noſtri admonitionem, in quos fines ſeculorum occurrerunt. 1. Cor. 10. 11.

Atqui Galatæ, præſtigiis Pſeudoapoſtolorum olim faſcinati, meritò eius rei cauſſa ἀνόητοι, amentes, à Paulo dicti ſunt: vt qui veritati cognitæ aliquandiu non obſequerentur: tametſi fideli præconio Pauli, vſque adeò viua Redemtoris Chriſti imago ipſis eſſet repræſentata, ac ſi ſuis oculis Galatæ Chriſtum pro ſe crucifixum: iam iam λύτρον ſanguinis perſoluentem, coràm intuiti eſſent.

Quare & nos ſummo ſtudio cauere decet, ne faſcinum Papiſticum nos amentes, & veritati refractarios efficiat. Nam & nobis, inæſtimabili beneficio Dei Chriſtus, piorum Paſtorum præconio, ſuis coloribus ad viuum ſic eſt depictus, ac ſi inter nos crucifixus foret. Eſt autem diabolicum faſcinũ, confuſio iuſticiæ fidei & operum: ac veritatis perduelles ſunt, quotquot à Chriſto agnito, ad operum iuſticiam fiduciámque deficiunt: ideo & illud detegendum, & hi præcisè à piis Paſtoribus & Doctoribus reprehendendi ſunt: vt ſint ſani in fide. Tit. 1. 13.

XI.

Quintum Argumentum, interrogatione ἐνεργείας καὶ ἐπιπάσεως cauſſa conſtans, occurrit ver. 2. & ducitur ab effectu. Vocat autem Paulus Spiritum, χαρίσματα, ſeu dona ſpiritualia, quibus in Galatarum animis obſignata erat Euangelij doctrina, de gratuita remiſſione peccatorum & imputatione iuſticiæ Chriſti.

Non ex alio fonte promanant dona ſpiritualia, velut effecta, quàm ex eo è quo ortum ducit & Iuſtificatio, tanquam cauſſa.

Atqui dona illa ſpiritualia, veſtra ipſorum experientia edocti, ſcitis vos obtinuiſſe non ex operibus Legis (illis enim tantiſper carendum vobis fuit donec horum ſectatores fuiſtis) ſed ex fide per auditum percepta. Pulcrè autem huc faciunt verba Lucæ, de Cornelio & eius familiaribus, Petrum Apoſtolum euangelizantem audientibus: Adhuc loquente Petro verba iſta, illapſus eſt Spiritus ſanctus in omnes, qui audiebant hunc ſermonem. Act. 10. 44. Cæterùm hîc non ea ſolùm χαρίσματα, ſeu dona intelligenda ſunt, quæ

vel

vel miraculis patrandis,vel Ministerio Ecclesiæ seruirent : sed inprimis ea, quæ nostræ instaurationi conducunt,in quorum numero sunt, fides, spes, charitas,summissio,patientia,&c.

Fateamur itaque id quod res est,non ex operibus legis,sed fide(cum fidei κατ' συνεκδοχὴν meminit, subintelligit omnes alias principes causas nostræ Iustificationis)nos iustificari.

Alii quidam existimant argumentum ductum à Spiritus sancti testimonio,sic vt eius hæc sententia sit. Quum ipsemet Spiritus sanctus testetur,nõ ex operibus,sed ex fide,esse iusticiam:non est reliquus locus contrariæ imaginationi.Sed prior argumentatio,loco isti magis quadrat.

XII.

Sextum Argumentum,vers.3.ab absurdo,quod est à melioribus ad deteriora deficere:contra Prouerbium: δευτέρων ἀμεινόνων, Amentia est, cum Spiritu prudenter inceperis,per σαρκὶ pernitiosam , carne (id est,operibus) perfici velle.Vos Galatæ,fide confugientes ad Iesum Christum Saluatorem Mundi,Spiritu prudenter & feliciter cœpistis:Foret itaque amentia , carne perfici velle.

Hæc eadem causa nos quoque à Papatu deterret. Etenim,Dei dono,ipsi quoque spiritu cœpimus,firmiter persuasum habentes,de Christo Iesu Domino nostro,non esse in alio quoquam salutem. nec enim aliud nomen est sub cœlo , quod datum sit inter homines , per quod oporteat nos seruari. Act.4.12. Quæ igitur amentia foret,carne,id est,operibus ceremonialibus & traditionibus Paparum & Pseudepiscoporum,perfici velle: hoc est, legẽ & traditiones humanas præferre Christo. Hoc enim est non progredi , sed regredi:non proficere,sed plurimum deficere,à fide resilire ad legem:à Christo,ad nos ipsos.

XIII.

Septimum Argumentum,ab incommodo (quo vehementer alioquin ij offenduntur,qui sese ab impostoribus circumuentos, aurea æreis , salutaria noxiis,vera falsis,permutauisse,tandem sentiunt.)duci,in 4.versu,rectè quidam docti Theologi autumant.

Exempla alienorum errorum & incommodorum , nos commouere debent,ne ad eosdem impingamus lapides.

Galatæ,pro tuenda Iusticia fidei initiò plurima passi sunt:postea verò relapsi ad operum Iusticiam , frustra sese passos esse , suo ipsorum indicio prodiderunt.

Ergo , cùm nostris Ecclesiis , sinceræ & incorruptæ doctrinæ Euangelij professio,non solùm voce & scriptis,sed etiam sudore,periculis & sanguine multorum millium Martyrum,constiterit : quæ tandem dementia, quis furor esset,ad Papisticum redire vomitum,cœnique volutabrum?

XIIII.

In versu 5.non solùm ἐργασία est quinti Argumenti,de quo suprà , versu 2. diximus:sed etiam aliud ab eo distinguendum,respectu regenerationis , & aliorum Spiritus sancti donorum , quibus illa ætate Ecclesiæ opus erat. In horum numero fuerunt Miracula, Linguæ, δύναμις ἐνεργημάτων , & alia,quæ & ornamento & præsidio erant Ecclesiæ.

Octauum itaque Pauli Argumentum huiusmodi est:

Nec alius auctor est, tum regenerantis gratiæ & virtutum Spiritus sancti, tum Iustificationis: nec licet comminisci diuersos modos collationis istorum donorum, aut ab eo, qui Deo placuit, abscedere.

Deus verò, & Spiritum vobis subministrauit, vt fontem donorum: & in vobis iam efficit virtutes, hoc est, non solùm regenerat vos, & est in vobis efficax: sed etiam per quosdam è vobis stupenda opera edit: idque non ex operibus legis, sed ex fide per auditum percepta.

Idem igitur & vos iustificat, non ex operibus, sed fide, nec vult vos vel latum vnguem ab hac sententia discedere. Meminerimus autem ista hæc non Galatis tãtùm, sed etiam nobis esse dicta. Etsi enim non nisi ea χαείσματα, quæ ad regenerantem gratiam pertinent, nobis cum Galatis communia sunt: tamen, cùm miraculis Euangelium olim satis sit confirmatum, hæc præstandi ἀδυναμία nobis nullo est præiudicio, quicquid tandem Pharisæorum exemplo, signa flagitantes Pontificii, nobis obiiciant.

Adscribam autem Ioan. Chrysostomi verba, quibus ostendit, Pseudoapostolos fidei legem adiungendam censuisse, id quod Pontificiorum Doctores opinari, res ipsa testatur. *Cum tantum donum adepti sitis, vt & miracula ederitis, vtrum quia legem seruastis, ideo ista faciendi potestate dignatus est vos Deus, an per fidem? Non dubium est, quin per fidem. Quoniam enim sursum deorsum hoc vertebant illi, & vbique iactabant dicentes, fidem non valere nisi adiuncta lege, Paulus contrà demonstrat, additis præceptis, fidem iam nihil profuturam. Tunc enim valet fides, quum nihil accesserit ex lege. Quicunque enim, inquit, in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Hactenus ille.

XV.

Nonum Argumentum, traditum est vers. 6. 7. 8. 9.

Si credentium Pater Abraham, fide iustificatus est: si etiam qui ex fide sunt, in censu filiorum Abrahæ sunt: si denique promissio de benedictione etiam ad omnes fideles ex Gentibus, spectat: tum sequitur, fide, non operibus, fideles tam ex Circumcisis, quàm ex Gentibus, benedictionis diuinæ, cuius species est iustificatio, participes fieri.

Vera sunt quæ antecedunt omnia. Etenim iustitiæ donum Abrahæ, secundum promissionem fidei τὴν πληροφορίαν apprehensam, gratuita imputatione collatum esse, auctor est Moses, Genes. 15. ver. 6. Porrò, Abraham Patrem esse omnium credentium, Paulus, Rom. 4. v. 12. ac nobis quoque fidem imputari pro iusticia, eodem cap. vers. 23. 24. pulcrè & euidenter ostendit. Postremò, benedictionem ad omnes fideles ex Gentibus pertinere, probat Mosis testimonio, Genes. 12. 3.

Vera igitur & immota sunt quæ consequuntur, vt vers. 9, Syllogismum trimembrem concludens, his verbis Apostolus indicat: Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham.

Quòd ergo ad pontificios nemini nostrûm transeundum esse, statuimus, mouemur his grauissimis rationibus. I. Quia alium, quàm per gratuitam iustitiæ Christi imputationem, iustificationis modum nobis illi obtrudũt, eum videlicet qui est mercedis operibus debitæ. II. Quia nos sua παιδαγωγία è numero filiorum Abrahæ subducerent, qui credunt, & sunt sub gratia: & adiungerent iis qui frustrà operantur, & adhuc sunt sub maledictione legis,

gis, Rom.4.3.4.5. III. Quia benedictionis priuilegio & promissione nos spoliare conantur. Hæc enim non nisi credentibus data est, vt disertè docet Paulus, Galat.3.9.

XVI.

Decimum Argumentum, vers.10. tale est: Contrariorum contraria sunt consequentia. Atqui quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt: propterea quòd legi non satisfaciunt. Hanc Minorem Paulus probat testimonio Mosis, Deutero.27.vers.26. Ergo quicunque ex fide Christi sunt, benedictionis sunt consortes. Est autem inter diuinæ benedictionis formas præstantissimas, & iustificatio gratuita.

XVII.

Vndecimum Argumentum, versu 11.traditum, tale est: Aut per legem iustificamur apud Deum, aut ex fide. Hæc διαίρεσις est verè ἄμεσος. Nemo autem iustificatur ex lege apud Deum. Iustificamur igitur ex fide. Minor non solùm ex præcedenti versu nota est, sed etiam ex oraculo Domini, quod extat apud Habacucum cap.2.4. Eadem re & viuimus & iustificamur. Viuimus autem fide, non legis beneficio. Nemo ergo ex lege iustificatur.

XVIII.

Duodecimum Argumentum à præcedente pendens, versu 12. tale est: Fide iustificamur & viuimus: id est, cùm fide amplectimur promissionem gratiæ, Iustitiæ imputatæ Vitæque dona accipimus. Hanc Propositionem omisit Paulus, sed κατ' ἐναντίωσιν subintelligi debet: Lex non est fides, seu, Lex nō est ex fide. Hanc Minorem à se traditam probat testimonio Mosis, Leuit.18.5. Nam lex flagitat puram, perfectam & perpetuam obedientiam, quam nemo vnquam, præter Christum Dominum, præstitit: ideò nemo lege viuit. Fides autem in promissione gratiæ suauiter & tutò acquiescit. Sequitur, legis beneficio nos minimè iustificari.

XIX.

Decimum tertiū Argumentum, versu 13. hoc est: Iustificatio, non ei qui nos execrandos esse pronunciat, tribui debet: sed ei qui redemit nos ab execratione, ac nobis benedicit. Est enim hoc proprium eius qui nos iustificat, execrationis quidem ingens malum à nobis auferre: benedictionis autem inæstimabile bonum nobis conferre. Lex autem nos execrandos, ob transgressionem eius, pronunciat: Christus econtrà, nos redemit ab execratione legis: nobísque vbertim benedicit omni benedictione in cœlestibus. Ergo, non lex, quæ videlicet nobis maledicit, nos iustificat: sed Christus, qui nobis auctor est benedictionis illius spiritualis.

Minorem probat Paulus: Nemo alius nos redemit ab execratione legis, quàm qui factus est pro nobis execratio, κατάρα, victima piacularis, tollens peccata Mundi. Atqui Christus crucifixus, factus est pro nobis execratio: iuxta dictum Mosis, Deuteron.21.vers.23. Solus igitur ille nos redemit à legis execratione.

Posterius eiusdem Minoris lemma, de benedictione, ἐργασίᾳ illustrat, & τῇ ἐπαγγελίᾳ probat Paulus, ver.14.

Rectè dicitur auctor benedictionis illius ſpiritualis, qui ideò ſuſtulit maledictionem, vt Abrahæ & poſteris eius promiſſam gratuitam benedictionem, Gentibus per fidem conferret: & Spiritum, id eſt promiſſam Euangelij gratiam, Iudæis itidem per fidem largiretur.

Vtrumque horũ & præſtitit & præſtat Chriſtus Dominus, & quidẽ ſolus.

Certum itaque eſt, eum ſolum eſſe vtriſque benedictionis exoptatiſsimę, vnicum auctorem.

XX.

Quòd autem videret Paulus, in proximè præcedentis Syllogiſmi Minore, ἀπορίαν ineſſe, Siccine cenſendum nobis eſt, eiuſdem benedictionis participes eſſe Gentes & Iudæos? vt ei quoque ſatisfaceret, à fortiori ſic Argumentum decimumquartum ducit, verſib. 15. 16.

Si non licet reſcindere ritè pacta inter homines, nec etiam fas eſt iis quicquam addere: multò minus pacta inter Deum & ſelectiſſimos ſeruos eius, temerariis præiudiciis quodammodò reſcindenda ſunt.

Atqui Deus promiſſiones dixit Abrahæ & ſemini eius. Hîc addit Paulus ἐφ' ἑνός, verſu. 16. qua docet, in ſemine Abrahæ cenſeri etiam fideles ex Gentibus. Si quidem dixiſſet (multitudinis vſus numero) Et ſeminibus: tum videri poſſet alia Iudæorum, alia Gentium conditio. Atqui non dixit, Et ſeminibus, vt de multis: ſed vt de vno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

Ergo, cum iam conſtet in ſemine Abrahæ cenſeri etiam Gentes, non mirum aut abſurdum videri debet, quòd diximus promiſſionem de benedictione Abrahæ & ſemini eius factam, non minus ad fideles ex Gentibus, quàm ad fideles ex Iudæis pertinere. Et per Conſequens, eodem modo vtroſque iuſtificari, fide nimirum ipſis ad iuſticiam imputata.

Porrò illud ἐν Χριστῷ Iuniores obſeruare velim, Chriſti nomen, hoc quidem loco, collectiuè ſumtum, de Chriſti capitis & totius Eccleſiæ coniunctione: vt & 1. Cor. 12. 12. & Coloſſ. 1. 24. Eius enim ratione (imagine alia) Eccleſia dicitur in Chriſto συναρμολογουμένη, congruentur coagmentata creſcere, vt ſit templum ſanctum Domino. Epheſ. 2. 21.

XXI.

Decimum quintum Argumentum occurrit in verſ. 17.

Pactum, quod Deus ſemel ὑπ' ἀμεταμελήτως confirmauit, irritum fieri per aliud ſubſequens, non poteſt: cum non ſit ex eorum genere, quibus aliquid derogari vnquam poſſit.

Talis autem eſt pactio illa cum Abrahamo inita, & antè confirmata, reſpectu Chriſti. Anno Mundi 2024. Ante Chriſtum natum 1947.

Non eſt igitur, cur opinemur Legem, quæ poſt annos 430. cœpit (incidit illuſtris illa & modis omnibus commemorabilis Νομοθεσία, ſeu legis diuinæ, in monte Sinai, promulgatio & repetitio, in annum ab orbe condito 2454: ante Chriſtum natum 1517. Exod. 19. & 20.) pactionem illam irritam facere, & abolere promiſsionem de benedictione & iuſtificatione gratuita ſeminis Abrahæ.

XXII.

Decimum ſextum Argumentum, verſ. 18. extat.

Cer-

Certissimum est, non aliunde ortum ducere iustificationem, quàm ex eo principio, à quo & eius finis, videlicet hæreditas vitæ æternæ proficiscitur. Ac non nisi iustificati, hæredes sunt vitæ sempiternæ.

Atqui hæreditas non est ex lege: nam Abrahæ per promissionem gratificatus est Deus hæreditatem: quæ tota gratuita est.

Quare & eam antecedens Iustificatio non ex lege est: sed ex promissione, quæ itidem est gratuita.

XXIII.

Versu 19, diluit Apostolus Sophisma, τί οὖν ὁ νόμος; Si ex lege nō est neque iustificatio, neque hæreditas, tum lex frustrà est lata: quod est absurdum. Respondet Apostolus, legem non repetitam hominibus iustificandis: sed vt transgressionum varietate & magnitudine demonstrata, ad Christum benedictum semen, Patribus promissum nobísque præstitum, adduceret omnes fideles.

Quid autē aliud respōdendū est Pontificiis, dicētibus: Si opera bona (quorum canon extat in lege Dei & in Traditionibus Ecclesiasticis) non faciunt ad nos iustificandos, frustrà iis operam damus, quàm quod hîc docuit Apostolus, legis videlicet eam esse perfectionem, operum verò bonorum, quæ vtcunque præstamus, eam esse imperfectionem, vt nisi etiam studiosissimi bonorum operum, ad Dei Patris misericordiam & Christi merita confugiamus, actum sit de salute nostra?

Addit autem Paulus ἐν χειρὶ, qua docet, Angelos quidem in illa solenni legis diuinæ repetitione, ministros fuisse Dei legislatoris: Mosen autem internuncium inter Deum & Israelitas. Rectè autem posterius colligitur ex hac phrasi: Per manum internūcij: quam non αὐτοχραποιικὸν filij Dei potestatem, sed dispensationem seruo congruentem, significare, nos ex eo colligimus, quòd memoriæ prodidit Moses, Exod. 20. 19. Israelitæ dixerunt Mosi: Loquere tu nobiscum, & obsequemur: & ne loquatur nobiscum Deus, ne fortè moriamur.

Cum autem dicit Paulus: Internuncius autem, vnius non est, hoc sibi vult: Vt olim cum lex esset repetenda, Moses internuncius fuit, ὡς διάκτωρ, inter Deum & Israelitas: sic inter genus humanum quod erat reum, & inter Deū iratum, μεσίτης ἢ ἰκέτης est Iesus Christus, ὡς υἱὸς ὂν ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. Heb. 3. 5. 6. Vnde liquet, internuncium vnius non esse.

Cæterùm, eo consilio Deum vnum esse, subiungit Paulus, vt ostendat sibi similem semper constare, ἀναλλοίωτον, immutabilem esse: ac proinde pacta non rescindere, ideo non esse cur de æterni illius pacti firmitate quisquam dubitet.

XXIV.

Contra illud quod dixerat Paulus, Deum esse vnum, sibi similem, apud quem non sit transmutatio aut conuersionis obumbratio, obiiciebant Pseudoapostoli, doctrinæ hactenus traditæ, refutandæ caussa: Non semper sibi constat, qui auctor est sententiarum repugnantium. Deus autem promissionibus gratuitis de benedictione sua adiunxit legem eis repugnantem. Ergo nec ipse sibi cōstat, & nec promissiones Dei subsistere possunt addita lege.

Respondet Apostolus χτ Ciaiov : Immò Lex addita non est aduersus promissiones Dei: vt vos fingitis.

Sic autem argumentatur à fine legis, v.21. Si data fuisset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iusticia : ac tum videri possent promissiones per legem antiquatæ & abrogatæ. Etenim, à quo dependet effectus, videlicet viuificatio, ab eodem pendet etiam causa, nempe iusticia. Atqui non data est Lex quæ viuificare posset. Rectè igitur Antecedente remoto remouetur & consequens, & negatur quòd ex lege sit iustitia : hoc est, quòd lege, seu operibus iustificemur.

Minorem probat Paulus, versu 22. ab effectu diuerso. Longè aliud est, cõcludere omnia (id est, omnes, homines) sub peccatum, aliud viuificare. Lex seu Scriptura, omnes reos peragens & conuincens ac damnans, concludit sub peccato. Non igitur viuificat lex, & per consequens, neque iustificat.

XXV.

Illustrabitur autem Argumentum istud, si à fine legis, ex præscripto posterioris hemistichii, ita formetur:

Si ideò Scriptura occidens, seu lex, omnia sub peccato concludit, vt id quod promissum est (verbi gratia, iustificatio & viuificatio per Christum) ex fide Iesu Christi daretur credentibus: tum non addita est lex aduersus promissiones Dei. Hoc enim efficit, vt scientes quòd non iustificentur per opera legis, in Christum Iesum credant, vt ex eius fide iustificentur.

Verum est quod antecedit, vers.22.

Non igitur lege tollitur promissio gratiæ.

XXVI.

Ex ijs, quæ hactenus dicta demonstratáque sunt, manifestè liquet, Pontificios, cum vnà cum Pseudoapostolis eandẽ, falsam tamen illam & perniciosam hypothesin de iustificatione defẽdere conẽtur, & μίγμα quoddã fidei & operum, gratiæ Dei & humanorum meritorum, sanguinis Christi & sanguinis Martyrum, fingant : nobis propter gloriam gratiæ Dei, propter mortis sanguinísque Iesu Christi meritum & honorem, denique propter salutem animarum nostrarum, fugiendos & modis omnibus improbãdam esse ipsorum opinionem: id quod demonstrandum nobis erat. Dominus Iesus in via veritatis nos regat & tueatur: errantes, quos ipsi placet in viam reducat: Sophistas contumaces confundat Amen. Basileæ, 10. Octob. qua die olim festum expiationis Israelitæ celebrarunt. Anno Domini 1582.

PRO

PRO ECCLESIA CHRISTI ADHVC militante, Philippi Melanchthonis, precatio.

Te maneat semper seruante Ecclesia Christe:
Insertósque ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide seruas,
Rex vbi præsentem te videt esse Deum.

Cauſſæ cur minus D. Philippus exhorreſceret mortem, cõſignatæ in quadã Charta, paulò ante ſuum ex hac vita diſceſſum. Collocârat à

- Dexteris
  - Deſiderium clari conſpectus Dei, & lucis æternæ in quam eſſet venturus: vbi viſurus eſſet coram Deum & Filium Dei: perſpecturus illa mirãda arcana de Deo, & de Trinitate: de cõſilio Patefactionis diuinæ & reſtitutione generis humani per & propter filiũ Ieſum Chriſtum: & cognitionis cauſſas: cur ſic cõditi ſimus.
- Siniſtris
  - Liberationem à toto peccato: & à miſeriis & ærumnis vitæ huius: & ab odiis quorundam hominum.

DISCE MORI VT SAPIAS.

THESIVM ANALYTICARVM, DE Epistola Pauli Apostoli ad Galatas:

PARS QVARTA:

In qua agitur de Gubernatione Populi Dei, & de Veteris & Noui Testamenti discrimine: De ea autem in Disputatione Publica, respondit Optimarum Artium Magister, GREGORIVS BRANDMYLLERVS, *Basilienſis, Præside*

IOANNE IACOBO GRYNAEO.

Psal. 118.17.18.

Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Iah. Corripiendo corripuit me Iah, at morti non tradidit me.

DE GVBERNATIONE POPVLI DEI, & de obedientiæ Deo debitæ exercitiis, Theſes.

I.

SAPIENTIA Dei, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & imperueſtigabiles viæ (Rom. 11.33.) clariſsimè lucet, non ſolùm in gubernatione omnium rerum, quas pulcerrimum hoc mundi Theatrum complectitur: ſed etiam in miranda ſanctificatione & gubernatione Eccleſiæ, quæ eſt totius humani generis flos & decus. Decet itaque pias mentes accuratè obſeruare, qua ratione Deo viſum ſit, inde vſque ab initio generis humani, æternam Eccleſiã colligere & gubernare, ἔσωθεν quidem, per illuminationem, vnctionem & gubernationem ſancti Spiritus: ἔξωθεν verò, per Verbi & Sacramentorum diſpenſationem? Quomodo peculium illud ſuum, gentémque ſanctam, certis quibuſdam Pietatis in primis, deinde & τὴ σωματικῆς γυμναστίας exercitiis à ſe præſcriptis, in officio continuerit? Quo cultu potiſsimum delectetur Deus? In his enim & Piorum ſapientia ſumma poſita eſt. Oro autem Filium Dei, qui eſt æterni Patris Sapientia, ὁμοούσιος, συναΐδιος καὶ ὁμότιμος, vt eam nos doceat ſapientiam, ad gloriam ſuam, & ad noſtram inſtitutionem, Amen.

2. Hæc autem omnia initiò δεῖ κεφαλῆθεν, Primùm, Eccleſiam ſemper regi à Capite ſuo, de quo dicitur: Ieſus Chriſtus hodiè & heri idem eſt, & in ſecula. Heb. 13.8. Secundò, Gubernationis Eccleſiæ duas eſſe formas, temporum διαθήκαις diſtinctas, Alteram quidem παιδαγωγικὴν, quæ veteris Teſtamenti, ac infantiæ iuuentutísque Eccleſiæ propria olim fuit: Alteram verò ἐλευθέριον καὶ τελειοποιὸν, quæ etiam nunc Noui Teſtamenti & virilis ætatis ac ſenectutis Eccleſiæ eſt peculiaris. Tertiò, In vtraque forma διοικήσεως ſeu adminiſtrationis Eccleſiæ, ac in earum exercitiis, Literam ſpectandam eſſe & Spiritum. Literam autem vocamus, externa obedientiæ debitæ Deo, & cultus diuini, σχηνώματα, quibus externum hominem defungi oportet, ne ſit deſes, néue negligat finem, propter quem conditi & redemti ſunt homines, gloriam

gloriam videlicet Dei sui. Spiritum appellamus, internam obedientiam cordis, quæ & fidei dicitur, Rom. 1.5. & à Paulo Apostolo, aliàs λογικὴ λατρεία, rationalis cultus, Rom. 12.1. aliàs, εὐσέβεια, pietas ad omnia vtilis, nuncupatur. Hunc cultum Deo, τὸν ἔσω ἄνθρωπον, interiorem hominem: seu τὸν νοῦν, Mentem, prælucente fide & agnitione Mediatoris Christi, præstare, Paulus docet Rō. 7.22.25. Quartò, Spiritum communem esse toti Ecclesiæ vtriusque Testamenti: Literam autem partim antiquatam, abrogatis Leuiticis ceremoniis: partim mutatam aliis quibusdam, paucioribus tamen, ritibus introductis. Quintò, quod inter Principem iustum, iura suis subiectis dantem, & inter subditos fideles & obsequentes eidem morem gerentes, ius est: hoc idem ius multò magis inter Deum & Ecclesiam, esse debet. Quid igitur Deus Ecclesiæ præstet: quid ab hac meritò flagitet, videndum: tum etiam quàm promtè & sincerè huic sit obsequendum.

3. Medentur enim euidentissima illa αἰτήματα, corum errori qui putant, non tam Spiritu & veritate, quàm labiis & factis externis Deum coli. Sed ad rem, σὺν χριστῷ, accedamus.

Cum Pontificii, de Ecclesiæ gubernatione differentes, exemplo Pseudoapostolorum, ad egena & infirma mundi Elementa, hoc est, ad corporales exercitationes & Traditiones humanas, nos per absurdum ὕστερον πρότερον reuocent: Pauli Apostoli fidelis ἔλεγχος & refutatio Pseudoapostolici fermenti, nobis repetenda est, vt ne, eorundem sectatorum, Pontificiorum dico (quibus ex toto cordæ pœnitentiæ donum, & posteriores curas, quæ meliores esse solent, à Christo, secundum Dei consilium, precamur) Sophismata & strophologiæ, nobis fucum faciant. Vt enim sanctæ nostræ Vocationis, & gratuitę Iustificationis nomine, Pontificiorum ματαιολογίαν, variis opinionum commentis constantem, probare non possumus: sic ab eadem, & Gubernationis Populi Dei, & huius religiosorum exercitiorum causſa, nos constanter, & prudenter abhorrere, pietas ipsa iubet.

4. Cæterum hanc de gubernatione Ecclesiæ tractationem, Paulus Apostolus orditur, cap. 3. vers. 23. ac vbi de populi Israelitici Pædagogia primùm: deinde verò, de Filiorum dei libertate differuisset: finem & colophonem huic quartæ parti Tractationis à se institutæ, imponit cap. 5. versu 11. Id eò monere visum est, vt de progressione doctrinæ Theologicæ, quæ vt in cæteris Epistolis, sic in hac quoque epistola, summa diligentia obseruanda est, constare posset Iunioribus: qui si hæc nostra cum aliorum quorundam piis enarrationibus contulerint, facilè animaduertent etiam aliis eruditis Theologis ita visum esse: ac nos non ἰδιοβουλεύειν.

5. Huius autem Tractatus, de gubernatione Populi Dei, & de exercitiis pietatis, initium facit Apostolus, à nobili συζητήσει de abrogatione Circumcisionis & totius Leuiticæ liturgiæ.

Status est coniecturalis, Anne eam ob causſam tota Legis œconomia sit abroganda, quòd ea non iustificat, nec ne?

Negantem opinionem Pseudoapostoli, qui cum fide Christi coniungendam esse legalium ceremoniarum obseruationem putabant, tueri conabantur, hoc Sophismate.

Id quod semel placuit Deo (qui semper sui similis est) instituere, Patribúsque nostris sanctissimis illis Deóque carissimis hominibus, studiosè obseruandum præscribere: haud dubiè à nobis, qui istorum filij & succesſo-

res ſumus,idem quoque vult religiosè præſtari.

Atqui Legem(hac voce χῳ συνεκδοχικῶ, Paulus Circumciſionem, & totam Leuiticam ἱερωρχίαν, denotat)Patribus noſtris ſeruandam, non autem negligendam aut abolendam,ſummo conſilio præſcripſit.

Vult igitur eandem à nobis quoque obſeruari. Vnde liquet iuſticiam à Chriſto Ieſu,& à lege, συλλήβδην, nobis petendam:nec in ſola fide Chriſti acquieſcendum.

Paulus econtrà,ſententiam aientem,de Legalis Oeconomiæ abrogatione hoc argumento demonſtratiuo,confirmat.

Id quod diuinitus ea lege inſtitutum eſt, vt definito tempore,certæ ætati Eccleſiæ prodeſſet,poſt id tempus,exactáque illa ætate, in vſu eſſe non debet.Alia enim aliam ætatem decent:vt habet vetus Prouerbium. Hanc Maiorem Apoſtolus κατ' ἐπίνοιαν præſupponit.

Atqui Lex ſuo temporis & ætatis centro ſparióque circumſcripta fuit. Hanc Minorem tradidit Apoſtolus verſu 23.Antequam autem veniret fides (συνεκδοχικῶς,Euangelij de Chriſto pleniſſimum præconium : cum Spiritus ſancti donorum vbertate coniunctum,quod in Noui Teſtamenti tempora incidit,ſic appellat Paulus.)ſub Legis præſidio tenebamur, concluſi in eam fidem,quæ erat reuelanda. Patribus itaque legis Oeconomiam plurimum profuiſſe quis dubitet?

Ergo mirum aut abſurdum nemini videri debet, quòd Legem dicimus, temporibus iſtis κατ διορθώσεως,antiquatam eſſe.

Minorem probat verſu 24.Pædagogus diſcipuli ſui inſtitutioni, & certo tempore,& definiti finis cauſſa,præeſſe ſolet. Lex autem pædagogus noſter fuit in Chriſtum(reſpiciens:& quidem eius vnius finis gratia) vt ex fide iuſtificaremur.Itaque ne exiſtimemus,eius diſpenſationem & obſeruationem tempus præfinitum excedere debere: niſi fortè παλιμπαιδας nos profiteri, & contra ætatis rationem Pædagogum requirere libeat, quod valde abſurdum foret.

6. Iam verò,ſi mihi ſit cum Papiſta,non ſophiſtico, ſed alieno à ſimulatione,& errores à maioribus acceptos, ſimplici animo amplectẽte & profitente,negocium,quid ni vtar hac conſcientiæ appellatione? Age,ſi cenſes Paulum rectè pronunciauiſſe de legalium, quæ diuinitus inſtituta eſſe non ignoras,abrogatione, propterea quòd ea non omni,ſed certo tempore, in vſu eſſe oportuit:qua,te quæſo,conſcientia, tibi quidem retinendas, nobis verò repetendas cenſes traditiones humanas:& commenta, de Mortuorum inuocatione,de votis Monaſticis,de auriculari confeſſione,de Miſſa, de vnctione extrema & ſexcentis aliis quiſquiliis hominum errore in Eccleſiam introductis? Si illa,quæ vt certo tempore in vſu eſſent,à Deo ipſo præſcripta ſunt,tum aboleri oportebat cum illud tempus præteriiſſet:quantò magis ea,quæ nunquam introduci in Eccleſiã,& à nemine pio vnquam obſeruari,æquum erat,oportebat vos quàm primum antiquare, & nullo vnquam tempore in vſum reuocare.

7. Verſu 25. oſtendit Paulus,gubernationis reſpectu longè aliam eſſe Eccleſiæ noui Teſtamenti conditionem,quàm Veteris illius fuiſſet. Vtitur autem venuſtiſſimo & euidentiſſimo Enthymemate.

Venit fides:hoc eſt, Deus iam conſpicuus factus eſt in carne, iuſtificatus eſt in Spiritu,conſpectus eſt ab Angelis,prædicatus eſt in Gentibus, fideſque illi habita eſt in Mundo.1.Tim.3.16.

Ergo non amplius sub lege pædagogo sumus.

Consequens probat versu 26. Liberi seu filij, è pueritia & Ephebis iam egressi, sub pædagogis esse desinunt. Hanc propositionem præsupponens Paulus, Minorem adducit, Nos omnes filij Dei sumus, per fidem in Christo Iesu. Hoc posteriore lemmate exactam iam esse pueritiam, & virilem ætatem iam ei successisse, innuit Apostolus. Non igitur hac nostra virili ætate, sub lege pædagogo sumus.

Minorem probat ab effectu, videlicet à regeneratione nostra, cuius Sacramentum est Baptismus: versu 27. Ii demum in censu adultorum filiorum Dei habentur, qui Christum induerunt vsque ad sanctificationem. Nos autem, quotquot non aqua solùm, sed etiam spiritu, in Christum baptizati sumus, Christum nos induisse, per fidem agnoscimus. Sumus ergo adulti filij Dei.

Etsi autem signi meminit Paulus, tamen cum illi effectum spirituale tribuit, rem signatam subintelligit, videlicet Baptismum spiritus & ignis: quia cum fidelibus illi negotium erat, ac Deum promissa præstare, rectè statuebat. Istud eò monere visum est, ne quis Sacramenta ex opere operato, prodesse, ex hoc loco perperam colligat.

8. Versu 28. Vt ostendat τὸ καθόλου tollere omnem προσωποληψίαν, seu Personarum, hoc est, qualitatum & circumstantiarum diuersarum respectum omnem, diluit Apostolus noster hanc ἔποχήν.

Fortassis alia est ratio diuersorum populorum, hominum, sexuum, quod attinet gratiæ diuinæ participationem.

Respondet Paulus. primò, per distinctionem καθ' ὑπόνοιαν subintelligendã, Aliud est si quæras, quomodo inter sese differant homines diuersarum gẽtium, conditionum & naturæ respectu: Aliud verò, si quo apud Deum loco sint, & coalescant in vnam κοινωνίαν seu consociationem, seu omnes, seu aliqui homines, consideres; deinde, per insociationem, quam hoc Syllogismo complectitur.

Qui vnus sunt in Christo Iesu, id est, vsque adeò coniuncti, vnius vt hominis instar sint, illi temerariis præiudiciis non sunt discernendi, & distrahendi in hostiles factiones.

Omnes autem vos, vnus estis in Christo Iesu: quia semen benedictum estis, cui hæreditas cœlestis destinata est.

Non igitur illis modis, aliisque προσωποληπτικῶς discernendi estis: sed communis gratia vobis omnibus tribuenda.

9. Neque verò illud solum colligit Paulus, nos videlicet omnes, vnius cuiusdam instar esse in Christo capite nostro, per vnius Spiritus ἐπιχορηγίαν: ac proinde non esse iniquis præiudiciis distrahendos: sed etiam hæredes æternæ vitæ & aliorum cœlestium bonorum, esse euincit, vers. 29.

Semini Abrahæ, debetur (secundum gratuitam promissionem) hæreditas. Nos Abrahæ semen sumus. Ratio, Quia Christi sumus. Nemo autem huius est, qui non illius semẽ dicatur, cũ sit credentiũ Pater. Quare sumus hęredes.

Valde autem mihi probatur Σωείτης, memoriæ iudicióque seruiens, qui & hæc superiora pulcrè connectit. Credentes sunt in Christo. Qui verò in Christo sunt, semen Abrahæ sunt, Semen Abrahæ est hæres. Credentes ergo sunt hæredes. Et per Consequens, Sicut operanti merces ex debito datur: ita credenti in eũ qui iustificat impiũ, imputatur fides sua pro iusticia. Rõ. 4. 4. 5.

10. Quot autem modis,Deus optime,max.peccant Papiſtæ ? Cum vota Monachalia,& ingreſſum in cœnobia , mutatis nominibus,baptiſmo æquiparant ? cũ Monachos & Presbyteros,à Laicis (qui reuera ſunt pars maxima cleri, quem ſibi ſanguine ſuo Chriſtus acquiſiuit) tanquam non Spiritualibus, ſed profanis hominibus,ſeparant ? Cum Monachorum alij Thomam, alii Franciſcum,alii Auguſtinum,alij alios,non certè minus,quàm Chriſtum Ieſum,celebrant? Si vnius Chriſti eſſent,tanquam ſui capitis,non de membris,velut ſuccenturiatis capitibus,tantopere gloriarentur ? Si Monachi illorum,Dei per adoptionem filiorum prærogatiuis contenti eſſent, per fidẽ in Chriſto Ieſu,& quidem ſolam (viuam tamen illam & per caritatem efficacem) ſeſe iuſtificari mallent,quàm etiam per ſua quædam merita, Chriſti,vt dicis cauſſa aiunt,ſanguine tincta. Si etiam,ſecundum fidem, Abrahæ filii eſſent , Abrahæ opera facerent:& Patris fidelium fidei veſtigiis ſtrenuè inſiſterent:non autem Papæ Romani (quem Patris infidelium nomine dignum eſſe , vtinam res ipſa non clamitet) idolomaniam, & errores probarent.

11. Accedimus iam ad Cap.4.de quo (vt & de tota diuina Scriptura) id veriſſimè dicitur,quod Senex ille exotericus Hippocrates,nõ iniurià de ſua arte dixit:ὁδὲν μικρὸν:ὁδὲν καταφρονητέον.Sed tamen breuitati ſtudebimus , & eo nomine Syllogiſmi inſtrumento adhibito,capitis ſummam,ὡς ἐν τύπῳ,,oculis ſpectandam,ſubiiciemus.Status eſt Cum ſub gratia ſitis & liberi:non debetis vos legi iterum ſubiicere:deſiiſtis enim eſſe pueri , ideo legis pædagogia vobis non conuenit.

Filij Dei per adoptionis gratiam Ieſu Chriſti ſeruatoris ſui (qui finis legis eſt) aduentu,à Legalis œconomiæ tutela emancipati , non debent in ſeductorum gratiam,repueraſcere,& ad ceremoniarũ obſoleta crepundia,velut ad egena & infirma mundi elementa,redire : Euangelii puritatem corrũpere:ſuámque libertatem,quam vt Saræ , liberæ illius matronæ filii iam adulti obtinent:cum turpi & indigna ſeruitute,quaſi Agar ancillæ, filii eſſent, imprudenter permutare.

Vos autem,ô Galatæ , Dei per adoptionis priuilegium filii eſtis & quidem iam adulti & à lege emancipati:vt ſuprà demonſtratiuè oſtenſum fuit. Intelligitis autem & virilis ætatis veſtræ,in quam Meſſiæ exhibitio incidit, decorum , & emancipationis à lege inæſtimabile beneficium vobis collatum,à Domino Deo noſtro.

Quare veſtrum neutiquam fuerit,turpiter repueraſcere,& pædagogicam illam gubernationem , per hypallagen valde abſurdam , reuocare in vſum, quaſi vobis Chriſti meritum , Deíque Patris gratia non ſufficiant ad ſalutẽ, niſi etiam ceremoniarum legalium aliorúmque operum obſeruatio accedat.

Quòd ſi nemini fidelium Galatarum,Iudaiſmum iam τῷ ἀφανισμῷ , vt alibi Paulus loquitur,proximum,repetere licuit: quantò minus, cum illo ne quidem conferendum,Papiſmum,propriè dictum & Pſychotyrannidem Papæ & Pſeudepiſcoporum, vlli pio in vſum reuocare licet:cum ille , ſi quatenus à Deo ſancitus eſt conſideretur , gemmeus dici poſſit,præ hoc qui ne quidem vitreus dici meretur?

12. Minoris ἀναπαλιν & expolitionem firmiſſimam & venuſtiſſimam orditur Paulus,à ſimili,quo deſcribit Iudaiſmi veteris imaginem : & eam opponit Chriſtianiſmo, ver.1.2.3.4.5.6.7.

Verſu

Versu 1. propositionem de hærede adhuc infante, veterem populum adumbrante, tradit, addita distinctione, de cõditione infirmæ ætatis, & de iure domini & possessionis. Sententia est. Hæres dum est infans, nihil differt à Seruo, licet dominus sit facultatum paternarum.

Versu 2. Probat enunciationem tali argumento, Sicut se habent serui ad Dominos suos, ita (κατά τι) sese habent filij familiàs ad tutores & curatores. Atqui illi non sunt sui iuris, donec à dominis emancipati, liberi fiant: Ergo & filij licet sint hæredes, non sunt sui iuris, sed sub tutoribus & curatoribus agunt, vsque ad tempus, quod Pater eis præfinierit.

Versu 3. Similitudinem illam de populo sub tutoribus agente, Apostolus Iudæis, sub lege Pædagogo adhuc versantibus, dextrè accommodat, dicens: Ita & nos (Iudæi) quum essemus infantes, (durante veteris Testamenti pædagogia) sub elementis mundi (Sic vocat ceremonias Leuiticas absolutè cõsideratas, ex hypothesi Pseudoapostolorum, qui vmbras sectabantur, veritatẽ & Christum, ignorantes) eramus in seruitutem redacti.

Obsecro autem & iterum obtestor eos, qui Papæ Romani auctoritati tantum deferunt, vt à Christi Iesu doctrina abhorreant, nec vllius ἐφευρέσεις, seu remeligines obseruare possunt, vt vel istud accuratè perpendant, deceátne homines de salute sua seriò cogitantes, eius iugum ferre, qui citra omnem verbi Dei vmbram, dolo primùm circumuentis, deinde oppressis Imperatoribus, & aliis Magistratibus, psychotyrannidem exercet, ac sibi ius deturbandi animas in ima tartara permittit, cùm olim non licuerit fidelibus pædagogiam, Christi aduentu abolitam, reuocare in vsum & obseruare?

13. Versu 4. & 5. noui Testamenti Ecclesiæ κατάστασιν graphicè Apostolus noster describit. Propositio est, Pædagogiæ seruili veteris Testamenti, successit libertas filialis noui Testamenti.

Eruditè autem describit temporis circumstantiam & principia libertatis filiorum Dei iam adultorum.

Tempvs. Postquam venit plenum tempus. Sic vocat tempus exhibendo Messiæ destinatum. Natus autem est Iesus Christus, Seruator noster, Anno Mundi 3970. Ætatis autem suæ anno 30. euangelizare regni Dei Euangeliũ, & illud vitæ summa innocentia ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ornare & confirmare cœpit. Anno verò Mundi conditi 4004. ætatis suę 34. nostra caussa crucifixus, mortuus, resuscitatus, ascendit in cœlum & consedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Sequor autem libenter in Synchronismis annorum Mundi, vestigia Abrahami Bucholceri, eximij serui Christi Iesu.

Persona mittens (sic loqui, cum beato Philippo Melanchthone Præceptore nostro optimo, me quidem non pudet) est Deus Pater, qui quoniam est fons diuinitatis & ἀναρχος (respectu ordinis & essentiæ) Deus hoc loco vocatur κατ' ἐξοχὴν. Hic Deus emisit Filium suum. Ioann. 3. 37. Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque vocem eius vnquam audistis, neque Speciem eius vidistis. Ioan. 10. 36. Me, quem Pater sanctificauit & misit in Mundum, vos dicitis me blasphemare, quia dixi, filius Dei sum? 37. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. 38. Sin verò facio, & si mihi non credatis, operibus credite: vt cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo.

Persona missa est filius Dei, factus ex Muliere (sexus, non cõditionis, respectu sic vocatur: natus enim Iesus Christus, ex virgine, ἀπάτωρ, Esa. 7.14. Heb. 7.3.) factus legi obnoxius. De hoc Messia benedicto dicitur: Et sermo iste caro factus est: & commoratus est inter nos, (& spectauimus gloriam eius, gloriam inquam vt vnigeniti egressi à Patre.) plenus gratiæ & veritatis. Io. 1.14. Factus dicitur ex Muliere, quia ex substantia illius, verus nobísque ὁμοιοπαθὴς homo factus est. Legi autem factus est obnoxius, quia cum liber esset, spontè sua, in nostri gratiam eius iugum subiit, omnémque iusticiam accuratissimè adimpleuit.

Finis autem exhibitionis Messiæ, erat redemtio nostra & adoptio, ab æterno quidem nobis decreta: suo autem tempore exhibita v. 5. vt eos qui Legi erant obnoxij, redimeret: & vt adoptionem (Sic vocat eius possessionem: nam iure adoptionis ne quidem Patres veteris Testamenti caruerunt) acciperemus.

14. Versu 6. probat, Galatas per adoptionem Dei filios esse factos.

Certissimum est adoptionis testimonium, arrhabo Spiritus sancti, qui in cordibus habitans, facit vt Deum ceu Patrem inuocetis.

Emisit autem Deus Pater Spiritum Filij sui, in corda vestra, clamantem, Abba, id est, Pater. In hac Minore Trinitatis mentio fit: & adhibetur conscientiæ Galatarum contestatio, ad eam confirmandam.

Quis igitur dubitet de vestra in filios Dei adoptione?

Ex hoc autem Argumento colligimus, fugiendos nobis esse eos, qui Spiritu vertiginis abducti, quasi abnegato adoptionis in filios Dei iure, alios sibi Patres adsciscunt, & non modò hominibus mortuis, sed etiam ligno & lapidi dicunt, Pater meus est. Item, qui beatam Virginem adorantes, Pater noster, aiunt, qui es in cœlis.

15. Versu 7. duo colligit Apostolus (adhibens ἐναλλαγὴν numeri, vt non solùm ad totum corpus, sed etiam ad singula Ecclesiæ membra immutatis à legali œconomia priuilegium iam pertinere innuat.) Alterum est, non amplius seruilem esse nostram conditionem, qualis pridem fuerat sub lege Pædagogo. Alterum, Dei nos esse hæredes per Christum.

Prius sic probat, sicut se habet is, qui 25. annum ætatis excessit, ad suos tutores & pædagogos: ita ij quoque, ô Galatę, qui adoptionis Spiritum iam acceperunt, sese habent ad totam illam legalem œconomiam, sub qua olim egerant. Atqui ille cum sit filius familiàs, desinit illo tempore esse veluti seruus tutorum, curatorum & pædagogorum suorum. Ergo & fideles Iudæi, desinunt esse serui Legis, cum sint filij & fructu suæ adoptionis iam fruantur. Multò igitur magis absurdum foret, fideles ex gentibus quasi prodito filiorum iure & priuilegio, spontè sua seruitutem legalem accersere, sub qua nunquam fuissent.

Posterius autem sic confirmat Syllogismo hypothetico conditionali: Si Filij estis, etiam hæredes Dei estis per Christum. Atqui Filij estis, vt suprà demonstratum fuit. Estis igitur & hæredes, &c.

Nos sanè memores dicti Christi: Si vos Filius in libertatem vindicârit, verè liberi eritis, Ioan. 8.36. libertatis beneficio in Domino vtamur & fruamur, nec ἀθελοδουλείαν Papistarum iugum Papæ & Episcoporum qui in ipsius verba iurarunt, vnquam admittamus. Vnum habemus sanctissimum Patrem Deum, qui & spiritus sancti sui arrhabone obsignauit corda nostra, & nos filios, hæredes suos, Christíque cohæredes esse vult. Enm solum spiritu-

& veritate colamus.

16. Versu 8. transit Paulus ad secundum argumentum, (ductum ab Antithesi Ethnicismi & Christianismi, v.8.9.) quod vt illustretur, collationem præcedentis & huius subsequentis, præmittemus. Si fidelibus ex Circuncisione, posteaquam aduenient fide à lege manumissi sunt, non licet repudiato libertatis beneficio, ad seruilem illam pædagogiam, quæ olim diuinitus instituta & eisdem præscripta erat, redire: certè nec fidelibus ex Gentibus, ab εἰδωλοδουλείᾳ liberatis, & adoptionis Spiritu donatis, Mosaicam παιδαγωγίαν, nunquam ipsis à Deo impositam (tanquam ea ad salutem necessaria foret) licet superstitiosè requirere & obseruare. Verum autem est, quod antecedit. Igitur verum est & quod sequitur.

Est autem pulcerrima ἀντίθεσις Ethnicismi & Christianismi, in versu.8.9.

Ethnicismum definit Paulus, duabus nocentissimis pestibus, Ignorantia veri Dei, & Seruitute, seu seruili cultu Deorum, quos Paulus negat esse naturà deos, cum essent figmenta humana, Satanæ præstigiis prostituta ad cultum, vt contumelia afficeretur verus Deus, & homines in errore detinerentur.

Christianismum autem idem definit, vera agnitione Dei, & spirituali eius cultu, qui nuncupatur λογικὴ λατρεία, Rom.12.1.

Sic autem argumentatur Paulus per reductionem ad absurdum.

Absurdè faciunt, qui etsi spiritu inceperunt: tamen carne perfici volunt. Hanc Maiorem petere libuit, ex præcedentis cap. v.3.

Vos autem, ò Galatæ id facitis.

Absurdè igitur & præposterè agitis.

Minorem probat. Qui deum cognouerunt, immò potius edocti sunt à Deo, si retrorsum ad impotentia & egena elementa (sic vocat Iudaismum, Christi planè expertem, qualis erat Pseudoiudæorum) conuertantur, & illis retrorsum ab initio seruire velint, illi carne perfici volunt, cum Spiritu cœperint.

Vos Galatæ id facitis. Ergo, &c.

17. Minorem probat Paulus, χρηστολογίᾳ enumerans quædam impotentia & egena Elementa, quæ in vsum sibi vocanda Galatæ à Pseudoapostolis seducti, opinabantur. v.10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. Quasi dicat, Itáne vos ab ethnica idololatria liberatos, illa Iudaicæ pædagogiæ obsoleta rudimenta, nulla decori & libertatis ratione habita, obseruare non pudet: cum ne quidem cum Iudæis id prætendere possitis, vos à teneris vnguiculis ad ea obseruanda esse assuefactos?

Sit itaque hoc tertium argumentum à Samaritanismo eiúsque periculo ductum, v.10.11.

Fugiendus est piis omnibus Samaritanismus in religione, qui ceremoniariis rudimentis, & mistura verorum ac falsorum dogmatum constat.

Atqui Pseudoapostoli eum inuehere conantur, dierum, ciborum, rituum delectu, pædagogia Leuitica obsoleta pridem, fidelibus obtrusa. Igitur, &c.

Pontificiis autem, annon & dierum superstitiosa obseruatio, & multa alia portenta & βδελύγματα, verè obiici possunt? Celebrant dies festos in honorem mortuorum quorundam hominum: Baptizant Campanas & imponunt eis muliebria & alia nomina: Sepulcra consecrant preculis, murmure & lustrali aqua: cucullas F[illegible]canas cadaueribus humanis circum-

ponunt: Crucibus se & cibos quibus vescuntur, consecrant. Idola sua vestimentis ornant, quasi à frigore aut calore periculum valetudinis, ligno, lapidi, cemento, gypso, aut metallis esse possit. Sed sciens prudens omitto sordium illarum enumerationem.

In versu. 11. Apostolus ἀσχημοσύνην discutit. Si dicet aliquis, hæc ludicra & puerilia rudimenta sunt, cur de iis abolendis opere tanto laboras? Respondit Paulus, Imò verò non hoc solùm spectare conuenit, qualia illa per se sint: sed etiam anne ea ingens malum cuiquam creare possint hæc Samaritanismi exercitia. Non leuiculum & contemnendum illud videri debet, quod facit vt fidele præconium euangelij fructu carere posse videatur. Atqui (inquit Apostolus) metuo de vobis ne frustra sim fatigatus (Euangelizando) apud vos. Ergo, &c.

Idem sanè & iis respondemus, qui nobis obiiciũt miras nos & nõ admodum necessarias tragœdias excitare aduersus habitum Sacerdotum & Monachorum, quo religionis caussa vtuntur, aduersus Idola, exorcismos, Peregrinationes votiuas, & alia sexcenta. Nam horum multa ludicra quidem videntur, seria tamen interim ducunt, multa superstitiosa sunt, plurima autem impia. Ac si illis locus detur, certè Euangelij sinceritas excludetur: quæ tamen summo nobis studio tuenda & profitenda est, cum sit cœlestis παραδόσεως.

18. Quartum argumentum ducit Paulus à suo ipsius exemplo, & ἐν πρόσωπῳ, diluit obiectionem de offensa.

Decet sanè fideles, Apostolorum exempla perinde imitari, vt & ipsi de sua salute & officio seriò cogitantes, Christum imitati sunt 1. Cor. 11. 1. & eorũm preces & institutionem fidelem, non contemnere.

Atqui ego Paulus, legis iugum à Christo sublatum, mihi non iterum imponendum censeo: ac vos oro, vt eodem animo sitis, eadémque sorte libertatéque gaudeatis.

Estote igitur quasi ego: nam ego sum quasi vos.

Contra. Non est consultum eos imitari & sequi, in quos fueris iniurius. Galatæ fuerunt in Paulum iniurij.

Respondet Paulus. Non iam de caussa Christi, & de doctrinæ (quæ non mea, sed Christi est propria) contemtu agam, sed de meo in vos animo, qui ita comparatus est, vt de vobis resipiscentibus libenter testaturus sim, me à vobis non esse læsum. Operit enim charitas multitudinem delictorum.

Minoris in priore Syllogismo lẽma illud de suis precibus & de fideli institutione Galatarum, confirmatur, versu 12. 13. Fratres, rogo vos. Item, ab illorum conscientia, Nostis enim me per infirmitatem carnis (id est, multis magnis ærumnis laborantem, summa tamen fide & sedulitate) vobis prius Euangelizasse. Vtinam hoc perpendant, qui dolenter ferunt Euangelij præconium nequaquam esse delicatum & quæstuosum: sed cum multis ærumnis & periculis coniunctum.

19. Quintum argumentum ducitur à præstante voluntate & egregio Galatarum erga Paulum Apostolum studio, vers. 14. 15.

Non est cur homines pij & prudentes, vlla ducantur recti de Dei seruis iudicij, & egregiæ erga illos voluntatis, τῇ μεταμελείᾳ, seu pœnitudine: ac patiantur, se, ab illis alienos reddi, Sinonio artificio inuidorum Aduersariorũ, aliam rationem colendi Deum præscribentium, & fermento pharisaico doctrinam

ctrinam Euangelij corrumpentium.

Atqui vos Galatæ,cùm primùm apud vos euangelizarem,experimentum mei quod fiebat per carnem(sic vocat ærũnas quæ erãt probatio fidei ipsius, pariens patientiam.Iac.1.3.)non pro nihilo habuistis,neque respuistis : sed me(ministerij Apostolici respectu)vt Angelum Dei,vt Christum Iesum excepistis:ac beatos vos esse prędicabatis,quibus datum esset me prędcone Euangelium discere,testimonium sanè reddo vobis,vos,si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.

Huius igitur Iudicij & amoris erga me non debet vos hoc tempore pœnitere.Ac quo maioris meum Ministerium feciſtis,tantò minus à Pseudoapostolis in illiberalem seruitutem legalium rituum,vos redigi,patiemini.

20. Sextum argumentum ab indigno,ducitur,versu 16.

Modis omnibus indigna res est,hostem fieri eius qui vera dicat, amicum autem eorum qui falsa pro veris venditant.

Ego verò,inquit Paulus, vera doceo, vt de cæteris doctrinæ Christanæ partibus,sic etiam de libertate à iugo legis Mosaicæ : econtrà Hostes mei Pseudoapostoli, falsa dogmata profitentur & vobis indignam seruitutem obtrudunt.

Quare modis omnibus indignum fuerit, me quidem hostis loco habere: illos verò seductores,vt amicos,benignè complecti.

Sibi autem idem à Paulo dictum esse,Ecclesiæ nostræ in Domino persuasum habentes, ne sibi à Papa & Pseudoepiscopis iugum papale imponi vnquam patiantur:sed constanter diligant veræ doctrinæ professores,& caueãt sibi à χρηστολόγοις Sophistis,qui speciosis Ecclesiæ,Patrum,Conciliorum, nominibus errores Antichristianos tueri conantur.

21. Septimum argumentum ducitur à destinato Pseudoapostorum v.7.

Non sunt audienda eorum de religione & de cultu Dei consilia, qui hoc vno nomine amorem erga Ecclesias simulant,vt ipsi in pretio charique sint: non autem vt animarum saluti consulant:etiamsi animas suas millies publicè deuoueant,pro iis quos in nassam suam illicere conantur.

Tales autem sunt Pseudoapostoli,de quibus Paulus ait: Depereunt vos nõ benè (metaphora ducitur à procis zelotypis,qui riualem nõ possunt ferre.) Immo excludere nos(sic esse vertendum, ipsa ratio indicat. De personis enim docentium loquens Paulus,ait Pseudoapostolos, in eo esse, vt Paulo excluso, ipsi soli veritatis Magistri à Galatis haberentur.)volunt : vt se depereatis.

Vt ergo olim Galatarum erat, sibi cauere à Pseudoapostolis:ita nunc quoque nostrarum Ecclesiarum fuerit,diligenter sibi cauere à seductoribus,qui nunc blandiloquentia:nunc subdola animarum suarum,ceu pignorum, depositione:nunc armatis precibus:nunc minis & vi,hoc vnum agunt, vt Euangelium Christi submoueant ex Ecclesiis reformatis, Missam,Idola, aquã lustralem & alia substituant.Hæc enim illorum zelotypia flagitiosa est,quia sui quæstus caussa(quem ex papismo vberrimum percipiunt)amorem erga fideles,quos seducere cupiunt, simulant : vt si apostasiam ad papatum ipsis persuadeant,in cultu & obsequio & admiratione sui,circũuentos retineant.

22. Octauum Argumentum,à decora & honesta zelotypia,ducitur.v.18.

Scitè veréque dicitur,τὸ καλὸν,φίλον:quod pulcrum,idẽ & amicũ. Ac reuera

præclarum est vehementer amare in re bona semper : hoc est, illud est præclarum, si quis propositum amandi & bona & bonos, nunquam mutet : sed absentes viros bonos æquè diligat, atque præsentes.

Vos Galatæ obuiis vlnis amplexi estis, inæstimabile illud donum Dei, libertatem Christianam: præclarè incepistis Spiritu : Deo vos per Spiritum libertatis regendos consecrauistis: Me etiam qui Euangelicæ libertatis pietatísque præco apud vos fui, sancta quadam Zelotypia præsentem prosecuti, neminem, qui me excludere vellet, vt vos sibi iungeret, admisistis.

Præclarum itaque fuerit, si, in illo vehementi amore erga rem pulcerrimam, Christianam dico libertatem, perseueretis: & si eodem erga me absentem animo esse pergatis, quo erga præsentem non ita pridem fuistis.

Hoc idem sibi quoque à Spiritu Sancto, per Apostolum nostrum dictum esse, Ecclesiæ reformatæ, persuasum habentes, Euangelium & fidos eius Doctores diligant & reuereantur, nec à Pseudepiscopis, quæ sua sunt ventris caussa quærentibus, & illos excludere cupientibus, sibi imponi patiantur. Ne sint hac in re tepidæ: sed calidæ, & spiritu feruentes: ac semper memores sint nobilis illius dicti Augustini contra Adimantum: Qui non zelat, non amat. Non diligit Euangeliũ Iesu Christi, qui non odio habet ἑτεροδιδασκαλίαν Papisticam & Psychotyrannidem Papæ : Deus ab vtraque peste liberet eos, quos ipsi visum est, è Babylone occidentali, in Ecclesiæ catholicæ & orthodoxæ communionem adsciscere & cooptare.

23. Nonum Argumentum à paterna Pauli Apostoli erga Galatas φιλοστοργίᾳ, ab eius destinato, versu 19.20.

Ecclesiis, ex præscripto verbi Dei reformatis, non tam quid Pædagogi, παρεισάκτοι ἐν αἰσχροκερδείᾳ, sui compendij suæque gloriæ caussa, suadeant: quàm quid Patres fideliter consulant & præscribant, spectare conuenit. Iuxta illud : Nam etsi decem millia Pædagogorum habueritis in Christo, at non multos Patres habetis. In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui. Precor vos igitur, imitatores mei estote. 1. Cor. 4. 15. 16.

Ego verò, inquit Paulus, parens sum, ò Galatæ: vos Filioli mei estis, quos ab errore in viam reuocando, iterum parturio: & quidem eo consilio, & tantisper donec Christus in vobis formetur. Tanta autem, & vsque adeò ardés est mea erga vos στοργὴ, vt vnicè velim nunc adesse apud vos: & mutare vocem meam, vt ea facilè à vobis percepta, vsibus vestris tantò magis seruire queat: quoniam hæsito in vobis: non de vestra emendatione & profectu dubitans: sed qua ratione vobis laborantibus opem ferre debeam & possim, mecum ipse disceptans.

Vestrum itaque fuerit, fidele & paternum meum consilium de libertate Christiana, toto pectore amplecti & retinere : Pseudoapostolorum autem, qui ne quidem Pædagogi sunt, sed impostores, παιδαγωγίας Sophisticas de Legali Iugo & seruitute, auersari & seriò improbare.

Discimus autem ex hoc Argumento, docentes in Ecclesia, paterno erga discentes animo esse, & optima (inter hæc summum est, Christo σύμμορφον fieri) illis consulere: hos verò filiali erga illos amore studióque obediendi, excellere debere.

24. Decimum Argumentum, ducitur ab honesto & inhonesto, & illustratur Allegoria, de duabus Coniugibus & de duobus filiis Abrahæ: Itẽ, de duo-

duobus Montibus Sinai & Sion, in quorum illo Lex, in hoc autem Euangelium promulgatum est.

Nos initiò Argumentum ὡς ἐν πίνακι, oculis piæ & ingenioſæ inuentutis, ſpectãdum ſubiiciemus: deinde, verſiculorum ſumma capita perſtringemus.

Inhoneſtum & illiberale eſt, cùm ſis liberæ filius, libertatis Euangelicæ priuilegium, cum ſeruili conditione legalis illius œconomiæ, permutare, quaſi ex ſerua Matre natus ſis.

Econtrà honeſtum, & liberale eſt, cum te Abrahæ, fidelium Patris, filium & quidem ex libera coniuge natum, per fidem intelligas, obſoleta illa ſeruitute omiſſa, libertatis prærogatiua, ceu nobili conditione, frui. Hæc traduntur, verſ. 21. 22. 23. 24. 25.

Atqui nos Abrahæ, ex libera coniuge filij ſumus, alij quidem natura & fide, vt fideles Iudæi: alij fide (cuius maior vis eſt quàm naturæ) vt fideles ex Gentibus: qui ex naturali exſecti oleaſtro, & præter naturam inſiti ſunt in veram oleam, & participes pinguedinis & radicis oleę facti ſunt, Rom. 11. 17. 24. Hanc Minorem tractat Paulus, verſ. 26. 27. 28. 29. 30.

Ergo cùm non ancillæ, ſed liberæ filij ſimus, libertatis priuilegio vtamur fruamur, nec ſeruitutis iugo nos implicari patiamur. Complexionem iſtam tradidit Paulus, verſu 32. & capite 5. verſu 1.

Verſu 21. cap. 4. Erotemate vtitur Paulus, vt quàm abſurdum ſit, reuocare in vſum Leuiticam ἱερουργίαν & diſpenſationem, oſtendat. Qui legem non audiunt, non debent velle vt ſub lege ſint. Vos Galatæ legem non auditis: neque enim quid Geneſeos liber de duobus Abrahæ filiis teſtetur, attenditis. Non debebatis igitur ſeruitutem legalem vobiſipſis imponere.

Minoris huius Syllogiſmi ἀνάπαλιν, orditur ſequenti 22. verſu.

Qui legem audiunt & intelligunt, nõ poſſunt ignorare duos fuiſſe Abrahæ filios, vnum ex ancilla, & alterum è libera.

Vos Galatæ iſtud non perpenditis. Hanc Minorem ἀνάπαλιν πάλιν ἔρχῳ probatã, innuit Apoſtolus. Nam ſi Galatæ rectè intellexiſſent, filios Abrahæ non eadem conditione natos eſſe, nequaquam cum libertate ſeruitutem permutaſſent: ſed filios liberæ ſeſe eſſe & proinde liberos, in Domino gloriati eſſent.

Fatendum igitur eſt, vos Galatas Legem non audire. Chryſoſtomus & eius abbreuiator Theophylactus, Legis voce Geneſin & eius libri hiſtoriam deſignatam eſſe, exiſtimant.

Maiorem probat Paulus verſu 23. Sed is qui ex ancilla natus eſt, &c.

Quis dubitet intereſſe plurimum inter eos, quorum alij ex ancilla, ſecundum carnem: alij ex libera, per promiſſionem nati dicuntur?

Atqui duo filij Abrahæ diuerſa conditione nati ſunt. Iſmael quidem ſecundum carnem, ex ancilla Agar: Iſaac autem per promiſſionem, ex libera Sara: vt Scriptura teſtatur, Gen. 16. & 21.

Plurimum igitur inter eos intererat.

25. Sed quónam, dicet aliquis, hæc omnia tendunt? Eò, vt diſcamus duũ generum eſſe filios Abrahæ (ſi gubernationis eorum diuerſitatem, non autem ſi gratiæ & ſalutis beneficium ſpectes.) Vnum eorum, qui etſi Sara matre nati ſunt, quia tamen ſub pædagogia & ſeruitute legis durãte vetere Teſtamento, ſunt verſati, Agaræ filij typici ſunt, ſeruili conditione: Alterum eorum, qui, quoniam noui fœderis libertate fruuntur, Saræ filij cenſentur, & libertate fruuntur, verſ. 24. 25. 26.

Docendi autem gratia Syllogismi instrumento adhibito, sententiam huius Allegoriæ, quæ cum fidei analogia pulcrè consentit, enucleare & exponere conabimur.

Sicut se habent, Ismael quidem, (Agare matre serua natus, ex monte Sina, in quo lex promulgata est) vnà cum suis posteris, ad vetus Testamentum: ita se habent Isaac (Sara matre libera natus & sublimis Hierusalem, ac Sionis, in quo Euangelium regni prædicari cœpit, consors) vnà cum suis posteris, ad nouum Testamentum. Istud autem in hac allegoria, accuratè obseruari debet, Abrahamum vtriusque filij patrem fuisse, etsi illi duo non vterini fratres essent.

Atqui Ismael, & eius posteri, seruitutis tristi humilíque conditioni fuerunt obnoxij, vt illorum historia testatur. Isaac autem, & eius liberi, priuilegio libertatis gauisi sunt.

Quare fateamur id, quod res est, vetus testamentum & pactum seruitutis & pædagogiæ legalis imperio, nouum autem testamentum libertatis Euangelicæ priuilegio, excellere. Hunc ordinem in gubernatione Ecclesiæ suæ cum Deo visum sit obseruare, impium foret, ἀταξίαν introducere, & pædagogiam seruilem, pro ingenua libertate, introducere.

Neque verò hic libet ἐκτεραγφδίζειν, quàm sit indignum & impium, Papæ tyrannidem, nunquam à Deo approbatam, reuocare in vsum: cum, ne quidē veteris Testamenti liturgiam & seruitutem, post correctionis tempora, piis licuerit repetere, quam tamen olim diuinitus præscriptam esse, constabat?

26. Atqui, dicet aliquis, ista allegoria vel eam ob caussam non est firma, quod de filiis Abrahæ germanis loquitur: non autem de iis, qui sentētia tua, per adoptionis gratiam, propter fidei κοινωνίαν ἢ ταυτότητα, eius filij esse perhibentur, in quorum censu sunt fideles ex Gentibus.

Respondet Paulus v. 27. ex sententia Isaiæ, ca. 54. 1. Ii demum γνήσιοι Abrahæ filij censendi sunt, quos ipse deus filios Abrahæ esse pronunciat.

Atqui etiam fideles ex Gentibus, Abrahæ filios esse pronunciat, & hos mirum in modum multiplicandos, Gentibus ad participationem sortis Sanctorum in lumine, vocatis, prædicens.

Ne sit igitur vlli dubium, hos quoque Abrahæ filios esse.

27. Etsi autem fideles ex Gentibus, Abrahæ filij non sunt κατὰ σάρκα: non tamen ideo è censu filiorum excluduntur, cùm secundum promissionē eius filij sint: sicut & Isaac, qui tamen vtroque modo Abrahæ filius fuit, promissionis tamen nomine magis, quàm naturæ. Rom. 4. 12. 19.

28. Si, dicet aliquis, fideles ex Gentibus, filij Abrahæ sunt, cur adeò sunt exosi Iudæis fratribus? Respondet Paulus, ver. 29. Cui mirum videatur, eos qui tantum κατὰ σάρκα geniti sunt, eos odisse & persequi, qui secundum spiritū sunt nati. Illi autem Iudæi tantum secundum carnem sunt filij Abrahæ. Itaque vt Ismael olim irrisit & persecutus est Isaacum, ita isti quoque persequuntur veros Abrahæ filios.

Cæterum cùm de hac Pseudoiudæorum θυμομαχίᾳ loquitur Apostolus, nō obscurè innuit, se quoque, qui etiam secundum spiritum esset Abrahami filius, carnalium illorum Iudæorum odia & sæuitiam experiri. Sed addit vers. 30. grauissimam comminationem, cuius summa huc redit, Sicut olim Ismael cum Matre serua eiectus est è domo Abrahæ: Gen. 21. Ita quoque, & Pseudoapostoli illi, & eorum sectatores, è domo Dei, quæ est Ecclesia, 1. Timo. 3. 15. ex-

15, excludentur, cum non nisi ὁμωνύμως, Ciues Ecclesiæ dici potuerint.

Sibi autem eadem dici ne dubitent, & Papistæ, qui suppliciorum omni genere Euangelium purè profitentes afficere & exstirpare conantur : & ii, qui sic δοξομανίᾳ sua turgidi sunt, vt conseruos modestè & magnis de caussis à se dissentientes, cædant & anathematismis immeritò prosequantur. Vtrique enim Ismaelis vestigiis incedentes, eadem, qua ipse olim, pœna afficientur.

29. In postremo huius 4. cap. & primo sequentis cap. 5. versu, Conclusionem Argumenti, repetitione constantem, adeò dilucidè tradidit, vt si quis ei interpretationis lumen conetur addere, solem admotis facibus iuuare velle videatur. Itaque satis fuerit verba Pauli adscribere. Fratres, non sumus Ancillæ filii, sed liberæ. In libertate igitur qua nos Christus liberauit, perstate: & ne econtrariò implicamini seruitutis iugo. Vtrumque autem docet, &, quid faciendum sit, dum libertate gaudendum, affirmat: & quid cauẽdum nobis sit, cum negat iugum seruitutis admittendum esse.

30. Prius autem quàm ad Argumenta Capite 5. tradita, accedamus, de veteris & Noui Testamenti παναρμονίᾳ, & distinctione, aliquid breuiter dicẽdum erit, cùm vtriusque mentio sit facta, in præcedentibus argumentis, præcipuè autem in decimo, in quo non Allegoriæ pictura solùm, sed etiam fidei doctrina eidem, instar fundamenti substrata, spectari debet.

1. Cùm pacti & fœderis, quo Deus Pater, iuxta propositum voluntatis suæ, omnes fideles, ad vitam æternam præordinatos, sibi in Christo Iesu, iungere dignatus est, idem auctor Deus, idem conciliator & μεσίτης Christus: eadem promissio gratiæ, eadem doctrina, idem finis sit, videlicet gloria gratiæ Dei, declarata salute totius Ecclesiæ, quam inde vsque ab initio Mundi collegit: quis dubitet substantia vnum esse fœdus seu Testamentum?

2. Vt tamen vni eidémque Patri credentium, geminæ fuerunt coniuges, serua & libera: & ex illa quidem, natus est ei filius κατὰ σάρκα, cuius seruilis fuit conditio, ex hac autem natus est eidem, secundum promissionem, liber filius, & hæres: sic vnius eiusdémque Testamenti & fœderis, geminæ fuerunt Tabulæ & conditiones, Pædagogica sub lege, Iudæis præscripta, & Euangelica: illa veteris, hæc noui Testamenti propria.

3. Dispensatione itaque differunt vetus & nouum Testamentum. Sic enim vtriusque populi ætas postulabat, vt tametsi eodem fœdere Deo coniuncti essent, ille tamen in puerili ætate, sub legis pædagogia in officio detineretur: hic autem virili ætate sua maiore luce doctrinæ, & libertate excelleret, & Spiritus ductu in pietatis exercitiis maximè occupatus, minus corporales exercitationes curaret.

4. In vtroque autem testamento, si accuratè literam & Spiritum spectauerimus, tum quid fidelibus seu viuis Ecclesiæ membris commune, & quid proprium sit, fuerítque: tum quid putridis vtriusque populi membris, cum illis, & inter se commune, propriumve fuerit & sit, facilè assequemur.

5. Iudæis fidelibus qui sub lege Pædagogo versati sunt, & nobis Christianis fidelibus, Spiritus communis fuit & est. Idem enim Deus, idem Mediator Christus, idem Spiritus sanctus, eadem legis & Euangelii doctrina, idem lauacrum regenerationis, eadem cordis circumcisio, idem cibus potúsque Spiritualis, eadem vocatio, idem denique est Pater Abraham.

6. Litera autem, hoc est, ceremoniarius Dei cultus, non est communis Iudæis & Christianis fidelibus inquam, vt ex superioribus liquet.

7. Pseudoiudæis veteribus & Christianis ὁμωνύμως sic dictis, istud commune est, quòd vtrique Spiritus expertes, literam occidentem sectantur, Iudæi quidem Iudaicam, pseudochristiani verò, ritus in nouo Testamento sancitos.

8. Etsi autem, illi quidem Legalem œconomiam, cum veris Israelitis: hi verò Christianos ritus, cũ veris Christianis, sectari videntur: quia tamen vtrique Spiritu destituuntur, corticémque, nucleo amisso & neglecto, retinent, tam sibi inuicem similes sunt, quàm ouo ouũ: vt dici solet veteri Prouerbio.

9. Ex hisce liquet, cur Paulus, aliàs quidem magnificè de vetere Testamento loquatur, quando videlicet Spiritum & Christum ipsum, cum eius litera ἀναλόγως iungit: aliàs verò, contumeliosè, cum ex hypothesi Pseudoapostolorum (in vetere Testamento, secluso Christo & Spiritu, solam occidentem literam, agnoscentium) de litera à Christo seiuncta pronunciat, aítque impotentia esse & egena elementa: id quod & de Christianis ritibus, si desit fides Christum intuens, dici potest. Sed de his aliàs quoque dictum fuit, & porrò quoque, si Deus voluerit, dicetur. Itaque ad institutum reuertemur.

31. Spero non mediocriter illustrari posse, grauissimam istam disputationem, de Gubernatione Populi Dei, de cultu quem fideles Deo præstare debent, de discrimine veteris & noui Testamenti, si quis post Confirmationem κατασκαστικῶς hactenus institutam, & decem Argumentis constantem: nunc subiungat Confutationem Obiectionum, & has ordinè enumeret, ac easdem ἀνασκαστικῶς refutet. Nos saluo piorum Iudicio, quid nobis aperuerit Dominus, candidè & breuiter ostendemus: aliorum δευτέρας φροντίδας, eásque σοφωτέρας, libenter audituri.

32. Obiectio, de Circumcisione, quæ ipsomet Paulo teste, fuit signum, quod obsignaret iusticiam fidei, Rom. 4. 11. & veluti basis totius cultus & œconomiæ legalis.

Quid obstat, dicebant Pseudoapostoli, quo minus σφραγίδα iusticiæ, & fulcrum cultus diuini, obseruari debere statuamus? Circumcisio eiusmodi est. Ergo, &c.

Paulus Apostolus econtrariò (quòd videret eos, circumcisioni carnis & literæ, ista falso tribuere: nulla circumcisionis spiritualis, quæ est cordis, ratione habita) clauum clauo pellens, argumentatur.

Illud non est admittendum & vsurpandum, quod facit vt Christus alicui non prosit, & vt homo implicetur debito quod nunquam exsoluere queat. Atqui circumcisio illa vestra, si postquam à Deo iam est abrogata, reuocetur in vsum, efficit vt primùm quidem Christus non prosit, ei qui partim ipsi, partim circumcisioni meritísque suis salutem acceptam ferat: deinde, vt homo debitor fiat totius legis seruandæ, cui tamen cum nunquam satisfaciat, meritò maledictus est, & habetur versu 2. 3.

Quare non est reuocanda in vsum illa Circumcisio.

2. 33. Obiectio Pseudoapostolorum. Duabus anchoris in salutis negocio niti, quis dubitet esse optimũ & cõsultissimũ? Atqui & lege iustificari velle, & per & propter Christum Iesum iustificari velle, & quidem cõiunctim, est duabus niti anchoris, Ergo illud optimum fuerit & consultissimũ. Eandem autem esse & Papistarum opinionem, qui non intelligit, nihil intelligit.

Paulus

Paulus vitiosam συνήθειαν, bona solidáque διαρρήσει refutat, è contrario disiunctiuè argumentatur, v. 4.

Aut per Christum, gratis hominem iustificari oportet, aut per legem. Ratio. Nam hæc ἐν διαμέτρῳ pugnant, nec vllo modo iungi possunt. Etenim, qui per legẽ Iustificari vult, inanis Christi fit, & à gratia excidit: rursum, qui per & propter Christum iustificari vult, Christi particeps, per gratiã, iustificatur.

Atqui, per legem nemo iustificatur: cum nemo ei satisfaciat. Ac si quis noui Testamenti temporibus, iustificationis promerendæ caussa pædagogiam legalẽ & ritus Leuiticos iam à Deo antiquatos, repetat & obseruet, θεομαχεῖν, non θεοσεβεῖν, id est, cum Deo belligerari, non autem Deum piè colere, censeri debet. Nec aliud iudicium esse debet, de obsoletis Papismi ritibus, quos nũquam in Ecclesiam inuehi, à nemine vnquam obseruari, nedum reuocari ad vsum, oportet.

Ergo per Christum, gratis iustificamur. Neque verò est cur quispiam miretur, intertexta esse argumenta eiusmodi de iustificatione, disputationi de Gubernatione & exercitiis populi Dei. Semper enim & fuerunt & sunt, qui cultus diuini progymnasmata, perperam referrent inter caussas & principia iustificationis: quorum periculoso errori, occurrere oportebat Apostolum & alios Dei Seruos, quibus gloria Christi & veritas Euangelij, seriò cordi erat, & esse debet.

34. Obiectio ducitur ab exemplo Patrum. Quis nobis vitio det, dicebãt Pseudoapostoli, si sanctorum Patrum γνήσιοι filij, eorum vestigiis nobis insistendum & inhærendum statuamus? Atqui illi, fide cum ceremoniarum obseruatione coniuncta, speratam illam iustitiæ coronam, expectauerũt. Idem ergo & nos faciamus. 3.

Respondet Paulus, primùm per παρομολογίαν, seu concessionem, equidem illud facilè do, Patres, fide inuolucris Sacrificiorum aliorúmque rituum vestita, speratam illam iustitiæ coronam, exspectauisse: quod ea ratio ipsis ex Dei instituto congrueret, & obseruanda esset vsque ad correctionis, id est, noui Testamenti tempora: Deinde, per ἀντεισαγωγὴν, Sed cum nobis spectandũ sit, quæ sit nostra ætas & conditio in nouo Testamento, non carne, sed spiritu fidei edocti, plenéque persuasi, spem iustitiæ, id est, coronæ & hæreditatis, exspectamus, v. 5. Ideo fides nostra vt non est ceremoniariis inuolucris tecta: sic λογικὴν λατρείαν rationalem cultum Deo probare studet.

Quam prodigiosis autem inuolucris, Monachatus, Missæ theatricæ, Peregrinationum, cultus idolorum & hominum Mortuorum, aliarúmque rerũ, partim impiarum, partim superstitiosarum, coopertus & inuolutus sit Dei cultus, quo Papistæ, citra fidẽ defungũtur, fando exponi vix potest. Sic enim traditionum & ceremoniarum superstitione oppressi sunt, vt de ijs obseruandis anxij, vix possint de vlla alia re vel cogitare.

35. Obiectio. Absurdum est tollere in Christo, discrimen Circumcisorum & Incircumcisorum, cum scriptum sit: Morte incircumcisorum morieris, Ezech. 28. 10. & ex Ecclesia tollere pietatis progymnasmata. Tu, Paule, vtrumque facis. Eodem enim loco habes Iudæos & Gentes: & totum legalem Dei cultum, quantum in te est, abrogas. Ergo, &c. 4.

Respondet Apostolus per ἀνταγώνισμα. Immò illud absurdissimũ est, literæ & ceremonijs mordicus inhærentem, non videre, tũ quid in Christo præcipuũ & veluti palmariũ sit, & quo obsequii genere Deus maximè delectetur.

In Christo autem, hoc est, in eius spirituali regno, non valet quicquam circumcisio (sic κατὰ συνεκδοχὴν, mentione facta primarij Sacramenti, subintelligit totam Leuiticam œconomiam & corporalia exercitia) neque Præputium, vt ne quidem Gentes habeant cur eius caussa sibi Israelitis meliores videantur. Neque tamẽ Ecclesia destituitur pietatis exercitiis, cùm fidei per charitatem agentis, obedientia cultúque Deus magis delectetur, quàm vllis vnquam Sacrificiis. vers. 6. & 1. Sam. 15. 22. 23.

Vestra igitur opinio modis omnibus absurda est.

5. 36. Obiectio, Cursus in stadio legis diuinæ, laudi ducendus est. Galatæ, nobis submonentibus, in illo stadio gnauiter decurrere cœperũt. Igitur, &c.

Respondet Paulus cum Apostolica auctoritate, Immò verò in stadio Euangelico, me monitore, currebatis pulcrè: nunc autem non item.

Certè non currunt pulcrè, qui à seductoribus sic sese interpellari sunt passi, vt veritati non amplius obsequantur.

Vobis Galatis hoc posterius euenit. vers. 7.

Quare ad priorem cursum, & ad studium veritati obsequendi, vos redire æquum est: secundum Prouerbium: πάλιν δρομῶσαι μᾶλλον, ἢ δρομεῖν κακῶς. Satius est recurrere, quàm malè currere.

Minorem probat vers. 9. Non amplius & pulcrè currunt, & veritati obsequuntur, qui locum dant doctrinæ, quæ sanè non est ab auctore Deo profecta. Talis autem est vestra illa persuasio, neutiquam ex eo qui nunc quoque ad resipiscentiam vos vocat, ortum ducens. Itaque, &c.

Vtinam verò, & qui ad Papismum, ceu ad vomitum, canum instar reuertuntur, hoc perpendant: & in tempore à tetra illius idolomania resilientes, in veritatis viam redeant, & fructus dignos, iis, qui resipiscũt ferant: Nos verò in sancta vocatione & professione perseuerantes, Dei nomen sanctificemus, & Ecclesiam vita inculpata, fidéque syncera ornemus.

37. Obiectio. Si maximè aliquid vitii in hac re inesset, illud tamen cum sit exiguum, non decebat adeò ἐκτεφρωδίζειν. Non enim magni tumultus in Ecclesia, ob res leuiculas, excitandi sunt. Sic solent nugari, quibus conscientia tandem extorsit confessionem erroris.

Respondet Paulus. Vt modicum fermenti, totam massam fermentat, vers. 9. Sic vnus hic error vester, de legalium ceremoniarum obseruatione ad salutem necessaria, totam doctrinam Euangelij corrumpit, & contumelios⁊us est in merita & sanguinem Christi. Quare impium est eum ἐξενδενίζειν, qui si admittatur depascit, vt gangræna.

Est dulcissima omnium partium doctrinæ cœlestis παναρμονία: quæ si erronea διαφωνία ei misceatur, tota turbatur. Id autem ijs potissimum obseruãdum erat, qui dum non rectè assequuntur symphoniam omnium Articulorum fidei, vera falsis miscent, & historica nonnunquam allegoricè interpretando, corrumpunt.

38. Tandem hanc Epistolæ partem concludens Apostolus, præclaram suam fiduciam & iudicium liberale de Galatis exponens, ostendit, se in Domino (qui possit eorum animos ad obsequendum veritati flectere, & haud dubiè pro infinita sua bonitate id sit facturus) confidere, Galatas idem posthac cum Paulo, de libertate Euangelica sensuros: horrendi in pseudoapostolos, qui ipsos turbassent iudicii, spectatores fore: & cognituros tandem, quid Paulo, Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem, non autem fugam crucis Christi spectanti,

ſpectanti, eſſet tribuendum. verſ. 10. 11. 12.

Diſcimus autem hoc loco, commemorabilia hæc capita.

1. Paſtoribus non temerè ſpem bonam, de ouiculis quæ exorbitârunt, eſſe deponendam.

2. Condemnationem Dei, certò imminere Eccleſiarum piè conſtitutarum, turbatoribus.

3. Non eodem loco habẽdos fidos paſtores Eccleſiæ, qui vt gloriæ Dei & ſaluti gregis ſuæ fidei commiſsi conſulant, crucem Chriſti non detrectant: & Mercenarios, qui ventris, quæſtus, gratiæ, glorięque cauſſa miniſterio funguntur, nunquam hoc facturi, ſi ſpes lucri & gloriæ aliunde affulgeret, & ſi aliquid ipſorum ventri decedat.

4. Non impium eſſe, Dei ſententiam probandi cauſſa, magno zelo, exitium imprecari Eccleſiæ vaſtatoribus. Hoc fulmine percelli oportebat, omnes eos, qui ſeſe opponunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vel ἐκκλησιαρίσεως veritatem oppugnant, vel Papæ (à quo nec conditi, nec redemti ſunt) tantum deferunt, vt in ipſius gratiam errare malint, quàm accuratè ſcripta Prophetica & Apoſtolica euoluere, & ex ijs, fidei, ſpei & charitatis doctrinam addiſcere: vel denique qui veritatem ſeditionis inſimulant, & putant præclarum eſſe, pacis (ſi deo placet) optatiſſimæ cauſſa, conniuere ad δο ξουλείαν, qua tamen Religio funditus ſubuertitur.

39. Ex omnibus iis, quæ hactenus dicta ſunt, colligimus, nec Galatis olim ius fásque fuiſſe Legis Moſaicæ iugum, Dei ſapientiſſimo conſilio ſublatum, ferendum ſuſcipere: nobis autem multò minus licere, Papæ iugum, immò tyrannidem quaſi poſtliminii commentitio Iure reuocare in noſtras Eccleſias. Etenim, ſi non licuit legalia exercitia diuinitus olim, bono conſilio, Iſraelitis præſcripta, & ſeculis aliquot cum fructu vſurpata, vbi ſemel à Chriſto antiquata eſſent, retinere & obſeruare: multò minus par eſt, Papatum humanitus (vt nihil iam grauius dicamus) introductum in Eccleſiam Chriſtianam, & cum eius damno ac dedecore maximo, aliquot ſeculis, latũ vſurpatúmque, & per Euangelium regni Dei iam detectum, iis in locis reſtituere, è quibus, ſummo Dei beneficio pulſus eſt: cum etiam vt è toto mũdo Spiritu oris Chriſti exſtirpetur, ardentiſſimis votis ab eodem Filio Dei, qui ſolus Eccleſiæ caput & Princeps eſt, nobis ſit petendum?

40. Coronidis loco hoc addemus, vt vocationis & iuſtificationis: ſic etiam Gubernationis populi Dei, ſiue veteris ſiue noui Teſtamenti tempora, ſiue diuerſam Eccleſiæ διοίκησιν ſpectes, Euangelij Ieſu Chriſti promulgandi cauſſa, Papatum deſtruendum, prælucente vera fide, noſtræ vocis, noſtrarum precum ad Deum, & (ſi ſit opus) ſanguinis etiam noſtri teſtimonio, Amen.

THESIVM ANALYTICARVM, DE EPIstola Pauli Apostoli ad Galatas.

PARS QVINTA

& postrema: in qua agitur de Sanctificatione, quæ est tertium nostræ in Christo Electionis testimonium.

AD

DN. THEOPHILVM GRYNAEVM, Ecclesiæ Sissachianæ Pastorem fidelem, fratrem germanum.

Athenagoras in defensione Christianorum ad Impp.

Οὐ μελέτη λόγων, ἀλλ' ἀπόδειξις,
ἢ διδασκαλία ἔργων, τὰ ἡμέτερα.

THEOPHILO GRYNÆO FRATRI OPTATISSIMO, IOHAN. IACOBVS GRYNAEVS S. P. D.

OVum propitia Dei prouidentia, Rœtela Marchicorum Badensium, Sissachum Basiliensis ditionis, nuper traductus sis, vt Ecclesiam piè docendo & sanctè viuendo, Dei consilio inseruias, & idem in laudatissimæ huius Ciuitatis territorio, per reliquum illud vitæ tempus, sedulò præstes, quod totos viginti sex annos, bona fide egisti in Ecclesiis, quæ sunt in ditione Illustrissimorum Principum Marchionum Badensium, filiorum verè Christiani laudatissimique Principis, ac Domini, Caroli felicis recordationis: Quid aliud, mi frater, agamus, quàm vt omissa illa caussa proxima, quæ te abstraxit è complexu Rœtelanæ Ecclesiæ, ad Deum cõuersi, qui mirabilis est in omnibus operibus suis, eidem primum toto pectore gratias agamus, quòd is dignatus est, Parentis nostri Thomæ Grynæi fideli ministerio per Octennium, mea verò opera post illius obitum per vndecim annos, tua verò, viginti sex annorum quasi quadam periodo, vti, & quidem ea lege vt spes sit salutari fructu ministerium nostrum non caruisse: deinde, vt Piis votis, Principum Iumorum iam magis magisque virtutibus (inter quas primatum pietas obtinet) efflorescentium, vitam, honorem, decus, Deo commendemus: postremò, sic corporibus absentes, veteribus Symmystis Spiritu verâque beneuolentia adsimus, vt Christum Iesum testem, studij & precum quas & Ecclesiarum Marchicarum & illorum caussa ad Deum fundimus quotidie, in cordibus nostris habentes, recti sanctique propositi nulla pœnitudine vnquam afficiamur?

Bene vale, & bonum certamen certando, fidem & bonam conscientiam retinendo, perge Christo Iesu Domino nostro per gloriam & dedecus constanter, eleganter & patienter seruire: nec patiare te vinci τῷ τῆς ἐνδάδε φαυλοτήτων, vt Platonis vocibus vtar, quæ cùm sint breues, magnæ & intolerabiles videri non debent. Basileæ, Anno 1582, quo te simul & humiliauit & exaltauit, ob φιλαλήθειαν & φιλαδελφίαν Iesus Christus Dominus noster.

DE

DE SANCTIFICATIONE
THESES.
I.

QVVM instituti nostri ratio flagitet, vt iam de tertio Electionis nostræ in Christo Iesu, testimonio, videlicet de Sanctificatione, agamus: prius quàm accedamus ad declarandam Methodum, qua Apostolus vsus est in cap. 5. & 6. Epistolæ ad Galatas, aureæ basis iaciendæ gratia, hos Aphorismos, substernimus toti huic disputationi de Sanctificatione.

1. Sanctificari nos de mundo, ad salutem, nostra omnino interest. 1. Segregatio.

2. Sanctificatio autem nostra, Spiritus, Animæ & Corporis integritatem respicit. 1. Thessal. 5. 23. 2. Forma.

3. Solius Dei est sanctificare genus electũ, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum quem sibi Deus vt proprium vendicat. 1. Pet. 2. 9. 1. Thessal. 5. 23. 3. Efficiens.

4. Electionis nostræ in Christo primum testimonium est vocatio efficax: secundum iustificatio: Sanctificatio tertium. Iuxta dicta: Quos prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autẽ iustificauit, eos & glorificauit. Rom. 8. 3. Et, Dilectis ex prænotione Dei Patris, ad sanctificationem spiritus, per obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. 1. Petr. 1. 2. 4. Method.

5. Sanctificationis nostræ destinatum est, vt sancti simus quemadmodum & Iehouah Deus noster sanctus est. 5. Finis.

6. Ideo Paulus, de Sanctificationis exercitiis ἐν τῷ ἐπιδιελεγχομένῳ, Purgemus, ait, nos ipsos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei. 2. Cor. 7. 1. 6. Finitio.

Ex hisce Aphorismis principia Sanctificationis quum facilè possent colligi, iis contenti, coronidis vice illud saltem monebimus, rectè (Platonis in Cratylo sententia) nomen ἅγιος duci à priuatiua particula α, & à nomine γαῖα, quod terram significat. Qui enim à terrenis vitiorum sordibus purgati & alieni sunt, ἅγιοι, Sancti nuncupantur. Sanctificatio igitur segregatio erit tam ab immundis, quàm ab immundicie. 7. Notatio.

2. Iam, saluo aliorũ iudicio, quomodo Analyticè nobis videatur resoluẽda, beati Pauli de Sãctificatione Disputatio & σωματοποίησις, indicabimus.

Quatuor omninò partibus tota hæc tractatio constat. Eas igitur velut in Tabella depictas, oculis spectandas subiiciemus.

1. Transitio, à doctrina de gubernatione Populi Dei, ad doctrinam de Sanctificatione, ad quam pertinet Caput illustre de Libertate Christiana. Hæc pars tradita est, Cap. 5. v. 13 14. 15.

2. Propositio doctrinæ de Sanctificatione, admodum sententiosa, v. 16.

3. Confirmatio & κατασκευὴ propositionis, Argumentis aliquot constans, quæ occurrunt initio facto à versu 17. vsque ad finem 25. versus.

4. Exhortatio ad Sanctificationẽ, præceptis salutaribus referta. Hæc pars complectitur vltimum cap. 5. versum, & 10. versus priores cap. 6.

De his vtinam ea lege theoricè agere possimus, vt interim practicè sanctificationi studentes, experiamur in nobis ipsis, salutarem spiritus sancti, nos regenerantis, gratiam, virtutem & subministrationem. Sed iam σὺν χριστῷ, ad

Analyſin accedamus.

TRANSITIO.

3. Tranſitionis ad Sanctificationis doctrinam, initium facit Paulus à παρομολογίᾳ, ſeu conceſſione, de libertate. ver. 13.

Enimuerò fateor, fratres, vos ad libertatem Chriſtianam vocatos eſſe: ac proinde in ea perſtandum vobis eſſe contendo.

Subiungit autem ἀντεισαγωγὴν, contra licentiam carnis, ne Galatę audientes ſe à ſeruitutis iugo, velut Charybdi, liberatos, ſemetipſos in Scyllam licentiæ & contemtus bonorum operum, coniicerent, eorum videlicet exemplo de quibus Apoſtolus alibi dicit: Qui poſtquam dedoluerunt, ſemetipſos dediderunt proteruiæ, ad certatim patrandam impuritatem omnem. Epheſ. 4. ver. 19.

Conſtat autem hæc ἀντεισαγωγὴ, primùm negatione, Tantum ne libertatem arripite vt datam occaſionem carni (carni enim in omnes peccandi occaſiones intentæ, & licentiæ ſuæ prætexenti plauſibile libertatis nomen, frenum non eſt laxandum.) Deinde affirmatione, Sed ex charitate ſeruite alij aliis. Charitas non quærit quæ ſunt ſua, nō irritatur, non cogitat malum. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. 1. Cor. 3. 5. 7. Hæc autem vſum libertatis Chriſtianæ moderatur. Quare ſic vtendum libertatis iſtius priuilegio, vt ex charitate alij aliis ſeruiant. Id autem futurum eſt, ſi infirmorum rationem habuerint ii, qui firmi ſunt fide: & econtrà infirmi fide firmis, iniquis præiudiciis non fuerint moleſti, Ro. 14. & 15.

Quum autem videamus, quàm ſolicitè Paulus nouæ obedientiæ ſtudium requirat, & Iuſtificationi Sanctificationem coniungat: ne ſimus eorum ſimiles, qui dum Pontificiorum de operum iuſtificatione dogma falſum conuellunt, perinde de operibus loquuntur, ac ſi inter adiaphora referenda, eorúmque perpetuum exercitium non admodum à Chriſtianis exigendum foret.

4. In 14. verſu ſecundæ Tabulæ Decalogi complementum, in Proximi dilectione poſitum eſſe, Apoſtolus confirmans, αἰτιολογίαν, ab honeſtiſſimo & ſaluberrimo fine legis petitam adducit. Non pugnat cum fine legis, Chriſtiana libertas, quum huius τῆς πλέξεως lex amuſſis ſit. Finis autem legis eſt, vt proximos perinde vt noſipſos diligamus. Quare, vt iſtud reipſa teſtemur, alii aliis ſeruiant. Huc facit exemplum Pauli dicentis: Nam quum liber ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, vt plures lucrifaciam. 1. Corint. 9. verſ. 19.

Bone Deus, quàm ſunt diſſimiles Paulo, ambitioſi Diotrephes, qui Domini clero imperare, quàm ſeruire malunt: conſeruos cædunt, & anathematiſmis inſectantur: & pacem aliorum regnorum Eccleſiis ſuadent, Leonis Sophiſtæ exemplo, qua domi ſuæ deſtituuntur.

5. Verſu 15. idem oſtendit Apoſtolus, videlicet in vſu libertatis Chriſtianæ charitatis regulam non eſſe negligendam. Quòd inhoneſtum & perniciоſum eſt, id à libertatis Chriſtianę vſu alienum eſt, & Sanctificationi è diametro repugnat. Neglectio legis de diligendo proximo & inhoneſta & pernitioſa eſt. Ratio huius Minoris ducitur à cauſſarum & effectuũ expoſitione Metaphorica, de morſu, de voratione & conſumtione, quibus odia, contẽtiones deſignantur. Videbitur autem alluſiſſe Paulus ad illa verba Iſaiæ de

ciuilibus

ciuilibus Israelitarum dissidiis : Et retrahet se ad dexteram , & esuriet : & comedet ad sinistram, & non saturabitur : vnusquisque carnem brachij sui comedet. Manasse, comedet Ephraim, & Ephraim Manasse, simul ipsi contra Iehudam. Isa. 9.20.21. Quare libertatis amantes & sanctificationi verè studentes, alieni ab odiis, simultatibus & pugnis esse debent.

Ex totius autem Transitionis istius doctrina liquet, charitatem gubernatorem esse Christianæ libertatis, & eandem lucere in omnibus sanctificationis exercitiis.

PROPOSITIO.

6. Sicut iustificatio, ad fidei doctrinam, ita Sanctificatio ad Charitatis doctrinam & exercitia referri debet. Ideò Paulus tanto studio dilectionem proximi nunc flagitat, vt certum argumentum dilectionis erga Deum. Iuxta illud: Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. 1. Ioan. 4.20.

Cæterum propositio doctrinæ de sanctificatione, διδασκαλικῶς, tradita, occurrit, versu 16.

Hoc autem dico, Spiritu incedite, & quod concupiscit caro ne perficite.

Duo huius propositionis capita sunt, alterum προτρεπτικὸν, quo ostendit quid sit summo studio faciendum: alterum dehortatorium, quo quid diligenter cauendum & omittendum sit, docet.

Πνεύματι περιπατεῖτε, Spiritu incedite. Spiritum vocat hominẽ quatenus per Spiritum sanctum animatus & renatus, nouus homo est. Ioan. 3.6. Quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est. Spiritu incedere nihil aliud est, quàm Renouari Spiritu mentis, & induere nouum illum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iusticiam & sanctimoniam veram, Ephes. 4.23.24.

Per Sanctificationem itaque, Dei imago in nobis renouatur, cùm Mens luce sapientiæ de Deo Conditore & Redemtore illustratur : voluntas autem flectitur ad amorem Dei, iusticiæ, & pietatis: & denique vires ad benè agendum in nobis instaurantur, ac tandem prælucente fide & agnitione Mediatoris Christi aliqua Deo grata fiunt.

Καὶ ἐπιθυμίαν σαρκὸς οὐ μὴ τελέσητε. Et quod concupiscit caro ne perficite. Quid carnis vocabulo designet Apostolus, liquet ex Antithesi cum spiritu, & illo Christi dicto: Quod genitum est ex carne caro est, Ioan. 3.6. Caro itaque totum hominem, quatenus non est regenitus, denotat. Quod caro concupiscit non perficere, est deponere quod ad pristinam conuersationem attinet, veterem illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur, Ephes. 4. ver. 22.

Ex hisce colligo, Sanctificationem duabus rebus constare, regeneratione primùm noui hominis, & imaginis Dei instauratione, studióque obediendi Spiritui sancto : deinde carnis eiusque cupiditatum mortificatione & abolitione: Prior gratia est positiua, posterior autem priuatiua, vt ita docendi gratia loquar.

In hunc modum Paulus generatim de sanctificatione loquens, miranda breuitate res multas & magnas complexus est, quarum nonnullas seorsim, in Paræneſi quæ κατασκευὴ subsequitur, tractabit.

KATAΣKEYH.

7. Sequitur Confirmatio propositionis de Sanctificatione. Eius autem

primum argumentum ducitur ab ἀπόνδῳ πολέμῳ carnis & Spiritus in eodem homine qui nondum est ab omni parte renatus, versu 17.

Infensissimi & tamen domestici hostis, subindè ad mala nos solicitãtis & impellentis impiis & noxiis cupitatibus, nequaquam mos gerendus est.

Eiusmodi hostis est Caro: vt ex eo manifestum est, quòd illa aduersus Spiritum concupiscit: vt quæ ei sit opposita, efficiátque vt non quæcunque voluerimus, eadem & faciamus. Huc facit illa Pauli querela: Non facio bonum, quod volo: sed malum quod nolo, hoc ago. Rom. 7. 19.

Quare id quod caro concupiscit, perficiendum non est.

8. Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege, versu 18. Argumentum secundum, à fructu & vtilitate sanctificationis nostræ ductum.

Inæstimabilis fructus est eius rei, quæ certissimum argumentum est, nos non esse sub lege, hoc est, nos primùm à maledictione Legis per eum liberatos esse, qui nostra caussa execratio factus, benedictionis auctor extitit, deinde, sub lege non esse, quum gratis, fide propter Christum iustificemur: tertiò, coactionis respectu sub lege non esse quia ἐκ προαιρέσεως legi obedire malimus: postremò, quatenus lex peccati virtus est, & iubendo non iuuando, nobiscum agit, sub exactore lege non versari.

Atqui spiritus ductus (qui sanctificationem nostri præcipuè commendat) ostendit, nos sub lege non esse. Hæc minor probatur testimonio Pauli Rom. 6. 14. Peccatum enim vobis nõ dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia. Homo aut est sub lege, ac tũ ei dominatur peccatũ, cuius illa virtus est: aut est sub gratia, ac tũ spiritu ducitur, nec ei dominatur peccatũ.

Quare fructus incomparabilis est sanctificationis nostræ, in qua ductus & magisterium spiritus præcellit, &c.

9. Tertium argumentum ducitur ab inhonesto & pernitioso, vt quantum mali sit in sanctificationis τῆ διεφθορᾶ, liquidum fiat. Non est eius desideriis obsequendum, cuius omnia opera turpissima & modis omnibus pernitiosa sunt.

Atqui eiusmodi sunt carnis opera, vers. 19. 20. 21. Ex catalogo operum carnis, eorum turpitudo: ex eo, quòd è regno Dei ea patrantes excluduntur, quàm sint noxia, manifestum est.

Carnis itaque cupiditates perficiendæ non sunt: vt quæ è diametro cum sanctificatione pugnent.

10. Quartum argumentum, docet quantum boni sit in vera emundatione ab inquinamentis carnis & spiritus, & ducitur ab honesto, quod idem vtile & necessarium est.

Quis dubitet eius ductum nobis honori & vsui esse, cuius fructus sunt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo temperantia?

Atqui hi spiritus fructus sunt, versu 22. Meminerint autem pij, istarum virtutum, quum sint χαρίσματα seu dona Dei, ἄπνον κύριον esse Spiritum sanctum, συνέργον autem hominem, quatenus is renatus est, in quo à gratia liberatum arbitrium liberum esse incipit.

Quare spiritu incedendum nobis est.

11. Quintum argumentum à felice eorum qui sanctificantur conditione ideo ducitur, vt filij Dei sanctificationis gratiam sibi gratulari discant.

Præcipua eorum felicitas est, aduersus quos non est lex, id est, quos illa conde-

condemnatione & maledictione prosequi nequit.

Sed aduersus eos qui sunt eiusmodi, id est, sanctificati, non est lex vers. 23. Ratio est, quia sunt sub gratia. Rom. 6.14.

Quare præcipua eorum felicitas est quam meritò & sibiipsis & consortibus eiusdem benedictionis gratulentur.

12. Minorem præcedentis Syllogismi probat Apostolus, versu 24. Lex non est aduersus eos, qui carni totis viribus aduersantur. At qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis. Quare aduersus eos non est lex.

13. Postremum argumentum, vers. 25. traditum eiusmodi est.

Eius ductu incedendum, cuius caussa viuitur. Atqui Spiritu viuimus. Spiritu igitur & incedamus, & tota vita testemur nobis illud cordi esse, quod alibi Apostolus noster testatus est: Si Spiritu actiones carnis mortificetis, viuetis. Rom. 8.13.

EXHORTATIO.

14. Restat postrema pars doctrinæ de Sanctificatione, quæ est παραινετικὴ. Ne enim theoricè tantum in vmbra de sanctificatione nobis differendum putaremus, ad praxim & exercitia eius nos reuocat: & eo consilio præcepta & exhortationes subiungit. De his itaque ordinè & breuiter agendum erit.

Primum præceptum est, de Modestia seu ταπεινοφροσύνη, quod Apostolus per contrarii negationem extulit, vers. 26. Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios prouocantes, aliis inuidentes.

Quemadmodum modestia, erga alios officiosa est, & gratulatur eis omne verum bonum: ita κενοδοξία, aliis obtrectando, aliis inuidendo, turbas dat & perniciosam Atem agit in tota vita.

15 Secundum præceptum est de Mansuetudine, tum quoque declaranda, quando nobis negocium est cum iis, qui in aliqua offensa præoccupati sunt. cap. 6. versu 1.

Sicut Spirituales, nunquam non mansuetudinem erga lapsos declarant: non enim ignorant se quoque tentari posse, eóque nomine cum fratribus lapsis haud secus agunt, quàm secum agi vellent: ita è diuerso Carnales reipsa, nominetenus autem Spirituales, summi iuris rigorem, à Græcis ἀκριβοδίκαιον dictum, erga eos qui alicubi impegerunt, declarare solent: nequaquam memores suæ infirmitatis, & eius vulgò quod dici solet: summum ius, summa sæpè iniuria est.

16. Præceptum tertium est de communium onerum tolerantia versu 2. Sic enim in rebus humanis diuinitus comparatum est, vt nemo sit αὐτάρκης, sic vt aliena opera planè non indigeat. Tum demum verò alij aliorum onera rectè portabimus, iuxta legis Christi præscriptum, quum Dei exemplo discemus τροποφορεῖν, mores ferre alienos, Actor. 13.18, & memores erimus Apophthegmatis Demosthenis, quod certè relatu indignum nõ est. Interroganti enim quid homo simile Deo habeat? respondit, τὸ εὐεργετεῖν καὶ ἀληθεύειν, hoc est, perpetuum beneficentiæ & veritatis amorem & studium.

17. Præceptum quartum, superioribus affine est, de recta suiipsius & operum suorum censura & æstimatione. vers. 3.4.5.

1. Vt nemo sua ipsius provincta cædere debet, sic nemo dissimulare debet, quídnã è Deo acceperit, quibus doctrinę & virtutũ prędidiis sit ornatus.

2. Nemo etiam ſimulando ea ſibi infeliciter arrogare debet, quibus ſe deſtitui ſentit: ne videlicet non tam aliis, quàm ſibiipſi imponat.

3. Ad calculos tamen, vnicuique noſtrum Opus ſuum, id eſt, conſilia dicta & facta, reuocanda ſunt: ne quid temerè à nobis peragatur.

4. Nec in illa cenſura illud potiſſimum ſpectandum, quid videlicet aliis quibuſdam de nobis videatur, ſed quid nobis bona conſcientia dictet. Nam aliorum de nobis iudicia, vel ſunt vera, vel ſunt falſa. Si vera ſunt, congruent cum noſtro iudicio: ſi verò falſa ſunt, cauendum, ne fucum nobis faciant.

5. Denique, cum nec aliena errata, nos bonos efficiant: neque aliena ἁμαρτήματα meliores coram Deo iudice reddant: meminerimus noſtri ipſorum rationem habendam, & conſcientiam Deo vni potiſſimum adprobandam nobis eſſe.

Præceptum quintum eſt, de Beneficentia diſcentium in Eccleſia erga docentes primùm, deinde & erga cæteros pauperes, inter quos domeſtici, ſeu conſortes fidei primas obtinent. verſ. 6. 7. 8. 9. 10.

1. Quum nulla ſit inter ſpiritualia dona & corporalia bona proportio, docentibus omnis generis adminicula huius vitę à diſcentibus ſubminiſtrari æquiſſimum ſanè fuerit.

2. Dei enim, qui irrideri nec poteſt nec debet, iudicio piis omnibus ſtandum, & διδάσκοντες piè docentibus ſubminiſtranda ſunt.

3. Illud autem ij, qui in ſermone inſtituuntur, ſibi perſuaſum habeant, quod vetus prouerbiũ monet: Vt ſementẽ feceris, ita quoque metes. Si hilari corde & larga manu ſementẽ fecerint, copioſa perfruẽtur meſſe, & cõtrà.

4. Quum autem non idem ſit & ſementis & meſſis tempus, non eſt cur pij dolenter ferant, ſi beneficentiæ ſuæ erga pios doctores fructum, non nihil differri animaduertant.

5. Etſi autem erga omnes, quibus opus eſt noſtra beneficentia, nos decet eſſe beneficos: maior tamen nobis habenda eſt ratio eorum, qui ſunt conſortes fidei noſtræ, quàm eorum, qui prorſus alieni ſunt à fide Chriſti.

Hæc de Sanctificatione breuiter annotare licuit. Omnia autem eò tendunt vt intelligamus, etiam eius reſpectu, nec Galatis olim ad Pſeudoiudaiſmum illum, nec nobis ad Papiſmum tranſire, ius & fas eſſe: id quod ex antedictis liquet. Dominus noſter Ieſus Chriſtus det, vt in ſancto fidei, charitatis & ſpei propoſito perſeuerantes vſque ad militię huius periodum, eiuſdem dono coronam gloriæ obtineamus, ad ſempiternam Dei laudem, & omnium noſtrum ſalutem, Amen.

EPILOGVS EPISTOLÆ BEATI *Pauli ad Galatas.*

1. In Epilogo mirando modo affectus mouet Apoſtolus, & quidem eo conſilio vt oſtendat, rem piis digniſſimam fore, ſi in ſancta vocatione perſtent, indigniſſimam autem & modis omnibus pernitioſam, ſi à Pſeudoapoſtolis ſeſe tranferri in aliud Euangelium patiantur.

Meminerimus autem idem nobis quoque dici, quibus hoc tempore non ſolùm externi hoſtes, Antichriſti ſatellites & Triarij, imminẽt: ſed etiam domeſtici antagoniſtæ, auctores ἑτεροδιδασκαλίας & ſchiſmatum ac ſcandalorum, ingens faceſſunt negocium. Seruemus itaque ſummo ſtudio, per Spiritum ſanctum præclarum depoſitum doctrinæ cœleſtis, & quantum quidem in nobis

nobis est, studeamus illud integrum & ab omni fermento pharisaico alienum, posteris ceu lampada per manus tradere.

2. Porrò quum in προλεγομένοις sex præcipua Epilogi capita exposuerimus, non est cur eadem nunc repetamus, cum & ocio & viribus hoc tempore destituamur. Satis fuerit ὑποθέσεις ad θέσεις traducere: id quod breuiter præstare conabimur.

3. Amoris piè docentium erga discentes, magnum argumentum est, si haud grauentur, ea, quæ viua voce fideliter tradiderũt, literis summa fide & perspicuitate mandare. Ac hic insignis doctorum & pastorum amor mutuum amorem Auditorum promeretur vers. 11.

4. Odio digni sunt, qui sub specioso obseruationis ceremoniarum religiosarum prætextu, simplicibus discipulis, iugum quod ipsi non subeunt, imponunt, emerendæ quorundam Deuterotarum gratiæ ergò, & vt habeant de quo glorientur, versu 12. 13.

5. Præstat de Christi cruce gloriari, & Mundum sibi crucifixum auersari: quàm Christi caussa aduersa pati nolle, & cum Mundo Pyraustæ gaudium gaudere, vers. 14.

6. Quum in Christo primas obtineat noua creatio, seu regeneratio & renouatio nostri: non est cur ieiunis Mundi elementis superstitiosè seruiamus, versu 15.

7. Veri Israelitæ Spiritus, non literæ canoni insistunt, & soli pace & misericordia Dei fruuntur.

8. Sensus stigmatum & perpessionum Christi in corpore, & gloriam maiorem & solatium habet: quàm omnium ceremoniarum, quæ sunt expertes Spiritus, obseruatio.

9. Iis qui amaro animo sunt aduersus hostes crucis Christi, quicunque molestias exhibent, ignorant, quàm non sit in hoc mundo delicatum & voluptuarium veri Christianismi exercitium.

10. Nihil maiore studio & nobis expetendum, & aliis piis precandum, quàm, vt gratia Domini nostri Iesu Christi, sit cum omnium nostrûm Spiritu. Basileæ, pestilentia grassante, inter medios labores, Anno 1582. Mense Decembri.

Παντοτε δόξα Θεῷ.

DE ECCLESIA DEI, THESES DECEM, oppositæ erroribus Catabaptistarum, de quibus 13. Decembris, in Schola Theologica Basilienſis Academiæ, Præside D. IOAN. IACOBO GRYNÆO, *S. Theologiæ Professore, σὺν Χειρῷ, respondit optimarum Artium Magister,* GREGORIVS BRANDMYLLERVS *Basilienſis.*

1. *De Ecclesia Dei.*

ETSI Patres sub Lege Pędagogo versati sunt: nos verò libertatis priuilegio gaudemus: tamen vna tantùm est Catholica Dei Ecclesia, quæ vtriusque Testamenti fideles, vnius eiusdémque fœderis consortes, complectitur.

2. *De Auctore Ecclesiæ.*

Sanctificat enim illam sibi in peculium Iehouah, qui est essentia quidem vnus, trinus autem Personis (proprietatibus characteristicis distinctis, quæ sunt gignere, nasci, procedere) videlicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

3. *De Mediatore Iesu Christo.*

Sine Mediatore θεανθρώπῳ, nulla in genere humano (quod reum erat) constitui potuit Ecclesia, cui Capite & redemtore opus erat. Ideo æternus ὁ λόγος assumsit massam humanæ naturæ, de substantia Mariæ Virginis, fratribúsque per omnia similis factus est, excepto peccato.

4. *De Generatione hominum.*

Omnes homines nascuntur in peccato originis, sunt filij iręe & rei mortis, etiam ii qui è fidelibus parentibus ortum ducunt.

5. *De Regeneratione saluandorum.*

Ideo omnes salvãdos renasci oportet, vt possint introire in regnum Dei. Ac cum fœderis gratiæ consortes Paruuli, in eorum censu sint, cum vetere & Apostolica Ecclesia, vt Circumcisionem paruulorum (temporibus veteris Testamenti vsurpatam, nunc verò abolitam) ita nunc Pædobaptismum, qui illi successit, probamus: Anabaptismum verò, vt contumeliosum in Deum (cuius inuocatio irrita fit, retinctione illa) improbamus.

6. *De Iustificatione.*

Fideles iustificantur, non vt Catabaptistæ opinantur, partim merito crucis seu suorum παθημάτων & bonorum operum, partim fide in Christum: sed sola fide iustificantur, per remissionem peccatorum & imputationem iustitiæ Christi.

7. *De Alimonia Spirituali.*

Eucharistia nequaquam est nuda professionis tessera, vt fingunt Anabaptistæ: sed, si rem Sacramenti spectes, esca potúsque spiritualis, communis toti Ecclesiæ inde vsque ab initio Ecclesiæ. Est enim communio corporis & sanguinis Agni Dei (qui occisus est ab origine mundi) seu Iesu Christi, qui heri & hodie idem est, & in secula. Hęc spiritualis Alimonia, vt & Circumcisio cordis, communis nobis est cum sanctis Patribus.

8. *De Sanctificationis exercitijs & Dei cultu.*

Neutrum horum τῇ σωματικῇ γυμνασίᾳ potissimùm constare dicimus: sed ἁγιασμὸν quidem iugi mortificatione carnis & viuificatione Spiritus: θεοσέβειαν autem, pietate seu cultu rationali.

9. *De Rebus Politicis & Oeconomicis.*

Quum Euangelium sanciat Politias & Oeconomias: negamus fidei prætextu tolli posse Ciuilem & Coniugalem ordinem: Iudicia, Iusiurandum legitimum, quod fidei & charitati seruit: facultatum, nobilitatis & inferiorum vitæ graduum distinctionem: Militiam & bella necessaria & iusta, & alia νομιμα, & ad vitam animalem tuendam necessaria.

10. *De*

10. *De Scriptura ſancta.*

Vtriuſque Teſtamenti libri Canonici ſacroſanctã habent auctoritatem, cùm totam Religionem Chriſtianam & doceant, & veram eſſe demonſtrẽt. Noui tamen fœderis libros doctrinę fidei, ſpei & charitatis illuſtriorem explicationem complecti, non negamus. Anabaptiſtas autem, his decem Theſibus reclamantes, periculosè à veritatis via aberrare, dicimus.

VENI ET VIDE Ioan. 1. 47.

DE DEO REDEMPTORE, THEOLOGICA quædam doctrinæ orthodoxæ capita, de quibus XVII. *Ianuarii Anni 1583 in Schola Theologica,* IOAN. IACOBO *Grynæo præſide, σὺν θεῷ reſpondit,* SAMVEL, AVIENVS, BERNAS.

Ad egregios, ac non minus virtutibus ornatos, quàm genere claros iuuenes, IOANNEM ANTHONIVM, & IOAN. FRANCISCVM *Tillieros, magnifici viri,* DN. IOANNIS ANTONII *Tillieri, inclytæ Bernenſis Reipub. Quæſtoris, ac eruditorum patroni opt. filios, ſtrenæ loco miſſa.*

I. Ἀπόφανσις.

PROPOSITVM nobis eſt, ad Dei gloriam & noſtram inſtitutionem, iuxta præſcriptum τρόπον παιδείας, illuſtrare ſententiam nobiliſſimi dicti Pauli Apoſtoli: Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt, & in ſecula Hebr. 13. 8. Ita enim nobis conſtabit, tum quid toti Catholicæ Eccleſiæ Sponſus & Seruator Ieſus præſtet, tum varias & peregrinas doctrinas nobis eſſe fugiendas.

II. *Partes* τῆς ἀποφάνσεως.

Pronunciatum Apoſtolicum, habet ὑποκείμενον quidem Ieſum Chriſtum, ἄνθρωπον, cuius pedibus Pater omnia ſubiecit, cúmque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ: Epheſ. 1. 22. vt idem & Conditor & Redemtor noſter eſſet: κατηγορούμενον autem, heri & hodiè idem eſt, & in ſecula, hoc eſt, Chriſtus eſt ἀπεφσωπολήπτως omnia in omnibus, (Col. 3. 11.) ſeu in tota vera Eccleſia, quæ eſt corpus ipſius, & complementum eius qui omnia implet in omnibus. Epheſ. 1. 23. Ipſe ſolus ſanctificat & illuminat & beatam facit totam Catholicam Eccleſiam.

III. Ἀπόδειξις κατασκευαστικὴ.

Annexum. Si inde vſque ab initio Eccleſiæ, Ieſus Chriſtus fuit eius Sacerdos ſummus, ſeu Mediator vnicus, meritis ſuis pro ea intercedens: Rex vnicus & æternus: & Propheta κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, & his muneribus etiamnum ſumma fide defungitur, ſic vt ſit noſtra ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio. 1. Corinth. 1. 30. ac tantiſper iſta nobis præſtabit, donec tradiderit regnum Deo & Patri, 1. Cor. 15. 24. Tum verò ſequitur Ieſum Chriſtum heri &

hodie eundem esse toti Ecclesiæ Catholicæ, & in secula, nec huic opus esse succenturiato Capite Papa Romano; cùm ille sit contentus ordinariis suis Ministris.

Assumtio. Vera sunt quæ antecedunt omnia. Etenim si spectes Sacerdotis προσκείμενα & actus, I. Semper adfuit Israeliticæ Ecclesiæ. 1. Cor. 10. 4. 9. & nunc adest Christianæ, Matth. 28. 20. II. Fide incarnandus præuisus est, à Patribus, Ioan. 8. 56. sicut nos incarnatum agnoscimus per fidem, 2. Cor. 5. 7. III. In nomine eius preces conceptæ sunt à Patribus & Prophetis, Fœdus gratiæ allegantibus. Dan. 9. 17. Hos. 1. 7. IIII. Dedit & dat Testamẽti sui Ministros. Eph. 4. 11. V. Ipse semper circuncidit suorum corda, Deute. 10. 16. Col. 2. 11. VI. Ipse baptizat nos Spiritu, vt olim & Patres. Matth. 3. 11. 1. Cor. 10. 2. VII. Ipse eandem escam, eundémque potum Spiritualem, & Patribus olim dedit, & nobis hodie dat. 1. Corinth. 10. 3. 4. VIII. Ipse est Agnus ille (si vim meritorum eius spectes) mactatus iam inde à iactis Mundi fundamentis. Apoc. 13. 8. IX. Ipse est Pascha nostrum, pro nobis sacrificatum 1. Cor. 5. 7. veritas omnium Leuiticorum sacrificiorum, quę illius τύποι erant. X. Ipse est καλλιέλαιος, cui nos (oleastri surculi) quoque inserti sumus. Ro. 11. 24. Porrò, Regio ἀξιώματα (vt συλλήβδην omnia complectar) conueniunt, I. Νομοθεσία, II. Gubernatio & Defensio totius Ecclesiæ & singulorum fidelium, III. Sceptrum verbi & alia, quæ omnia Domino nostro Iesu Christo, in Scripturis θεοπνεύστοις tribuuntur. Propheticum autem munus, ei quoque competere hæc testantur, I. Promulgatio Legis & Euangelij per ipsum facta, II. Vtriusque doctrinæ sanctio, quæ miraculis & summa doctoris vnici innocentia commendabilis est: III. Colloquia cum Sanctis Patribus, Prophetis & Apostolis & Iudaico populo: IIII. Spiritus sancti missio in corda credentium & horum vnctio ἡ ἔλαμψις: V. Institutio & conseruatio sacri Ministerij. Denique vt in Christo Iesu, omnes fideles benedictionis spiritualis, in cœlis, ac eius specierum, videlicet, gratuitæ & certissimæ Electionis, Vocationis, Iustificationis & Sanctificationis, ex decreto, quod Mundi fundamenta præcesit, sunt participes. Ephe. 1. 3. 4. Rom. 8. 29. 30. Ita quotquot sunt Dei promissiones, in eodem Iesu Christo sunt etiã & in ipso sunt Amen. 2. Cor. 1. 20.

Complexio. Ergò heri, hodiè Iesus Christus idem est & in secula: nec ei opus est aliis συνέργοις, quàm iis, quos ipse ascisscere dignatur, fidelibus, inquã, verbi Dei Ministris.

IIII.

Vt autem inter Patres fideles & Nos qui etiam in Iesum Christum credimus, interest, non ratione substantiæ vtriusque Testamenti, sed dispensationis: non τῆς ἀληθείας, sed τῆς λειτουργίας: non doctrinæ, sed lucis cognitionis: non fidei, sed potissimum externorum eius adminiculorum: Sic inter Pseudo-Israelitas & Pseudochristianos, si Spiritum (cuius expertes vtrique sunt) spectes, nullum est discrimen: si autem literam spectes non magnum est discrimen. Vtrique enim literam in verbo & Sacramentis, vt μαρτύριον καὶ κρίμα, suo ipsorum scelere experiuntur: ac interim ipsi sunt propter incredulitatem ἀπεσταλμένοι τῇ καρδίᾳ. Act. 7. 51. alieni à verbo vitæ, à baptismo spiritus, à communione Iesu Christi, à spe vitæ æternæ: cùm in propatulo solùm, illi quidẽ Iudæi fuerint, hi autem Christiani sunt, & vtrique non ex Deo, sed ex hominibus laudem habeant. Rom. 2. 28. 29. 30. ὁ ἀνθρώπων ἔπαινος. Matt. 23. 15.

PRO-

PROBLEMA THEOLOGICVM, DE QVO

Pridie Cal. Febr. in Theologica disputatione, Præside, IOAN. IACOBO GRYNÆO, *Theologiæ Doctore, exercitij gratia, respondit* PETRVS PAGETVS, *Paterniacensis.*

AD,

Virum Opt. & eruditissimum, D. CHRISTIANVM IN PORTV, *S. Theologiæ in Bernensi Schola Professorem.*

1. *Enunciatio.*

PROPOSITVM nobis est, ad Dei gloriam, & nostram Consolationem, secundùm παιδείας τρόπον, hac disputatione explicare dictũ Pauli, Θεὸς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. 1. Timo. 2. 4.

2. *Partes Enunciationis.*

Subiectum in hac Enunciatione est, Deus, quem penes αὐτοκρατορικὸν arbitrium est, hominum vitæ & salutis: ac mortis, exitiique æterni: Prædicatum est, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

3. *Quæ, qualis, quanta est illa Pauli Apostoli Enunciatio?*

οὐσία.) 1. Categorica. Nam simpliciter de Deo dicitur, quòd velit omnes homines saluos fieri.

ποιότης.) 2. Aiens. Quia eius subiecto aliquid certò tribuitur.

ποσότης.) 3. Indefinita. Quoniam, non τὸ καθέκαστον πρὸς τὸ καθόλου: sed ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος, pronunciatur. Ac restrictionis τοῦ καθόλου, certissimum argumentum est clausula: & ad agnitionem veritatis venire. Rectè autem dixit Ioannes Chrysostomus, ἐπίγνωσιν τ ἀληθείας esse fidem τῇ πληροφορίᾳ excellentem.

4. *Quæ igitur enunciationis sententia est?*

Deus vult quosuis homines (modò sint fideles) saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc est, vult Deus credentes (hi dicuntur ad agnitionem veritatis venire) & baptizatos, seruari: non credentes, condemnari. Marc. 16. 16.

5. *Proba hanc sententiam* κατασκαστικῶς.

1. Contrariorum Contraria sunt consequentia. Hæc autem est voluntas Patris, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternã. Ioan. 6. 40. Ergo est voluntas eiusdem Patris, vt omnis qui non videt Filiũ. nec credit in eum (in horum censu sunt Mahometistæ, Iudæi increduli, Pseudochristiani) non habeat vitam æternam.

2. Deus vult vt soli credentes salui fiant. Marc. 16. 16. nec fieri potest, vt sine fide quisquam ei placeat: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet esse Deum. Hebr. 11. vers. 6. Soli electi credunt, Tit. 1. 1. nam fides non est

omnium. 2. Thess. 3. 2. sed eorum tantùm qui sunt τεταγμένοι, ordinati ad vitã æternam. Act. 13. 48. Solos igitur credentes Deus vult saluos fieri. Vnde liquet τὸ καθόλου, in verbis Pauli Apostoli, restringendum esse ad Credentes. Extra controuersiam verò est, nõ omnes homines credere in Christũ Iesum.

6. *Adstrue eandem, sed* ἀναασκευαστικῶς.

Si omnes in vniuersum homines Deus Pater saluari vult, Tum sequuntur hæc absurda. 1 Eodem apud Deum Seruatorem loco esse fideles, & infideles, cùm (iuxta διδοχὴν) omnes in vniuersum homines saluos fieri velit. 2. Pereuntes, Deo inuito perire: ac proinde Deum non esse omnipotentem. 3. Infideles Deo placere, & ad Deum accedere: neque enim seruari possunt qui Deo displicent, & eum fugiunt. 4. Non verè dictum: Qui non credit, iam condemnatus est. Ioan. 3. 18. & c. 5. Omnes homines esse Electos: neminẽ enim seruari, qui electus non sit, nemo nisi vesanus negabit: cùm sit scriptũ: Multi vocati, pauci verò electi. Matth. 22. 34.

Sed hæc omnia, & multa alia (quæ consultò prætermittimus) sunt absurda, & falsissima. Aduersa autem sunt ἀναντιῤῥήτως, ἀυτόπτα καὶ ἀμετακίνητα.

Igitur & illa opinio, qua posita ista illa tetra absurda sequuntur, est absurda, & falsa.

7. *Quid ex his colligis?*

Hoc sibi velle Paulum, piis orandum pro omnium ordinum, & ætatum hominibus, cum ex illis omnibus, sibi Deus sanctificando segreget eos, quibus dat, vt ad agnitionem veritatis veniant, hoc est, vt fideles tandem salui fiant, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Clemens Alexandrinus.

Ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια· ψευδοδοξία ὃ καταλύεται.

DE LIBERO ARBITRIO DISPVTATIO Theologica, de qua præside IOANNE IACOBO GRYNÆO, *respondit* IACOBVS ARMINIVS *Hollandus, ad diem Febr. 14. Anno à Christo nato.* M. D. LXXXIII.

I.

HEret animus, ad Dei laudem & nostram institutionem, demonstrare, Deum quidem esse αὐτεξούσιον, & liberrimum agens: Hominem verò esse ἀυτεξούσιον: sic vt eius libertas sit circumscripta suo centro spacióque, videlicet Dei Lege.

II.

Ei soli rectè tribuitur ἡ αὐτεξουσιότης, qui quum summè bonus sit, bona sola immutabiliter intelligit, vult & facit perfectissimè: & ab omni malo summè alienus est. Deus autem solus eiusmodi est. Solus igitur ille perfectissimè αὐτεξούσιος est.

III.

III.

Econtrariò, Ei rectè tribuitur ἡ ἐλευθερία, qui quum initio ad Dei imaginem purus bonúsque (sed mutabiliter) conditus esset sicvt ἐκ προαιρέσεως Deo obedire posset, si vellet: spontanea inobedientia, seruum se peccati, liberúmque à iusticia effecit: sed, à Filio liberatus, seruus fit iusticiæ, liber autem à peccato, sanatis in eo viribus intelligendi & eligendi: Olim autem perfectè restitutus, non poterit peccare. Eiusmodi est homo is, cuius salute gloria gratiæ Dei illustratur. Est igitur is verè ἐλεύθερος.

IIII.

Declarantur autem huius vires, partim Libertatis & Seruitutis: partim Obiectorum, necessaria distinctione.

V.

Libertas pia (cum iusticiæ seruitute coniuncta) fulsit olim in Creationis statu, quando primum creatus est homo rectus, ac potuit non peccare: sed potuit & peccare: nunc emicat in Gratiæ regenerantis statu, in quo mortificatur Caro & peccans peccatum: & instauratur virium in homine διάταξις, & ἐνέργεια: fulgebit autem olim perfectè & perpetuò in statu plenæ nostræ instaurationis: quo florente homo non poterit non ἐκ προαιρέσεως & quidem perfectè obedire Domino Deo suo.

VI.

Seruitus impia (quæ cum illiberali manumissione à iustitia concurrit) in statu peccati regnantis, nec reliquam in Mente hominis lucem (quæ ἀναπολόγητον coram Deo facit) nec Mentis Voluntatísve physicas vires tollit: sed benè velle eripit: malè autem velle substituit: ac necessitatem peccandi, quæ (quum ἑκουσίως accersita sit minimè excusat) inuexit.

VII.

Etsi autem antè Conuersionem Hominis, eius voluntas, quum sit principale subiectum, non est efficiens caussa conuersionis: tanta tamen est ἐνέργεια Sp. Sancti, vt post illuminationem & viuificationem mentis & voluntatis, hæc statim incipiat, & in totius sanctificationis ἐνδελεχισμῷ, seu continuatione, Spiritui S. pergat συνεργεῖν, vt beatum Melanchthonem censuisse, persuasum habemus. Meminerint autem Pij, hic agi de obiectis spiritualibus liberi arbitrij iam sanati: non autem de Ethicis & Physicis, de quibus Philosophorum fuerit, disputare.

VIII.

Ex his omnibus rectè colligimus, Deum solum esse liberrimum agens: Homini autem, à seruitute Peccati redemto, definitæ libertatis facultatem, (quæ tamen peccati peccantis extenuatione, & hominũ meritis plus æquo, & Christi merito minus quàm par sit, neutiquam assignet) esse tribuendam.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

De Fide sola iustificante, per Christi Iesu, qui sapientia & iusticia nostra factus est, apprehensionem: de qua Iesuitæ nostris Ecclesiis litem intendunt: Proposita, à viro docto & pio, D. IOANNE *Iona, Morauo, Illustris & inclyti* DN. NICOLAI *Comitis Ostrorogani, studiorum Ephoro: Exposita autem κατὰ παιδείας τρόπον, à* IOANNE IACOBO *Grynæo, Professore Theologiæ in Basiliensi Acadmia: de qua in publica Disputatione Theologica, Pridie Kal. Mart.* IACOBVS *Arminius, Hollandus, σὺν χάριτι respondit.*

AD

Pietate, virtute & generis nobilitate florentem Iuuenem, DN. TRISTANDVM PONTANVM, *veræ Religionis amantissimum.*

*Gal.*2. 21.

Nõ abrogo Dei gratiam. nam si per Legem est iustitia, igitur Christus sine caussa est mortuus.

I.

QVM Iesuitæ vociferentur, Ideò propositionem illam in Cõfessione Augustana (quæ ex Ambrosio petita, affirmat: Hoc constitutum esse à Deo, vt qui credit in Christum saluus sit: sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorũ) non esse veram, quòd sola fides Christum, sine quo nemo iustificetur, minimè apprehẽdat: visum nobis est, fucum Sophisticum hac Disputatione: ipsorum τῆς περιδιδασκαλίας καὶ κενοφωνίας, abstergere: vt veritati quidẽ suus nitor: mendacio autem sua ἀχημοσύνη, neutiquam desit.

II.

Ordinè itaque de his omnibus sed tamen διὰ βραχέων, agemus. 1. De quibus nobis & aduersariis conueniat. 2. Quis sit fons erroris Iesuitarum. 3. Quis eiusdem Scopus. 4. Qua illi ἀκριβολογίᾳ vtantur. 5. Quæ illorum Opinio sit. 6. Quibus Sophismatis, ceu ficulneis fulcris eam conentur fulcire, vt probabilis videatur imperitis & à se fascinatis. 7. Quæ sit nostra Sententia. 8. Quam firmis ea Demonstrationibus nitatur. Vident piæ Mẽtes, interesse gloriæ Iesu Christi, & nostræ salutis, hæc rectè meditata & cognita habere: atque ideò, nos ὑπὲρ ἀληθείας pugnantes, religioso fauore prosequendos esse.

III.

De his, vt διδομένοις, non controuertitur inter Nos & Iesuitas.

1. De quibus conueniat dissidentibus.

1. Citra Christi apprehensionem & applicationem, iustificari neminem: quũ is sit Materia nostræ iustificationis, hoc est, is propter quẽ iustificamur.

2. Fidem, qua iustificamur solam non esse: hoc est, seiunctam à Charitate, à Spe & à bonis Operibus: alioquin enim mortua foret. Iac. 2. 14. 17. 20.

3. Fidem historicam, ἐν καταλήψει. non iustificare. Ibidem.

4. Fidem, quæ constat πρόσκαιρῳ ὑπομονῇ, non iustificare. Mat. 13. 19. 20. 21. 22.

Idem

Idem colligi potest ex Simonis Magi exemplo. Act. 8. 13.

IV.

Fons erroris Iesuitarum est, primùm vitiosa definitio Fidei, quæ illis nihil aliud est, quàm noticia historiæ de Christo, communis & ipsis Diabolis contremiscentibus, Iac. 2. 19. deinde, ex eadem nata commenticia πληροφορία, quæ mentitur, ideò solam fidem non iustificare, quia sola non sit. Æquè autem, si Deo placet, consentanea illa est, atque est hæc, Mens in homine sola non est, sed habet adiunctam voluntatem & alias facultates inferiores. Mens igitur sola non intelligit sed per voluntatem intelligit. 2. Fons erroris Iesuitici.

V.

Scopus Iesuitis propositus est, persuadere imperitis harum rerum, hominem iustificari, partim suipsius, partim verò Christi meritis: vt & Pelagiani voluerunt. Inde etiã colligũt falsam esse Enunciationẽ: Sola fides iustificat. 3. Scopus Iesuitarum.

VI.

Ἀκωεφλογία, eorum hæc est, Fides, aiunt, quum sit cum Charitate modis omnibus coniuncta, sola certè Christum non apprehendit: quis igitur dicat, solam fidem iustificare? Atqui, non hoc quæritur, Soláne sit vera, viuáque fides, an verò cum Charitate boníque Operibus coniuncta? Sed istud in controuersia est, Sítne solius fidei propria hæc ἐνέργεια, seu muneris functio, in Iustificationis actu, Christum apprehendere & applicare credenti? 4.

VII.

Iesuitarum hæc Opinio est. Quum Fides sola non sit, sed cum Charitate & spe, boníque Operibus coniuncta: ne sola quidem Christum apprehendit: & per consequens, Sola non iustificat. Etsi autem res ipsa testatur, eos in re seria ludere, Paralogismo ἐπὶ τὸ μὴ ἄπον, ὡς ἄπον: vt tamen Cacus ille Sophisticus, è sinuosis latebris & κρησφυγέτοις, in lucem producatur, quæ sint eorum σοφὰ φάσματα, quibus ἄδικον λόγον, pingere conantur, indicabimus. Fides, aiunt, sola informis est: (habes hîc ἀμφιβολογίας vomicam, Pie Lector: Nam Iesuitis in ipso limine deficientibus, informis fides est, quæ seiuncta est à Charitate: non quæ, velint nolint, καθ' ἑαυτὴν, suam habet formam, quam nos cum Paulo πληροφορίαν appellamus.) Informis autem fides, inefficax est, vt quæ agendi ἀδυναμίᾳ laboret: Iam verò fides quæ est inefficax, Christum ad iustificationem apprehendere, & credenti applicare non potest. 5. Opinio Iesuitarum.

Sunt autem eorum Achilles stramnei, hæc Sophismata, quibus verbi Dei, Veritatísque ignis subiiciendus nobis est, vt ἄμ' ἔπος ἄμ' ἔργον, in cineres, fauillas, fumúmque redigantur.

IIX.

Sophisma Iesuitarum. 1. Absurdum est dicere, Fidem absente sua forma, vilum edere ἀποτέλεσμα. Atqui Charitas Fidei forma est. Non igitur quicquam præstat Fides si desit Charitas. 6. Sophismatum acies plumbea.

Respondeo primùm ad Maiorem per ἀνταγώνισμα: Omnium absurdissimum esse, Fidei suam propriam formam, videlicet πληροφορίαν, de gratia Dei, subdolè derogare: Deinde ad Minorem, Iesuitas τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Quis

enim intelligens hoc illis dedit, Charitatem esse fidei formam? Qui enim possit Charitas Fidei forma esse, quum hæc χαείσματα differant, ordine, finitionibus & adiunctis? Etsi enim Fides, Spes, Charitas, ab eadem efficiente principe caussa, videlicet Dei Spiritu, promissionem gratię cordibus annunciante & obsignante, ortum ducunt: & simul sunt tempore: tamen, primò per fidem cognoscimus & apprehendimus æternum bonum, nobis à Deo Patre propter Christum promissum: Spe autem expectamus, donec idem, qui verax & omnipotens est, promissum bonum plenè largiatur & exhibeat: Charitate demum, tanti boni auctorem prosequimur, eiúsque obsequio nos totos, & nostra omnia, addicimus & offerimus. Postremò ad complexionem, Fidem, quæ sua sint καρδίαν præstare, etiamsi non sit separata à Charitate: sicut Mens, intelligit: voluntas, vult: etiamsi in homine ambo concurrunt.

IX.

Iesuitarum Sophisma 2. Per quod Fides est efficax, per idem & Christū in Iustificatione apprehēdit, & Credēti applicat. Atqui illa, nō per seipsam, sed per Charitatem, efficax est: Gal. 5. 6. Per Charitatem igitur apprehēdit Christum, ac proinde iustificat: non sola, sed vnà cum Charitate & eius fructibus.

Respondeo, primùm, Maiorem non esse completè vniuersalem, ac proinde ὕπωλον: deinde, Minorem duobus Carcinomatis laborare, Petitione principij, quum falsò negat, Fidei καθ' ἑαυτὴν, suam esse propriam ἐνέργειαν, quæ est Christum apprehendere, vt sapientiam & iustitiam: Paralogismo, secundum plures interrogationes. Non enim quid in Iustificationis actu fides παθητικῶς recipiat, eo loco Paulus docet: sed quid in Sanctificationis exercitiis, eadem, per Charitatis officiosæ ministerium, ἐνεργητικῶς præstet, ostendit: postremò, ad Complexionem respondeo, aliter fidem, aliter charitatem Christum cōplecti. Illa enim, vt impetret & accipiat eius dona: hæc autem, vt se gratam & accepti beneficij memorem esse testetur, multum diligendo, Christum περιχύτῳ, complectitur. Luc. 7. 47.

X.

Sophisma eorundem 3. à Simili claudicante ducitur, in hunc modum. Sicut se dissimiliter habet Facinorosus, in carcere numella constrictus, erga triste nuncium de Capitis supplicio adeundo: & erga lætum, de vitæ dono & liberatione, nuncium: Ita se dissimiliter ad Christum habet, Fides informis, & fides per Charitatem formata. Atqui ille, triste nuncium, modis omnibus auersatur: lætum autem ideò, quia illud vehementer amat, amplectitur & recipit. Ergo & Fides informis Christum respuit: formata autem Charitate, apprehendit & amplectitur: quia eum diligit.

Respondeo, primò ad Maiorem, in ea esse ineruditum κοκκισμὸν. Etenim quis illorum, Iesuitarum dico, fidem fecit huic analogiæ, inter facinorosum, & inter fidem iustificantem? Quis etiam probauit, fidem, de qua in Iustificationis negocio agitur, informem censeri debere: si eam non informet Charitas? Quis sanus fidei duas formas essentiales affinxit vnquam? Propriam dico, & eam quæ à Charitate ei confertur, ne sit informis. Fortassis isti Philosophi & Theologi plusquam Cherubici, ab eo hæc mysteria didicerunt, qui & virtutem aliquam ἀφελητικὴν, formam virtutis ἀτωφητικῆς esse posse, animaduertit. deinde & ad Minorem, Etsi facinorosus triste nuncium, vt ingratum

καπάπ aſpernatur:non tamen ἀπλῶς illi reiicit. Velit enim nolit,illud cogitur cognoſcere,ſibi capitis ſupplicium ſubeundum.Læto autem nuncio exhilaratur,non ſolùm quia ſit nuncium,ſed & quia lætum. Longè autem alia eſt fidei ratio,in iuſtificationis actu : neque enim ſolùm promiſſionem gratiæ cognoſcendo apprehendit, & ei aſſentitur, ac fiducia ſuauiſſima in ea acquieſcit:ſed etiam Chriſtum cum omnibus ſuis meritis apprehendit, & applicat Credenti.Eſt enim fides,illud quod facit vt extent quæ ſperantur, & quod demonſtrat quæ non videntur.Hebr.11.1.Reuera autem Sophiſtica περιτολογία καὶ κενοφωνία eſt,dicere,Fides informis Chriſtum reſpuit. Non enim Fides eſt,ſed fumi vmbra,fides inquam informis,ἀπλῶς loquendo.Sed vidēt Pij,Fidem καθ' ἑαυτὴν conſideratam,ſceleratè per contumeliam, informem à Sophiſtis illis nuncupari.Nos meminerimus,ſuam & diſtinctam propriámque formam eſſe,tam Fidei,quàm Charitati:nec illorum χαυσμάτων formas, tetra confuſione permiſcendas nobis eſſe.

XI.

Superеſt,vt quæ noſtra ſit Sententia exponamus.Simplex autem quum ſit veritatis oratio,numerò dicimus : Sola nos nos fide iuſtificari, quòd ea ſola illud vnicum organum ſit, quo à nobis Chriſtus in promiſſione gratiæ annunciatus & oblatus,apprehenditur & applicatur. Excluſiua ſola,non abſentiam Spei & Charitatis infert : ſed tam propriam fidei functionem, ἐνέργειαν, quàm meritorum humanorum excluſionem,denotat. Quum fidem iuſtificare dicimus,non αἴτιον κύριον non Materiam propter quam iuſtificamur: ſed ὄργανον quo iuſtificatio apprehenditur,eſſe dicimus.Non enim fidei merito,ſed propter obiectum fidei,quod eſt Chriſtus,iuſtificamur. 7. Sententia noſtra.

XII.

Sic autem ſolidiſſimè demonſtramus,Chriſtum Ieſum,propter quem iuſtificamur,non niſi fidei πληροφορίᾳ à nobis apprehendi. 8. Demonſtrationes 3.

Demonſtratio 1. Eo inſtrumento Chriſtum apprehendimus, quo & Promiſſionem gratiæ apprehendimus. Vt enim Chriſti fiamus participes, offertur nobis in promiſſione gratiæ,vt ſi,καπάπ loquendo,vnà cum annulo aureo,pretioſam gemmam,quiſpiam offerat. Meminerint autem Pij,Chriſtum in promiſſione gratiæ,vt ſapientiam,& iuſticiam nobis offerri,&c.

Atqui ſola Fide promiſſio gratiæ apprehenditur.Hebr.4.2. Etenim nobis Euangelizatum eſt ſicut & illis:at non profuit illis auditus ſermo, vt qui fidei mixtus non fuerit ipſis qui audierant. Introimus enim in requiem nos qui credidimus.

Ergo & Chriſtus fide apprehenditur.Iuxta illud : Chriſti enim participes facti ſumus,ſi modò principium fiducię firmum tenuerimus vſque ad finem. Hebr.3.14.

XIII.

2. Non alio organo Chriſtum apprehendimus, quàm eo, quo & eius benedictionem & plenitudinem à capite in membra defluentem, accipimus.Ioan.1.16.

Atqui fide accipimus benedictionem,ideò nulli,niſi fideles,ſunt benedicti.Gal.3.2. Hoc ſolum cupio ex vobis diſcere,ex operibus legis Spiritum accepiſtis,an ex fide per auditum percepta?& verſ.9. Itaque qui ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham.

Per fidem itaque & Christum percipimus, & nobis applicamus.

XIV.

3. Si Christus nobis factus est à Deo, sapientia, iusticiáque & sanctificatio & redemtio, quis negare aulit nos per fidei πληροφορίαν eius fieri participes? Est enim nobis fides oculorum vice, quibus Christum videmus: aurium vice, quibus verba vitæ æternæ haurimus : labiorum & linguæ vice, quibus quàm sit suauis, gustu spirituali percipimus: manuum vice, quibus illius dona apprehendimus: oris vice, quo viuificam illius carnem edimus, &c.

Vera sunt quæ antecedunt omnia. Igitur & quæ ex iis sequuntur, sunt ἀναπρόπτως vera & immota.

XV.

Ex iis, quæ nobis dicta disputatáque sunt, luce meridiana clarius appareret, verè dictum in Confessione Augustana: Sola nos fide iustificari, eò quod illius propria ἐνέργεια sit Christum, Iusticiam nostram apprehendere, & Credenti applicare: id quod contra Iesuitas solidè demonstrandum, sumsimus. Basileæ, Anno 1583. die 18. Februarij, qua die, ante 37. an. Islebiæ in Patria, Doctor Martinus Lutherus, in pia inuocatione filij Dei, obiit placidè.

Μακάριοι οἱ ξωὴν κοσμοῦντες σώφρονι σώματος ἤθοντων λόγων. Plato.

DE MEDIATORIS INVOCATIONE, THEses Theologicæ, oppositæ Iesuitarum, de Mariæ virginis, Angelorum, & Hominum mortuorum intercessione, erroribus: de quibus, Præside

IOAN. IACOBO GRYNÆO, *in publica Disputatione, pridie Idus Martij, respondit*

GREGORIVS BRANDMYLLERVS, *liberalium Artium Magister.*

AD

Primariæ nobilitatis Iuuenem, ingenij & virtutum laude florentem, HOLGERVM VVLFSTANDT, Danum.

Domi nobili Iuueni Dn. Holgero Vulfstandt, gente Dano,

S. D. P.

SI iusta causa est, cur fœcundis fertilibúsque agris, colonos industrios & sedulos, gratulemur: quòd alioquin neglectis vrenda filix innascitur agris: quis dubitet, generose Holgere, non tantùm ingenium felix & eruditæ doctrinæ egregiè capax, memoriam fidelem, & virtutem eam quæ pulcro prodiens è corpore singularem habet gratiam: sed etiam fidam institutionem & gubernationem, viri eruditissimi, Eschylli Christiani, gratulandam tibi esse?

Enim-

Enimuero, quum te assiduum Historicarum Prælectionum Auditorem, vnà cum nobilissimis Iuuenibus, Georgio Spigelio, Iacobo Biornone, Petro Dresselbergh, Stenone Belde agere video: & in Theologicis Disputationibus frequenter & eleganter de rebus præclarissimis, disserentem, & bene præmeditata, in medium modestè proferentem, audio: læteor tuo, tuorúmque popularium exemplo, cæteris addi calcar: vobis autem illa dona, quarum primitias amabiles sæpius degusto, toto pectore gratulor. Et quum vir clarissimus, D. IOANNES STVRMIVS, *Mundi senescentis & Reipub. imprimis Literariæ columen & ornamentum, Te mihi accuratè commendauerit: præcipuæ mihi voluptati fuit, quòd hospitium domus bene moratæ, patruelis mei,* D. SAMVELIS GRYNEI I.C. *obtinuisti: talémque vitæ morúmque gubernatorem D. Eschyllum es nactus, vt temperantiæ & modestiæ laude, Basileæ floreas.*

Deum æternum oro, vt animi corporísque dotibus, te, ad suam gloriam, & Reipub. vtilitatem, ornare pergat: vt non stemmatis solùm & Maiorum laude: sed etiam virtutum & doctrinæ præsidijs instructissimus, laudatissimo & præpotẽti Regi Danorum & Noruegiorum, FRIDERICO II. *gratissimus, in Daniam periodo Academica, σὺν θεῷ, perfunctus, lætus & alacer reuertaris. Basileæ, Nonis Martij. Anno* M. D. LXXXIII.

IOANNES IACOBVS GRYNAEVS.
S. Theologiæ Professor.

I.

QVVM de Mediatoris inuocatione, Iesuitæ litem nostris Ecclesiis moueant, vt persuadeant, non solùm Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam Mediatorem vnum inter Deum & Homines, esse inuocandum: sed etiam Mariam virginem θεοτόκον in primis: deinde, & sanctos Angelos ac Spiritus piorum, qui cum Christo Iesu in cœlis degunt, tanquam succenturiatos Intercessores, precibus nobis esse compellandos: Propositum nobis est ostendere, primùm de quibus Capitibus nobis & illis cõueniat: deinde, quódnam sit controuersiæ caput: & quid de eo statuendum sit Piis mentibus.

2. *Mediatore nobis esse opus.*

Quum Deus summè iustus, seriò iratscatur nobis Peccatoribus: nec inter immensam Dei maiestatem, quæ spiritualis & infinita est: & inter naturam humanã, quæ finita est, & Animo intelligente ac organico corpore constat: citra idonei Sequestri interuentum, vlla possit institui consociatio: fatentur vtrique Deum Patrem ritè inuocantibus, opus esse Mediatore.

3. *Mediatorem esse adorandum.*

Sed & illud ἀναμφισβήτητον & certũ est, Sequestrem illum nobis esse, vt apud Patrem pro nobis intercedat, inuocandum.

4. *Mediator quis esse possit.*

Est & hoc certum, Neminem Mediatoris munere, pro nobis, apud Deum Patrem fungi posse, nisi eum, qui sit Medius inter Deum irascentem peccato, & nos reos peccati: Deo carissimus & conscius arcani decreti de Redemtione nostra: qui Meritorum suorum virtute ἀλεξίκακος: qui rerum precumque nostrarum sit conscius, &c.

5. *Status.*

Controuersiæ inter Ecclesias nostras Christianas, & Iesuitas Romanæ Triarios Ecclesiæ, Status hic est, Anne prꝫter Iesum Christum, Maria virgo, sancti Angeli, aut electorum Hominum Spiritus, pro intercessoribus apud Deum nobis sint habendi, & eam ob causſam adorandi, an verò non? Nos, πρὸς θεῷ, negantem tuemur: Iesuitæ autem aientem. Vtri rectius veriúsque sentiant, ex διεξόδῳ disputationis pij & prudentes facilè poterunt colligere.

6. *Definitio Mediatoris.*

Mediator inter Deum & Homines, est Persona θεάνθρωπος, ac proinde Media, & vtrisque ὁμοούσιος: quæ Patri ἔξοχα τῶν ἄλλων, vsque adeò cara est, vt eius causſa Electi in ipso ab æterno, & Reconciliati homines eidem sint cari: quæ inde vsque ab initio, Ecclesiæ, meritorum efficacia, precum exauditione, Spiritus sancti effusione, vt Regem, Sacerdotem & Prophetam oportebat, benignissimè adfuit, adest & aderit vsque ad Mundi consummationem: denique ea est, in qua Patri visum est ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα. Cui hæc definitio competit, is demum Mediator est.

7. *Iesum Christum solum Mediatorem esse.*

Solus autem D. Iesus Christus, Immanuel est, Patri carissimus est: Electionis & Redemtionis nostræ auctor vnicus est: Ecclesiæ tanquam Rex, Sacerdos & Propheta adest: meritis pro nobis intercedit: Spiritum sanctum in nos effundit: denique in eo vno recolliguntur omnia.

8. *Angelos Mediatores non esse.*

Nullus Angelus vel Deo, vel nobis Hominibus ἐπερούσιος non est: nullus suis meritis Hominum peccata expiare potest: nullus etiam vbique est, sic vt omnium vota audire queat: & vt definita eorum virtus est, sic & natura eorum circumscripta est, vt non nisi alicubi sint definitiuè.

9. *Homines Sanctos eiusmodi Mediatores non esse.*

Nullus etiam φιλὸς Homo, seu superstes, seu hac vita defunctus, Medius est (sic vt sit θεάνθρωπος) & Mediator: vt ex alterius Naturæ, humanæ videlicet, communione: ex communi omnium Hominum reatu: ex eo quòd etiam sanctissimis Hominibus Mediatore opus est: ex eo, quòd Sanctis tanquam mẽbris, non competit honos, qui in solidum Capitis Christi Iesu proprius est: ex eo, quòd sancti Spiritus qui in cœlis versantur, ignari sunt rerum particularium, quæ hic in terris peraguntur: Isa. 63. 16. ex eo, quòd cultus adorationis nulli creaturæ competit: & ex multis aliis solidissimis rationibus liquet.

10. *Mar*

10. *Mariam virginem non esse Mediatricem.*

Etsi autem sancta θεοτόκος Virgo, benedicta est inter mulieres: eadem tamen ab Angelo κεχαριτωμένη, id est gratis dilecta, vocatur: Luc. 1. 28. & est humanæ solùm naturæ consors: imò meritis & sanguine Filij sui redemta est.

11. *Complexio.*

Cum Paulo itaque Apostolo demonstratiuè concludimus, Vnum esse Mediatorem Dei & Hominum, Hominem Iesum Christum: eiúsque solius nomine preces concipiendas. 1. Tim. 2. 5. Ioann. 16. 23. nec sanctos seu Angelos, seu Homines esse Mediatores inter Deum & Homines: nec etiam sanctam Mariam virginem Matrem, mediatricẽ esse: id quod demonstrauimus.

12. *Paræneſis.*

Quum igitur, fratres, habeamus libertatem ingrediendi sacrarium, per sanguinem Iesu, ea via quam dedicauit nobis recentem & viuam, per velũ, hoc est, per carnem suam: quúmque habeamus Sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: Accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei, puris cordibus à conscientia mala. Hebr. 10. 19. 20. 21. Basileæ, Nonis Martij. 1583.

Πάντοτε δόξα θεῷ.

DISPVTATIONIS CONTRA EBIONITAS, Iesu Christi Domini nostri Deitatem negantes, & ψιλὸν ἄνθρωπον eum esse fingentes, Σωμαστοποίησις, de qua, IOHAN. IACOBO GRYNÆO, *S. Literarum in Basiliensi Academia Professore publico, auctore & præside, respondit, 18. April.* IACOBVS ARMINIVS, *Hollandus.*

1. *Iohan.* 5. 5.

Quis est qui vincit Mundum, nisi qui credit Iesum esse Filium Dei?

1. *Iohan.* 4. 15.

Quisquis confessus fuerit Iesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.

Iohan. 3. 16.

Ita enim Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

ILLVSTRIBVS ET VERE GENEROSIS, Orthodoxę Religionis, virtutum & stemmatum laude florentibus, Dominis Comitibus, D. IOHANNI: & D. NICOLAO, Comitibus in Ostrorog, germanis fratribus, S. D. P.

Vanquam ea virtutis in fide, & constantiæ in vera Religione specimina, laudatissimorum Parentum vestigiis insistentes, hactenus, inclyti Domini Comites, Reipublica Christianæ exhibuistis: vt nos omnes in

Domino persuasum habeamus, Deum Opt. Max. opus egregium, quod in Generosis vestris Maioribus cœpit: & ceu lampada in cursu vobis gestandum & prosequẽdum commisit deditque: perfecturum ad gloriam suam, & Ecclesiæ ac Reipub. vtilitatem: tamen eã ob causſam reuerenter orandos vos esse existimamus, vt strenuè, sicut quῶ δρῳ̃ cœpistis, pergatis inoffenso pede in via Christi incedere: quia non dubium nobis est, futurũ, vt per emissarios suos, Iesuitas, Ebionæos, & alios fanaticos Sophistas, Tentator ille, vos instar tritici ventilare & excutere, abducendo à sancto Religionis veræ studio, conetur. Ei igitur vt possitis sobrij, vigilantes & firmi in fide resistere, & vt veritatis amorem è cordibus, professionem ex ore, vexillum è manibus, nunquam vobis eripi patiamini, toto pectore oramus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ἀγωνοθέτην καὶ βραβευτὴν, religiosæ istius Militiæ vestræ.

Porrò, quum plurimum vestra interfit habere in promtu, Demonstrationes firmas, quibus ceu adamantino præsidio, plumbea tela Hæreticorum, infringi & retundi possunt: visum mihi est eius specimen, Disputatione hac contra Ebionæos (quos audio etiã in amplissimo & iam florentissimo POLONIAE *Regno turbas magnas dare Ecclesiis reformatis) vobis exhibere. Erit autem eximiæ vestræ virtutis & humanitatis, ea beneuolentia hanc Disputationẽ excipere, qua me superioribus annis, pro heroica vestra benignitate, prosequuti estis. Benè valete inclyti Domini Comites. Iesus Christus Dominus dominantium vobis dexter adsit, & vos regat ac protegat. Amen. Ex Basilienſi Academia. 1583.*

Vestri nominis amantiss. & obseruantiss.
IOHAN. IACOBVS GRYNAEVS.

CAPITA DISPVTATIONIS CONTRA Ebionitas, qui fingunt Dominum nostrum Iesum Christum esse Hominem tantùm, non etiam verum Deum.

I.

VTRVM Ebionitæ veteres, Euangelistarum quatuor libris parum, Paulinis Epistolis minimum fidei, eo nomine detulerint, quòd in illis omnibus, euidentissima Deitatis æternæ Domini nostri Iesu Christi, testimonia & argumenta, extare viderent: initium Disputationis faciemus à duabus relatu dignis sententiis, quarum prior Augustini est, posterior Ioan. Chrysostomi. A Scripturæ, inquit ille, sensu aberrare leuius est, quàm scripturam falsam dicere. Hic autem, Scripturæ non credens, ait, veluti furibundus vitandus est. Religio enim nobis esse debet, Ebionitas, ceu graculos audire: si hi Cygnos, θεηγόρους Prophetas, Euangelistas & Paulum, ac cæteros Apostolos, ex alto despiciant, & audire recusent.

II.

Status controuersiæ, inter Orthodoxam Ecclesiam, & Ebionitas est, sítne Iesus Christus Homo tantùm, an verò etiam verus & æternus Deus?

Ebionitæ, teste Philastrio, Deitatis nihil in Christo agnoscebant: quòd eum, Theodoreto referente, ψιλὸν ἄνθρωπον, nudum hominem esse, putarent. A Pharisæis autem, Ebionitas hunc tetrum errorem velut per manus traditum accepisse, ex illorum historia liquet.

Econ-

Econtrariò, vera & rectè sentiens Ecclesia, in Christo θεανθρώπῳ duas naturas, diuinam & humanam, personaliter vnitas, agnoscit & confitetur. Vt enim Hominem, non corpore tantùm organico, sed etiam animo intelligente: sic Iesu Christi Personam duabus Naturis diuina & humana, constare, rectè piéque persuasum habet.

III.

Fert itaque animus, ad gloriam Iesu Christi, & piarum mentium institutionem, basim non auream solùm, sed planè diuinam, substernere, huic disputationi contra Ebonitas. Ioan. 1. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Et sermo ille Caro factus est. Huius autem Oraculi, paraphrastica expositio petenda est ex verbis Pauli, Phil. 2. 6. Iesus Christus quum esset in forma Dei, non duxit rapinam, parem esse cum Deo: 7. Sed ipse se exinaniuit, forma serui accepta, similis hominibus factus: & habitu compertus vt homo.

Subiectum est, Sermo ille, qui est æternus Dei filius, & in forma Dei, Patri & Spiritui sancto æqualis καὶ ὁμοούσιος.

Prædicatum est, Caro factus est, id est, assumpsit serui formam (quę est integra ἀνθρωπότης) in Personæ vnitatem.

IV.

Ex hoc fonte demonstrationum, solidè cum beato Athanasio colligimus: Necessarium esse ad æternam salutem, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi, fideliter credamus. Est enim fides recta, vt credamus & cõfiteamur: quòd Dominus noster Iesus, Dei filius, Deus & Homo sit. Deus quidem ex substantia Patris ante secula genitus: & Homo ex substantia Matris in seculo natus. Perfectus Deus, & perfectus Homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundum Deitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus, &c.

Meminerint autem Pij, ex dicto Iohannis rectè colligi & illud, Sermonẽ illum ἐνυπόστατον, Carnem non esse: sed in vna Iesu Christi Persona, esse ἄλλο καὶ ἄλλο, diuinam videlicet & humanam Naturam, quæ sunt disparatæ, nec confunduntur: quia (vt habet Chalcedonensis Synodi Confessio) Vnus & idem Iesus Christus filius Dei, Dominus & vnigenitus in duabus Naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter manifestatus est: haudquaquam differentia naturarum propter vnitatem sublata, sed magis vtriusque Naturæ (in vnam personam & hypostasin concurrentis proprietate seruata: non vt in duas personas bipertiatur & diuidatur, sed vt sit vnus & idem filius vnigenitus, & Dominus noster Iesus Christus.

V.

Initio autem κατασκευαστικῶς, euidentiam piæ nostræ sententię, demonstrabimus: nec argumentorum numero, sed delectu & immota certitudine aduersus Ebionæos, pro gloria Christi θεανθρώπου, pugnabimus.

1. Nihil dubium est Deum esse τῇ φύσει, qui est Iehouah, seu Dominus: splẽdor glorię & character personę Patris: qui in principio erat, & erat apud Deum, sic vt ipse Deus esset: per quem omnia facta sunt, & sustinentur.

Sermo autem ille, qui anno ab Orbe condito 3970. Caro est factus, est Iehouah, seu Dominus. Ioan. 12. 41. & 20. 28. est splendor gloriæ & character personæ illius. Heb. 1. 3. in principio erat (vt qui esset ἀϊδιος καὶ ἄναρχος respectu essentiæ) & erat apud Deum, ipse quoque Deus, conditor & cõseruator vniuersorum. Ioan. 1. 1. 2. 3. Hæb. 1. 3. Hæc omnia & multa alia de Iesu Christo rectè dicuntur, sed respectu τῦ λόγυ, seu sermonis.

Sermo igitur ille Deus est. Necesse itaque est Ebionitas fateri, in Christo esse Naturam diuinam, quã (quum ὑπόστασις, seu persona distincta sit à Patre & Spiritu sancto) λόγον vocat Ioannes, & Deum in Carne conspicuum factũ esse, Paulus affirmat. 1. Tim. 3. 16.

2. Repugnantia, de eadem Persona, vnius eiusdémque naturæ, temporis & modi respectu dici, simpliciter est impossibile.

Atqui de Christi Iesu persona Repugnantia, rectè & verè dicuntur, sed nõ eiusdem naturæ, temporis modíque ratione.

Si enim Deitatem consideres, dicitur character personæ Patris & imago eius essentialis: dicitur Creator, qui cum Patre operatur. Ioan. 5. 17. dicitur ἀμήτωρ, sine Matre, Heb. 7. 3. olim incarnandus dictus, nunc verò incarnatus, dicitur: dicitur Deus magnus & Seruator noster, Tit. 2. 13. dicitur se ipsum exinaniuisse, videlicet forma serui assumpta, Phil. 2. 7.

At si respicias humanam naturam, dicitur & est Creatura, Semen & Filius Abrahæ & Dauidis: Rom. 1. 3. Matth. 22. 45. ἀπάτωρ, sine Patre, Heb. 7. 3. Filius hominis: in Forma Serui, similis hominibus. Philip. 2. 7. fratribus per omnia similis. Heb. 2. 17. in carne passus, 1. Pet. 4. 1. in personæ vnionẽ assumtus &c.

Quare decet pias Mentes agnoscere in Christo Iesu, non solùm humanam naturam: sed etiam diuinam: secundum quam cum Patre vnum est, Ioan. 10. 30. Non enim κατὰ σάρκα Pater & Filius vnum sunt, sed κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης: id est, Deitatis, non autem humanitatis respectu, ὁμοούσιοι sunt.

VI.

Iam verò etiam ἀναλυτικῶς, eandem sententiam Ecclesiæ Orthodoxæ, confirmabimus: vt si qui inter Ebionitas non sunt planè ἰδιογνώμονες καὶ στερεογνώμονες, videant quanta sit illius euidentia, & cedant manifestæ veritati.

1. Si Dominus noster Iesus, Deus non est, sed homo nudus, tum sequitur eundem non esse Christum. Hac falsissima hypothesi posita, sequuntur horribilia absurda, quorum aliqua saltem recitabo. 1. Non esse Mediatorem inter Deum & Homines. 2. Non adfuisse eum Ecclesiæ inde vsque ab illius initio: & proinde nullam fuisse Ecclesiam: neque enim hæc ἀκέφαλος vel fingi potest. 3. Dominum Iesum non esse Dominum Dauidis. 4. Non esse ἀμήτορα. 5. Non visum fuisse à Patribus in spiritu. 6. Non esse conditorem conseruatorémque mundi: cùm constet Deo patri visum per eum nos instaurare, per quem omnia condidit. 7. Non potuisse, nec posse Dominum Iesum populũ suum à peccatis ipsius seruare. 8. Denique D. Iesum nihilò cæteris mortalibus præstantiorem, opus habuisse redemtore alio, &c.

Atqui contraria sunt verissima.

Hic enim Iesus, est Christus, Filius Dei, Ioan. 20. 31. est vnus Mediator inter Deum & Homines, 1. Tim. 2. 5. Idem est heri, hodie & in secula, Hebr. 13.

8. Adfuit

8. Adfuit Israelitis in deserto,1.Cor.10.4.9. est ἀμήτωρ,Hebr.7.3.visa est eius dies ab Abrahamo, Ioan.8.56.est conditor vniuersorum, & is in quo Patri visum est recolligere omnia,Eph.1.10.seruat populũ suum à peccatis ipsius, Mat.1.21.gloria & honore coronatus est,Heb.2.9.

Luce itaque meridiana clarius est,Dominum nostrum Iesum,esse θεάνθρωπον:hoc est,æternum Patris æterni Filium,Sermonẽ illum ἐνυπόστατον, assumpsisse in personæ vnitatem,humanam naturam de femine Dauid.

2. Vtinam autem etiam hoc cogitarent Ebionitæ,non minus sibi obiici posse Problema, de Christo Dauidis Filio & eiusdem Domino, quàm olim Pharisæis (qui per ignorantiam putabant, Messiam Hominem solùm, & terrenum Regem futurum)obiectum esse,ignorare non possunt.

Nemo idem,eiusdémque naturæ respectu, alicuius & Filius & Dominus seu Iehouah,dici potest.

Dicitur autem D. Iesus,Filius & Dominus Dauidis.Psalm.110.1.

Quare ἀναπόρρητος sequitur,duas in eodem Naturas esse:Diuinam, secundum quam Dominus & Iehouah Dauidis est:Humanam,cuius respectu Filius Dauidis idem & est,& rectè dicitur.

VII.

Ex iis autem quæ nobis διὰ βεβαίων dicta demonstratáque sunt,liquet & illud:Ebionitas ideò negantes Dominum nostrum Iesum Christum, esse inuocandum,quòd is homo tantùm,non etiam Deus sit,toto cœlo errare.

Quis enim pius & rectè sentiens neget,eum nobis inuocandum esse, qui sic Homo est, vt idem, secundum Spiritum sanctificationis,sit Iehouah, in quem nos credere,& in cuius nomine baptizari conuenit?

Atqui Dominus noster Iesus Christus,Iehouah est, si deitatem spectes:in eum etiam credendum nobis est: & in eius nomine nos baptizari oportet, &c.Matt.28.19.

Quare,vnà cum tota orthodoxa & catholica Ecclesia,Christum nobis esse adorandum,piè statuamus:& preces nostras, ad hunc summum Sacerdotem,qui λύτρα pro nobis persoluit, dirigamus:& in eius nomine petamus à Deo Patre,vt nobis vbertim in Christo Iesu θεανθρώπῳ benedicat.

VIII.

Coronidis vice addemus huic disputationi, Anastasij Theopolitani Patriarchæ, pias, de hoc religionis nostræ capite, Interrogationes & Responsiones.In Oeconomia(id est,incarnationis mysterio)quot Naturas profiteris?Duas,Deitatem & Humanitatem: vt idem Filius, sit perfectus Deus & perfectus Homo.Quot naturales voluntates & actiones in Christo profiteris?Duas:vnam diuinam,& alteram humanam.

Greg.in Past.

Christus,vt Deus,dat omnia:vt homo, accipit,&c.

Πάντοτε δόξα θεῷ.

Anno 1583. 14. *Aprilis.*

PRECATIO AD FILIVM DEI.

Ne tua contemnant mortales numina, nomen
Tu defendendum suscipe, Christe, tuum.
Blasphemum domus oppressit collapsa Cerinthum,
Cum peteret nomen scommate, Christe, tuum.
Exonerata Arium letho intestina dederunt,
Cum peteret nomen scommate, Christe, tuum.
Præmia blasphemis hæc quondam certa fuerunt,
Cum peterent nomen scommate, Christe, tuum.
Ast nunc multa tuum blasphemant millia nomen,
Quin simili similes morte perire facis?
An accisa tibi manus est? an gloria quondam
Grata tibi, curæ desiit esse tibi?
An verò pœnam differs, vt postea pœnas,
Ni sapiant, duplici fœnore, & ære luant?
Hoc est: ergo istam, mortales, ponite mentem,
Ne vos absumat vindicis ira Dei.

Iac. Armin. Holl.

DISPVTATIONIS THEOLOGICÆ, DE censura veræ & falsæ religionis, ἀνακεφαλαίωσις, de qua in schola Theologica BASILIENSIS *Academiæ, præside* D. IOAN. IACOBO *Grynæo, Theologiæ Professore, publicè 4. die. Maij Anni 1583. respondit M. Iohannes Olai, Slangendorpius, Danus.*

AD

Illustrem & Magnanimum Virum, Dn. BIORNONEM ANDREAE, *Senatorem laudatissimi Regni* DANIAE, *Dominum Steinholti & Biornsholmi, eruditorum hominum Mecœnatem celeberrimum.*

Demosthenes.

Αλλ' ἔστι μέγα, δ' ὀξὺ τὸ ὂ δ', μέγα.

ILLVSTRI VIRO, INCLYTI REGNI Daniæ Senatori: & Sereniſsimi Daniæ & Noruegiæ, &c. Regis Friderici II. Præfidi in Aalenburg: DN. BIORNONI ANDREAE, Domino in Steinholt & Biornsholm, eruditorum hominum Mecœnati, S. P. D.

QVemadmodum decus, pretiúmque gemmarum, non minuit, sed auget, vitri, quantumuis variis coloribus, picti, magnitudo: sic in doctrina pietatis, sententiosæ breuitatis gratiam & vsum vehementer commendat cordatis omnibus, nimium

nimium redundans, molesta & infrugifera oratio, Cupressos referens: vt vir ille prudens scitè pronunciauit. Eo sanè nomine, si quando in gratiam ingeniosæ Iuuentutis, Theologicæ Disputationes mihi instituendæ sunt, doctrinam Deo gratam, in Scriptis Propheticis & Apostolicis comprehẽsam, quæ sola Ecclesiæ Dei necessaria & vtilis est, quoad eius à me fieri potest, ordinè & breuiter mihi perstringendam, arbitror. Eius autem studij specimen, non eo solùm nomine ad tuam Magnificentiam, hoc tempore mihi mittendum censui, quòd etiam Musæi mei consors, filius tuæ Magnificentiæ, IACOBVS, *& eius exemplo* HOLGERVS VVLFSTANDT, *aliique Nobiles Iuuenes* DANI, *qui φωσφόρες sunt inter Academiæ Basilienſis hospites, publicè disserendo de rebus sacris & scitu dignissimis, egregia liberalis profectus in optimis Studiis specimina, hactenus ediderunt: sed etiam, quòd non solùm meritorum in Rempub. inclyti Regni* DANIAE, *sed etiam erga bonarum literarum promos & condos, præstantis voluntatis, caussa, etiam in hac Rhenana regione nomen tuum, honos laudésque celebrentur & mansuræ sint. Faxit Deus Opt. Maximus, vt perenne decus familiæ vestræ, Magnificentia tua, ceu præclaram lampada in cursu tradat, nobilissimis filiis,* TRVDERO & IACOBO, *virtute & ingenio iam florentibus: & vt Epaminondæ parentem, qui fuit spectator præclarorum Filij facinorum, felicitate vincat. De me autem hoc sibi illustris tua dominatio polliceatur, Me pro virili, non tantùm hospitalitatis officia, filio tuo libenter præstiturum, sed etiam sponte in virtutũ & politicæ doctrinæ, quæ Legum & Historiarum systemate constat, stadio studióque currentem, institutione & Euphemismis prosequuturum. Vale & Salue magnum inclyti Regni* DANIAE *ornamentum.*

Ex Basilienſi Academia. 1583.

Tuæ Magnificentiæ
obseruantissimus
Iohan. Iacobus Grynæus.

De Censura veræ & falsę Religionis, vox diuina ita pronunciat: Dilecti, ne cuiuis Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint: nã multi Pseudoprophetę venerunt in Mundũ. 1. Ioan. 4. 1. Etenim

Veræ Religionis, quã Israelitæ veri, seu Christiani, corde credunt & ore profitẽtur, ἡ πρώτη ἀλήθεια, hisce Aphorismis cõtinetur:

1. Vna est vera & prima Religio, cuius substantia est inuariabilis.
2. Versatur autem ea, circa agnitionem & cultum Conditoris & Redemtoris Dei.
3. In huius enim agnitione vera, eius Cultorum vita æterna, sita est Ioan. 17.3.
4. Nemo autẽ agnoscit spiritúq; colit Deum, nisi is cui hoc datũ est diuinitus. Matth. 13.11.
5. Est enim è cœlis Religio hæc, retecta à Patre qui in cœlis est. Matt. 16.17. & 21. 25.
6. Quicquid ab ea alienũ est, id omne anathema nobis esse debet. Gal. 1.8.9.

Hos Aphorismos ex animo probamus.

Falsæ Religionis, quæ Empusæ cuiusdam instar multiformis est, Verę tamẽ è diametro repugnat, τὸ ἀντίθετον ψεῦδος, his Aphorismis constat:

1. Religio multiplex est, & pro temporum ac circumstantiarum ratione variabilis: vt cẽsuerunt Ethnicorũ Mystagogi & Cusanus Cardinalis.
2. Versatur autẽ Religio, circa agnitionem Iesu Christi, Sanctorũ Angelorum & Hominũ, & Sui ipsius: quum Homo prudens suæ nunquã desit felicitati.
3. Præsidia felicitatis æternæ & temporalis in agnitione & fiducia illorum, posita sunt.
4. Homo τῇ ἀυτεξουσίᾳ facultatibus naturaliter gaudens, intelligit, eligit & facit ea, quæ saluti ipsius seruiunt.
5. Animalis homo intelligit ea quæ Dei sunt, citra vnctionem.
6. Quicquid huic Religioni, iudicio carnis & sanguinis, cõsentaneum est, id omne gratum homini ex carne nato, esse debet.

Sed hosce negamus esse veros.

Quum autem iuxta se posita contraria magis eluceſcant, propoſitum nobis eſt, σὺν θεῷ, inſtituere Antitheſin, Religionis ſeu doctrinæ Chriſtianæ, quæ ſtatuit IESVM eſſe CHRISTVM illum Dei viuentis Filium, Matth. 16. & hæreſium Antichriſtianarum: ſecundum præſcriptum Normæ Apoſtolicæ. 1. Ioan. 4. 2. 3. Ex hoc cognoſcite Spiritum.

I. DEI: Quicunq; Spiritus confitetur IESVM CHRISTVM in carnẽ veniſſe, ex Deo eſt. Vt paulo antè Spiritum μετωνυμικῶς, docentẽ: ſic hoc loco, etiã doctrinã Religionis ſic vocat Apoſtolus.

Doctrina veræ Eccleſiæ teſtatur IESVM CHRISTVM venisse in Carnem, id eſt, eſſe θεάνθρωπον, & proinde Mediatorem Dei & hominum. Matth. 1. 23. 1. Tim. 2. 3.

Itaque Doctrinam veræ & orthodoxæ Eccleſiæ, ex Deo eſſe, ac proinde toto pectore nobis amplectendam eſſe ſtatuamus: ac Deo, pro reuelata Euangelij luce gratias agamus.

Minoris, in qua τὸ κρινόμενον eſt, confirmationem καὶ κατασκευὴν ſequens tabella ὡς ἐν τύπῳ complectitur.

II. Antichriſti. At quicunq; Spiritus nõ cõfitetur IESVM CHRISTVM in Carnẽ veniſſe, ex Deo nõ eſt: ſed hic eſt ille Spiritus Antichriſti, de quo audiſtis eum vẽturum fuiſſe, & iam nunc in mũdo eſſe.

Tota autem Matęologia Ethnicorum, Pſeudo-Iudæorũ & Pſeudo-Chriſtianorum, impudenter negat IESVM CHRISTVM veniſſe in Carnem, hoc eſt, eſſe Immanuelem, & vnicum Mediatorem & Redemtorem.

Non igitur ex Deo eſt illa Matæologia, ſed à Satana: ac proinde ſummo ſtudio pijs omnibus fugienda.

Mînoris, in qua etiã τὸ κρινόμενον eſt, Confirmationẽ, Tabella, quæ ſubſequitur proximam, continet.

- Officio, quod
  - Minorem primæ Demonstrationis, quæ est κατασκευαστικὴ, hoc Enthymemate solidissimè, veram esse ostẽdimus. Veræ Ecclesiæ doctrina rectè statuit, de Iesu Christi
  - Personna, hoc est, de
    - Diuinæ, quam statuit esse,
      - Veritate Naturæ
        1. Hypostasin secundam Trinitatis sacrosanctæ:
        2. Filium vnigenitum, Patris essentialem imaginem:
        3. Iehouam, φύσει θεὸν, Patri & Spiritui sancto, coessentialem & coæternum:
        4. In forma Dei, æqualẽ Deo:
        5. Conditorem & Conseruatorem Mundi, & Saluatorẽ Ecclesiæ.
      - Humanæ, quam profitetur esse,
        1. Naturam assumtã, non personam:
        2. Filium Abrahæ & Dauidis:
        3. Verum hominẽ, Anima rationali & Corpore organico constantem:
        4. In forma Serui, fratribus similem, κὴ ὁμοούσιον:
        5. Seipso inferiorẽ, vt qui sit filius hominis, & Creatura,
      - Vnitione duarũ Naturarum. Agnoscit enim
        1. Differentiam specificam ἑνώσεως esse, Vnam hypostasin θεάνθρωπον, constituere.
        2. Ab hac vnitione, non solùm Assumtæ naturæ ineffabilẽ maiestatem (quæ tamẽ eius essentiales proprietates nõ perimat) pendere, sed etiã κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων. Rectè autem de hac pronunciauit Theodoretus: τὰ τῶν φύσεων ἴδια, κοινὰ τῷ προσώπῳ γέγονε.
    - Regium
      - Sacerdotale
      - Prophe-ticum

  ideò esse oportuit, quòd Ecclesiæ opus esset
  1. Merito & interceſsione in Iustificatione sui & Inuocatione Dei.
  2. Regimine, & defensione, ad vitam piè instituendam & propulsandos hostes.
  3. Institutione, vt è tenebris ignorãtiæ, ad admirabilẽ lucem agnitionis Dei, Ecclesia Electorum adduceretur. Inde lucis filij, Eph. 5. 8.

Statuit igitur hæc doctrina, Iesum Christũ in Carnẽ veniſse.

Secundæ autem Demonstrationis (quæ est ἀνασκευαστικὴ) Minorem, sic probamus. Antichristianorum Matæologia nõ rectè pronunciat de IESV CHRISTI Persona. Impiè enim pronuntiat, de

- Diuina
  1. Non esse Patri & Spiritui S. coessentialem & coæternã, vt volebat Arius.
  2. Non esse personã à Patris & Spiritus S. persona distinctam: vt Sabellius Afer (qui finxit τὸ ἓν τριώνυμον) putauit.
- Natura
  - Humana
    1. Non constare Animo intelligente, vt Apollinaris Laodicenus:
    2. Phantasticum corpus assumsisse, vt Marcion:
    3. Sic deificatam esse, vt creatura esse desierit, vt Enthusiastæ impiè censuerunt.
  - Naturarum hypostatica vnitione. Etenim alij cũ
    - Nestorio, διάστασιν pro ἑνώσει fingunt: & Christum diuidunt, tot in eo Personas constituẽtes, quot Naturas in Christo vident conuenisse. Seu, οὐσίας respectu nõ secus adesse λόγον assumtę Naturæ, quàm cæteris hominibus & creaturis, quas implet: sed ἐνεργείας ratione aliter ei adesse.
    - Eutyche σύγχυσιν pro ἑνώσει statuunt: & vt vnam personam, sic vnam quoque naturam fingentes: addunt hyperbolẽ, de effusione omnium deitatis proprietatum in humanam naturã, qua Theopaschitarum, Monophysitarũ & Monotheletarum deliria ex orco reuocant.
- Officio. Nã alij.
  1. Quasi Iesus Christus non idẽ hodiè, heri & in secula sit, sic eũ Noui Testamẽti Sponsorem fatẽtur, vt veteri nihil nisi vmbras reliquas faciant: vt Catabaptistæ.
  2. Christo in omnibus officij partibus collegas ὁμοτίμους, Sanctos homines adiungũt, & eos odorandos esse fingunt: vt Iesuitę.
  3. Christi solius meritis, intercessione, gubernatione & institutione nõ cõtenti: Merita Sanctorũ: Papę vicariã gubernationẽ: παραδόσεις extra verbũ Dei scriptũ, requirũt, &c. Quasi verò Deus ille in Carne patefactus, non omnia, quæ oportuit, salutis nostrę caussa & adimpleuerit & retexerit.

Impudẽter itaque negat Deũ in Carnẽ venisse: & omnem iusticiam adimpleuisse: ideóq; nobis fugienda est.

PROBLEMATIS,

ANNE EXPAVESCENTES MORTEM, E Christi Iesu Schola ablegandi sint, nécne? Theologica Censura, in qua de recta Vitæ & Mortis æstimatione, agitur. De ea autem Præside IOAN. IACOBO GRYNÆO, *S. Theologiæ Doctore, die 13. Iunij, in Scholis Theologorum, respondit Galielmus Forbaseus, Scotus, Marriensis.*

AD

Magnificum virum stemmatis, virtute, prudentia & veræ Religionis studio illustrem, DN. IOHANNEM OSMOLSKI, DE PRAVIEDNIKI, *eruditorum hominum cordatissimum benignissimúmque Mecœnatem.*

I. M. I.

Vt nunc triste mori est, sic dulce resurgere quondam:
Christus vt in Vita, sic quoque Morte lucrum.
In terris labor est, requies sed dulcis in vrna,
In summo venient gaudia summa die.

MAGNIFICO ET GENEROSO VIRO,
DN. IOHANNI OSMOLSKIO, DE PRAVIEDNIKI,
IOAN. IACOBVS GRYNAEVS
S. P. D.

QVum hanc de Vitæ & Mortis æstimatione Disputationem adornarem, nunquam non in mentem mihi venerunt Loci Consolationum, à Philippo Melanchthone (cuius viri Auditorem olim eo egisti animo, vt nunc quoque innocentissimi doctissimíque Præceptoris memoria delecteris) alicubi traditi, quorum decimus est: Desiderium clari conspectus Dei, & liberationis à toto peccato. Hæc cõsolatio (inquit fidelis ille Præceptor piorum & eruditorum hominum) propriè ad Mortem pertinet, de qua dicit Paulus, Cupio dissolui, & esse cum Christo, id est, sicut iter faciens nocte in densis tenebris, ignarus viæ & locorum, maximè expetit diem, & lætatur quum iam Aurora lucem spargere incipit: ita omnes Pij cogitantes in caligine huius vitæ, qualis sit Deus, & qualis sit distinctio Personarum, maximè expetunt clarum conspectum in altera vita. Item: quia sentiunt, se adhuc circumferre immundiciem in hac vita, quæ displicet Deo, lætantur quum sciunt in morte has exuuias immundas deponi. Quum enim sexagenarios de ponte mihi neutiquam præcipitandos, nec Critonem, Anytũ aut horum similes, Socrati præferendos esse persuasum habeã: cum voluptate, γεγυπνῳς Philippi, & aliorum piorum sententiis, me vti, & ea crebrò mihi & aliis inculcare, non dissimulo.

Tuo verò, nobilissime & Præstantissime vir, nobis omnibus amabili & obseruando nomine, hæc Theologica Disputatio, non ea solùm de caussa ornanda mihi erat, quòd tua tum præsentia tum beneficentia congressus & colloquia Theologica cohonestare & iuuare dignaris: sed etiam quòd Academiæ Basilienſis præsidibus & luminibus,

pro

pro singulari tua virtute, cõiunctissimus, Mecœnatẽ optimũ te nobis omnibus præstas.

Faxit Dominus noster Iesus Christus, vt te incolumen & florentem gloria & auctoritate Patronum, omni genere officiorum & obseruantiæ cultu prosequentes, inter nos honestissimo benemerẽdi studio certemus: sic vt te præstantis erga nos omnes, qui in Basilienſi Academia docemus, iudicij & voluntatis, nunquam pœniteat: & nos ipsis hospitalitatis & obseruantiæ officiis, testemur, agnoscere nos, Dei solius nutu ductúque tuum nobis patrocinium esse conciliatum. Basileæ, Calend. Iunij. M. D. LXXXIII.

DE MORTIS METV ET VITÆ DESIDERIO, THESES.

I.

QVVM nobis constitutum sit, de Vitæ desiderio & de Mortis metu ac horrore, ad nostram tum institutionem tum consolationem, Christianam συζήτησιν & collationem sententiarum instituere: toto pectore oramus Principem vitæ, Dominum nostrum Iesum Christum, vt sancto suo Spiritu nobis dexter adsit, & in omnem veritatem, ad diuini nominis gloriam, nos ducat, Amen.

II.

Initium autem nostræ disputationis, à recta tam Vitæ, quàm Mortis æstimatione, faciemus.

Enimuerò quid Christi membra, seu fideles homines de vita persuasum habere debeant, non nisi ab eorum vnico Capite (cuius sunt, 1. Corinth. 3. 23. cum quo vnum sunt, Ioan. 17. 11. cum quo plantati conformatione mortis eius coaluerunt, vt etiam resurrectionis eiusdem conformatione coalescãt, Rom. 6. 5. denique in quo, (ceu in vite palmites) manentes fructum multum ferunt: nam absque eo nihil possunt facere, Ioan. 15. 5.) petendum & discendũ est. Nam cum eo solo, nunc quidem vita nostra abscondita est in Deo: quando autem Christus vita illa nostra, patefactus fuerit, tum & nos cum eo patefiemus glorioſi. Col. 3. 3. 4. vt in eodem Deo Patri visum esse, recolligere, ἀνακεφαλαιώσασθαι, omnia quæ in cœlis sunt & quæ in terra, res ipsa testetur. Eph. 1. 10.

III.

Quòd si Iesus Christus, non modò animalis vitæ, qua nunc fruimur: effectrix & conseruatrix causſa est, ac rectæ Rationis luce mentes humanas illustrat: sed etiam est ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, Princeps vitæ, id est, dux ad æternam & spiritualem vitam: Tum verò sequitur vitæ tum Animalis, tum verò præcipuè Spiritualis benedictionẽ, auctoris quoque nomine, magnificiẽdã nobis esse.

Vera autem sunt quæ antecedunt. Iuxta dicta. In ipso vita erat, & vita erat lux illa hominum, Ioan. 1. 4. Hoc dictum ostendit, Deum Conditorem, Dominum inquam nostrum Iesum Christum, vitæ donum omni quidem animantium generi contuliſſe, hominibus autem, singulari consilio, & vitæ & rectæ Rationis (quæ est radius diuinæ sapientiæ) benedictionem, impartitũ esse. Item, Principem vitæ trucidastis, quem Deus excitauit à mortuis, Act. 3. 15. Itẽ, Donũ Dei est vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro. Rõ. 6. 23.

Certum itaque est & quod sequitur ex illis præmissis, videlicet benedictionem vitæ Animalis & Spiritualis, magni pendendam esse, & eius liberale quoddam desiderium nemini pio vitio vertendum.

IV.

Censuræ autem Mortis, distinctio primæ & secundæ Mortis, præluce-re debet.

Non metuunt pij eam Mortem, à qua se, à Deo patre, per Iesum Christũ Mediatorem, redemtos esse, credunt & lætantur.

Atqui Pij credunt se redemtos esse à secunda morte: de qua dicitur: Infernus autem ac Mors coniecti sunt in stagnum ignis: quæ est Mors secunda. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis, Apoc. 20. 14. 15.

Non igitur metuunt secundam mortem Pij seu fideles, sed lætantur quòd nomina sua scripta esse in cœlis, per Spiritum sanctum persuasum habent. Luc. 10. 20.

V.

De prima autem Morte (quæ est χωρισμὸς τῆς ψυχῆς ἀπὸ σώματος, separatio Animæ à corpore, vt cum Damasceno lib. 4. cap. 28. Orth. fidei, loquamur) Fideles ad consolationem suam, ita ratiocinantur.

Non debet omnium φοβερώτατον, seu maximè terribile videri id, quod etsi sui respectu triste & funestum est, tamen si nos ipsos respicimus, necessarium & vtile, si autem eum cui viuimus & morimur, indifferens.

Atqui eiusmodi est mors prima. Quanquam enim illa, peccati triste stipẽdium est, καθ' ἑαυτὸν: nobis tamen, non solùm necessarium & vtile est Mortificationis Carnis nostræ complementum cùm qui mortuus est, liber sit à peccato: Rom. 6. 7. & à laboribus miseriisque relaxatur: quoniam requiescunt à laboribus suis qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. 13. sed etiam indifferens illis est: quum & in vita & in morte Christus eorum sit lucrum, Phil. 1. 21.

Non igitur Mortem primam Pios admodum extimescere decet, quum etiam in agone Mortis versantibus, Desiderium clari conspectus Dei & liberationis à toto peccato (vt iam cum beatissimæ memoriæ Philippo Melanchthone, in cœlis cum Christo, quẽ fide, voce, vita tota docuit & coluit, iam regnante, loquamur) animum addat, sic vt lætentur, quum sciunt se in morte has exuuias immundas deponere.

VI.

Sed enim, dicet aliquis, si ita res habent, quid tandem nobis statuendum erit, secundum Scripturas diuinas, de iis qui Mortem sese expauescere ingenuè fatentur? Num illi è Schola Iesu Christi, qui vita nostra est, excludendi sunt? Negantem autem sententiam veram esse ostendemus, & eandem ἀμφίστερον exponemus.

VII.

Subiectum in Problemate nostro est, Ii, qui Mortem extimescunt. Intelligatur autem illud, primùm non de iis timidis, incredulis & mendacibus, quibus

quibus pars assignata est in stagno ardente, igne & sulphure, quod est mors secunda, Apoc. 21. 8. deinde, non de alia quàm de prima morte, quam omnibus tam fidelibus quàm infidelibus communem esse Apostolus ostendit, dicens: Statutum est hominibus vt semel moriantur, postea verò iudicium. Hebr. 9. 27. Sed de horrore ordinato & de formidine tristis diuortij Animæ humanæ & Corporis, quæ tamen in credentibus, spem resurrectionis carnis & æternæ vitæ neutiquam excludit.

IIX.

Prædicatum est. Non sunt excludendi è Schola Christi: hoc est, non sunt pro extraneis hospitibus & inquilinis, 1. Cor. 5. 12. 13. temerè habendi: & è numero domesticorum Dei submouẽdi. Eph. 2. 19. Neque enim ius fásque est, Membra viua à Christo capite, temerario præiudicio, velut Tenedia bipenni, resecare.

Contenti verò simus hoc loco, vna demonstratione ἀναποδειχτικῇ, qualis hæc est.

Si quidam fideles, ob mortis illam formidinem (quæ & Petro tribuitur, Ioan. 21. 18) ablegandi sunt è Christi Schola: Tum sequitur, non esse firma & certa illa Oracula, Ego vitam æternam ouibus meis do: nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam è manu mea. Ioan. 10. 28. Item, Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Rom. 8. 35.

Atqui hæc immota & certissima oracula sunt: ac fidei nostræ certitudini & consolationi plurimum conducunt: quum testentur, carnis nostræ imbecillitatem, non irrita reddere Dei Patris de nostra salute decreta & Christi beneficiorum tum præstationem tum complementum.

Antecedens igitur, quod fingit mortis horrorem excludere è Schola Christi, falsum esse liquet.

IX.

Sit autem hæc prima κατασκευαστικὴ Demonstratio, ducta à desiderij Vitæ, metúsque Mortis, Caussa Efficiente principe.

Non excludunt quenquam, è Christi Iesu Redemtoris Schola, ij affectus, qui optimo consilio ab eodem Conditore, Naturæ hominum, in prima eius creatione ἐγ τῇ ἐμψυχώσει, inditi sunt.

Indidit autem Deus ille Conditor & Redemtor, naturæ humanæ, naturalem & ordinatum Vitæ amorem & eius retinendæ desiderium ardentissimum: cui ex aduerso Mortis horror & fuga respondet: vt hominum vitæ & incolumitati consuleret.

Quare hi affectus non excludunt quemquam è Christi Redemtoris Schola, in qua nihil est, quod cum eiusdem conditoris & conseruatoris voluntate & operibus è diametro pugnet.

X.

Altera Demonstratio ducitur, à Christi Iesu tum exemplo tum ὁμοιοπαθείᾳ. Præstat autem illius, qui Dominus omnium est, exemplum allegare, quàm seruorum, Dauidis, Ezechiæ & aliorum, qui Mortem expauescentes, longiora vitę spacia à Domino Deo nostro, petiuerunt & impetrauerũt.

Quicquid fidelibus cum Christo Iesu commune est, id illos non excludit è Schola Christi. Loquimur iam & de iis, quæ à natura humana & eius proprietatibus ortum ducunt: & non sunt vitiosa: & de iis quæ à gratia proficiscuntur, nostráque cum Christo tanquam capite, συμμόρφωσιν, seu conformationem, à qua alieni sunt infideles, commendant.

Atqui Dominus noster Iesus Christus, in statu inanitionis & obedientiæ vsque ad mortem crucis, cœpit ob imminentem mortem contristari & grauissimè angi, Matt. 26. 37. 39.

Quis igitur miretur nobis seruulis, Mortis horrorem & sensum acerbum quidem esse, non tamen exclusionis è Christi Schola caussam: quum omnes qui illi concorpores sunt, illius exemplo, fide victrice, id tandem ardenter expetere discant, quod alioqui naturà reformidant, vt videlicet in pace dimissi ad Christum in Patris domum migrent.

XI.

Etsi verò secundum Canonem, inuenta seu animaduersa demonstratione in speculabilibus aut practicis, manifestum est reiiciendam esse contrariam imaginationem, nec dubitatio de comparatione manere debet: istis demonstrationibus manifestè euincitur: Non esse ordinati illius metus Mortis primæ caussa, vllum piorum vt ἀπουναγωγὸν & alienum à Christi Schola habendum: quia tamen exstant multa & axiomatica dicta magni nominis hominum, de vitæ contemtu & mortis desiderio: eorum nonnulla adducemus: & quomodo ὀπτικῶς, in meliorem partem interpretari possimus, breuiter indicabimus: ea tamen lege, vt Spiritus Prophetarum Prophetis subiectos esse velimus. 1. Cor. 14. 32.

XII.

Inter multa eius ordinis Apophthegmata isthæc, quæ subiunximus, hoc tempore & loco satis faciant.

Ioannes Chrysost. Timet, inquit, mori, qui non sperat se post mortẽ hanc victurum esse.

Eiusdem & hæc duo dicta sunt. Mors nomen tantum est fidelibus. Item, Mors Christianis est somnus.

Aurelius Augustinus, ait: Mori nolle est indicium parui profectus.

Bernardus, Mortem, ait, iustus etsi non euitat, certè non timet.

Ioannes Caluinus, Hoc, inquit, habeamus constitutum, neminem benè in Christi Schola profeciisse, nisi qui & mortis & vltimæ resurrectionis diem, cum gaudio expectat. Institut. lib. 3. c. 9. sect. 5.

XIII.

Priusquàm, quid nobis de eiusmodi dictis ἀξιωματικοῖς, fidei ardorẽ & spei gaudium redolentibus, videatur, dicamus: hæc quæ subiunximus, euidentiæ & lucis caussa, nos ὑποτίθεσθαι fatemur.

1. Mortis metus & horror, generatim iis tribuitur, quibus diuina ἐμφυτεύεται, inditum est summum vitæ desiderium.

2. Mori non solet, nisi quod nascitur, vt Tertullianus censuit.

3. Ii autem εὐλόγως & ordinatè Mortem timent, qui se non solùm ad Dei conditoris gloriam esse, viuere, sentire, moueri & intelligere: sed etiam, ad

eiusdem

eiusdem Redemtoris gratiæ laudem, in Christo electos, vocatos, iustificatos viuere, magis magisque glorificandos, verè gloriantur. Psal. 115.17. & 119.17.

4. Mortis terror & horror simul cum peccato cœpit. Gen. 3.7. Ideò rectè censuit Ioan. Chrysost. Mortem radicem è peccato habere.

5. Christus vt in Vita sic quoque Morte lucrum est, suis inquam fidelibus: qui in eo solo habent præsentissimum contra Mortem antidotum. Philip. 1.21.

6. Etsi infirma & rebellis caro nolit, Spiritus tamen vult morte hominis fidelis Deum glorificari. Ioan. 21.18.19.

7. Nostram ἀνάλυσιν, seu migrationem ad Christum, natura quidem reformidat, fides verò ardenter expetit: spes autem constanter prosequitur, vt quæ coniuncta sit cum carnis nostræ mortificationis complemento, & cum suaui initio plenæ participationis vitæ & lætitiæ æternæ.

XIIII.

Axiomatica illa dicta, de Morte non expauescenda, quomodo à nobis sint intelligenda, docent necessariæ distinctiones. 1. Specierum, tam contemtus quàm metus Mortis. 2. Tẽporum, quæ Animali & quæ Spirituali Vitæ præfinita sunt. 3. Subiectorum, quibus seu horror Mortis seu contemtus eiusdem tribuitur. 4. Causarum finalium Mortis. 5. Obiectorum denique, quæ seu mortem seu vitam commendant. De his ordinè viderimus.

XV.

Initiò siquidem secundum Subiecta, Metus Mortis species, distinguere libeat, occurrunt duæ, Ethnicus & Christianus metus.

De priore sic pronunciat noster Apostolus: Ne doleatis sicut & cæteri, qui spem non habent. 1. Thess. 4.13.

Idem autem de posteriore, eleganti Allegoria adhibita, Etenim, ait qui sumus in hoc Tabernaculo, suspiramus onerati: in quo nõ cupimus exui: sed superindui, vt absorbeatur mortalitas à vita, 2. Cor. 5.4.

Ita alius est Mortis contemtus Ethnicus, alius verò Christianus.

De Ethnico rerum terribilium & mortis contemtu, qui coniunctus est cum stolida vitæ huius neglectione, Aristoteles, Celtarum mentione facta, qui nec terræmotus, nec tempestates maris curare videbantur, lib. 3. Ethic. ad Nico. cap. 10. loquitur. εἰη δ' ἂν τις μανόμενος ἢ ἀνάλγητος, εἰ μηδὲν φοβοῖτο, μήτε σεισμὸν, μήτε τὰ κύματα: καθάπερ φασὶ τοὺς κελτούς.

Sed de Christiano mortis contemtu, noster Apostolus, Confidimus, ait, & probamus potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum. 2. Cor. 5.8. Rom. 8.38.

Nequaquam ergo absurdum aut κακοσύστατον fuerit diuerso respectu, Paulo Apostolo, Petro, Ezechiæ Regi, aut alteri alicui homini fideli, Mortis tum metum tum contemtum Christianum, à vitæ spiritualis consideratione & desiderio proficiscentem, tribuere.

XVI.

Iam verò, si quis secundo loco, distinctionem & successionem Temporum, vitæ Animalis & Spiritualis consideret: animaduertet, piè & solidè in hunc modum de Mortis horrore, etiam pios afficiente, pronunciari posse.

Quemadmodum epinicion & encomion ante victoriam cani non debet: ita tum demum nullus erit horror & metus Mortis, quum morte absorpta, plena redemptione & vitæ æternæ dono fruemur.

Atqui illa differt consilium Dei, vsque ad tempora Restitutionis omniũ, Act.3.21. Tunc enim hoc corruptioni obnoxium induet incorruptam naturam: & mortale hoc induet immortalitatem: ac triumphans Ecclesia ἐπινίκιον canet: Absorpta est mors ad victoriam. Vbi tua, ò mors, victoria? Vbi tuus, ò Sepulcrum, stimulus? 1.Cor.15.54.55.

Quare vt in hac animalis vitæ periodo, Mortis velut hostis metus etiam Pios (à Stoica τῇ ἀπαθείᾳ planè alienos, & vitæ benedictionem magni æstimantes) interdum non mediocriter afficit: sic eundem fides in Christum, & spes Resurrectionis carnis, commitigat & minuit: in spirituali autem æternáque vita, nullus planè mortis metus horrórve erit.

XVII.

Porrò, si quidem in homine id rectè considerabimus, cui Mortis primæ formido tribuitur: & id, cui eiusdem contemtus adscribitur, non videbitur ἀσύστατον & absurdum, si quis ratione diuersa, vtrumque Pio homini tribuat.

Etenim sola caro reformidat separationem animæ & corporis, & exstinctionem caloris naturalis, quam corporis in sua principia resolutio, subsequitur.

Spiritus autem, cum Christo Iesu in Deo, vitam fidelium absconditam esse gaudens: & sperans futurum, vt quando Christus vita illa fidelium, patefactus fuerit, tunc & se cum eodem patefaciendum glorioſum Coloss.3.3.4. Mortem nequaquam pertimescit. Ideò filius Dei, nobis fratribus in carne ὁμοίωσιν ἐν ὁμοιώματι, in agone suo tristissimo, dixit. Spiritus quidem promtus, sed caro infirma est, Matth.26.41.

XVIII.

Finales autem Mortis causas, si quis in conuersis attendat, Etsi in Latrone, in ipsa cruce conuerso, aliqua fuit dolorum & ipsius adeò Mortis contemtio, propter remissionis peccatorum fiduciam, è Christi Iesu consolatione profectam: Tamen in Babylæ Antiocheni martyrio, alacritas & animi præsentia maior fulsit, quum post αὐτοψίαν necis dulcissimorum filiorum, Pater ceruicem feriendam præbens, astante & audiente sancta & grandæua cõiuge, catenas ferreas vnà secum sepeliri, vt iis ornatus in Resurrectione iustorum comparere posset, postulauisset: & iam Cygneam hanc cantionem cum Psalte regio repeteret: Reuertere anima mea in requiem tuam: quia Iehouah insigni rerum commutatione vsus, benefecit tibi, Psal.116.7.

Intelligebat enim quid sibi vellet istud Oraculum: Ne quis igitur vestrũ affligatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarũ rerum inspector. Sed si vt Christianus, ne pudeat, immò glorificet Deum hac in parte. 1.Pet. 4.15.16.

XIX.

Postremò, si quis perpendat Obiecta, Mors aliàs expetenda, aliàs verò fugienda etiam Sanctis videtur. Non iam loquor de carnali vitæ despicientia: quæ habet subitos nec admodum diuturnos paroxysmos, à doloris, qui carni molestus est, ingrato sensu proficiscentes: sed de Hominis cordati piique, in repu-

repugnantium cogitationum, motuúmque Triuio constituti, religiosis affectibus, excitatis, salutis priuatę publicíque boni, desiderio: qui tamen sibi inuicem è diametro repugnare ἀντοφθαλμεῖν videntur.

Expetenda Mors videtur, quando Homines fideles, eam peccato finẽ imponere: εὔοδον ad æternam vitam esse, persuasum habentes, cum Christo esse cupiunt. Non autem expetenda est, quum Reipub. aut Ecclesiæ interest, eos superstites esse, & seu gubernatione ciuili, seu Ministerio verbi defungi.

Vtriusque affectus commemorabile exemplum, in selecto Christi organo, Paulo Apostolo, videre est. Is enim de vita & morte sua in hunc modum pronunciat: Vtrum verò viuere in carne mihi operæpretium sit, & quid eligam, ignoro. Coarctor enim vtrimque, desiderans migrare & esse cum Christo. nam id longè optimum est: sed permanere in carne, magis necessarium est propter vos, Phil. 4. 22. 23. 24.

XX.

Ex iis quæ hactenus nobis dicta sunt, facilè est animaduertere, Fnunciationem istam: Extimescentes Mortem ablegandi sunt è Schola Christi: de iis solùm rectè accipi, qui æquiuocè fideles dicuntur, & Ethnicorum more, citra resurrectionis carnis suæ spem, mortem metuunt: non autem de iis, qui vniuocè fideles dicuntur, in quibus carne naturaliter Mortem reformidante, Spiritus ad Christum contendens, & superiores obtinens, eam despicit: id quod pro gratia nobis data tum probare, tum in gratiam piæ & studiosæ Iuuentutis ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον explicare, animus ferebat.

DE EO PROVIDENTIÆ TESTIMONIO, quod à natura Animantium, eorúmque propagatione, vitæ desiderio, mortisque metu, ducitur, verba Socratis ad Aristodemum apud Xenophontem, libro Ἀπομνημονευμάτων primo.

Ἀλλ' ὅτω γε σκοπουμένῳ, φαίνεται ταῦτα σοφῦ τινος δημιουργῦ καὶ φιλοζώου τέχνημα. πρῶτον μὲν γὰρ ἔμψυχα γενέσθαι ἔρωτα ἐνέφυσε τοῖς θνητοῖς γεγαμηκόσι παῖδας ἔρωτα δὲ ἐμπεφυκέναι τοῖς γεγενημένοις τροφεῖσι μέγιστον μὲν πόθον ζῆν, μέγιστον δὲ φόβον θανάτου, ἀμέλει καὶ ταῦτα ἔοικε μηχανήματί τινος ζῶα εὖ βουλευομένου.

Seneca. Amor vitæ, vt non abiiciendus, ita minuendus est: vt si quando res exigit, nihil nos detineat vel impediat, quo minus parati simus statim facere, quod quandoque faciendum est. Idem, Si fines bonorum & malorũ cognouerimus, nec vita tædio erit, nec mors timori. Idem, viuere in tota vita discendum est, & quod magis mirandum est, in tota vita discendum mori. Idem, Ante senectutem, curaui vt benè viuerem; in senectute, vt benè moriar: benè autem mori est libenter mori.

Platonis hæc præclara dicta sunt: θάνατος οὐδενὶ δικαίῳ φοβερὸς, Mors nulli iusto formidabilis. In Gorgia de seipso ait Socrates, ἃ οἶδα ὅτι ῥᾳδίως ἴδοις ἂν μὲ φέροντα τὸν θάνατον. αὐτὸ μὲν γὰρ τὸ ἀποθνήσκειν, οὐδεὶς φοβεῖται ὅστις μὴ παντάπασιν ἄλογός τε καὶ ἀνάνδρός ἐστιν. τὸ δὲ ἀδικεῖν φοβεῖται. πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων γέμοντα τὴν ψυχὴν εἰς ᾍδου ἀφικέσθαι, πάντων ἔχατον κακῶν ἐστιν. Idem in Phædone. Reuera ij qui rectè philosophantur mortem meditantur, & mori præ omnibus aliis hominibus minimè extimescunt. In eodem Dialogo θανάτου μελέτην, ὀρθὴν φιλοσοφίαν esse ait.

In Basiliensis Academiæ Schola Theologica, perscriptum, Anno vltimæ Dei patientiæ, 1583. Calendis Iunij.

PROBLEMATIS, RECTENE AVGVSTInus censuerit, Patrum & nostra Sacramenta diuersa quidem signis fuisse, Rem autem eandem, nécne? diiudicatio Theologica, tradita à

D. IOAN. IACOBO *Grynæo: de qua in publica Disputatione, die 4. Iulij, respondit Iacobus Arminius Hollandus.*

AD

Antiquæ laudatæque nobilitatis Iuuenem, DN. HERMANNVM A MALSBVRG, *non minus sua, quàm etiam Heroicorum Maiorum laude florentem.*

Augustinus:

Sacramenta omnia & veterum & nostra, ad vnam fidem recurrunt. Epist. 158.

Gregorius Rom.

Sacramenta foris percipimus, vt intus sancti Spiritus gratia repleamur.

SPLENDORE NOBILISSIMÆ FAMILIÆ, & virtutum laude florentissimo Iuueni, D. HERMANNO A MALSBVRG,

S. P. D.

SI, quod Aristoteles de Iusticia dixit, Hespero videlicet & Lucifero eam esse formosiorem, idem & de Veritate, quæ Tertulliano teste, nihil erubescit, nisi abscondi, nobis plenè persuasum esset: haud dubiè, nec πρωτοπολιψίας *fascinum, nec periculorum quæ veritatis studium & professionem comitari solent, metum, nec denique euanidam terrenorum commodorum spem, qua mendacium hominibus incautis illudit, nobis verba dare pateremur: sed studiosè & constanter Veritatem, cuius contemplatio incundissima est, quum eius doctor Deus sit, vt Augustini verbis vtar, nobis inquirendam, cognoscendam & profitendam esse iudicaremus.*

Sed enim quum Veritatis tum sementi, tum messi, non semper idem temporis momentum diuina sapientia præstituat, veritatis donum nobis quidem gratulemur, aliis autem, quibus illius fulgor nondum illuxit, spe bona animati, precemur, ac modestè veritatem diuinitùs nobis patefactam profiteamur, nunquam non repetentes beati Hieronymi elegans dictum: Si propter timorem mortis tacere veritatem, impietas est: quomodo non est maior impietas, propter miserum ventrem, & honoris vanam spem, tacere veritatem?

Gratulor itaque tibi, Nobilissime D. MALSBVRGI, *quòd præcipuo Dei æterni & omnipotentis dono, tibi datum est, cum stemmatis & laude Maiorum, virtutes nõ solùm heroicas, & Equestri vestro Ordini, belli pacísque temporibus, necessarias: sed etiam verè Christianas, pacis inquam & veritatis amorem & studium, coniungere: & toto pectore oro Filium Dei D. nostrum Iesum Christum, vt te (qui hoc tempore inter mensæ meæ decora, vnà cum nobilissimis aliquot & ingeniosissimis hospitibus, oportunissimus ὁμοτράπεζος es) & totam familiam* MALSBVRGENSEM, *ad gloriam suã & Reipub. ac Subditorum vestrorum vtilitatem, florentem esse velit. Bene vale. Basileæ, Calendis, Iuliis, 1583.*

Iohannes Iacobus Grynæus,
S. Theologiæ Professor.

DE

DE VTRIVSQVE TESTAMENTI Sacramentis THESES.

I.

AVGVSTINI lib.19.cap.16. contra Fauſtum Manichæum, hæc verba ſunt: Interim aduerſus calumnioſam imperitiam Fauſti demonſtrare ſuffecerit, quanto errore delirent, qui putant ſignis ſacramentíſque mutatis, etiam res ipſas eſſe diuerſas, quas ritus propheticus prænunciauit promiſſas, & quas ritus euangelicus annunciauit impletas: aut qui cenſent, cum res eædem ſint, non eas aliis ſacramentis annunciari debuiſſe completas, quàm his, quibus adhuc complendæ prænunciabantur, &c.

II.

Res autem inter quoſdam controuerſa eſt: Veréne Auguſtinus cenſuerit, Patribus & Nobis diuerſa fuiſſe Sacramenta, rem tamen eandem vtriſque fuiſſe propoſitam, an verò non? Ac Manichęi quidem olim fingebant, Signis mutatis, res quoque mutatas eſſe: Auguſtinus autem contrà, Rebus manentibus, ſigna mutata eſſe, prudenter docuit.

III.

Priuſquam, recténe, an verò ſecus, Auguſtinus de re tanta pronunciauerit (diuinæ Scripturæ Canonem ſequentes) indicemus; quæ fuerit eiuſdem Patris de Myſteriis iſtis mens & ſententia, ex illius γνησίοις libris colligendum exiſtimamus. Digna ſunt memoria hæc Auguſtini dicta:

1. *In nullum nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm, & ideò contemta ſacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas.* Contra Fauſtum Manich. lib.19.cap.11.

2. *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum.* Et paulo pòſt: *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens.* Tractatu 8. ſuper Ioannem.

3. *Iſta, fratres, ideò dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* In Sermone ad Infantes ad Altare de Sacramento.

4. *Aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur?* Tractatu 26. ſuper Ioannem.

Eidem aliud eſt Sacramentum, aliud Res Sacramenti & Veritas. In Euchariſtia Auguſtino Sacramenta ſunt, Panis & Vinum Domini: Res Sacramenti, Corpus & Sanguis Chriſti, & fructus qui redit ad eos, qui Chriſti Ieſu per fidem participes ſunt.

5. *Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum*

quendam modum, Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est, &c. Ad Bonifacium Epist. 23.

6. *Visibilia Sacramenta pietatis inesse possunt etiam impijs: sicut habuisse sanctum Baptismum, etiam Simonem Magum legimus. Fiunt tales, quales Apostolus ait: Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Contra Faustum Manichæum, lib. 19. cap. 12.

Aliud est Sacramentotenus, aliud reipsa comedere Christi corpus.

7. *Soli Catholici non solùm Sacramento, sed reipsa manducauerunt Corpus Christi, in ipso scilicet eius corpore constituti. De quo corpore ait Apostolus: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Qui ergo est in eius corporis vnitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueuerunt, ipse verè dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinem Christi. Ac per hoc hæretici & schismatici ab huius vnitate corporis separati, possunt idem percipere Sacramentum, sed sibi non vtile, immò verò etiam noxium, &c.* Paulo pòst: *Sed rursus etiam isti, qui rectè intelligunt, nõ dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi, non rectè promittunt eis, qui vel in hæresim, vel etiam in Gentilium superstitionem, ex illius corporis vnitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni igne supplicij.* De Ciuit. Dei lib. 21. cap. 25.

8. *Proinde prima Sacramenta, quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Christi venturi: quæ cùm suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideò ablata, quia impleta: non enim venit soluere legem, sed adimplere: & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora tanquam iusticia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, &c.* Contra Faustum lib. 19. cap. 13.

In eandem sententiam pronunciat alibi: *Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit Deus.* Ad Inquisit. Ianuarij. cap. 1.

IIII.

Ex iis, quæ iam adduximus, Augustini dictis, hanc illius sententiam fuisse colligimus: Sacramenta, quæ sunt visibilia & diuinitùs sancita signa promissionis gratiæ & rerum inuisibilium, diuersa fuisse in Vetere & Nouo Testamento, communia tamen & fuisse & esse omnibus, tàm fidelibus, quàm hypocritis, qui in externa societate populi Dei versati, & eis vsi essent: Rem verò & virtutem Sacramentorum, signis Sacramentalibus repræsentatam, eandem semper fuisse & esse, & ea frui eos tantùm, qui in interna Ecclesiæ societate locum habent, & Christo concorpores, communione Sanctorum gaudent. Signis itaque Sacramentalibus, quæ in vsu fuerunt Patrum & Prophetarum temporibus, Messia exhibito abolitis & mutatis, alia instituta esse, & vsurpari in Ecclesia Christiana cœpisse; Rebus spiritualibus, quæ inde vsque ab exordio Mundi, ad eius consummationem communes sunt omnibus Saluandis, interim manentibus, verè rectéque censuit Augustinus.

V.

Rem & virtutem Sacramentorum Augustinus vocat, Iesum Christum, qui hodie, heri idem est, & in scula: Hebr. 13. 8. & Agnus mactatus iam inde à iactis Mundi fundamentis: Apocalyps. 13. 8. Quum enim sit caput corporis Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis, vt in omnibus primas

primas teneat, Col.1.18. ſemper adfuit & adeſt Eccleſiæ, 1. Cor.10.9. Matth. 28.20. & eam de Mundo ſanctificatam, beneficiis ſalutaribus afficit & ornat.

Piè autem docet Auguſtinus, impios ſeu infideles non fieri participes Rei ſeu Virtutis Sacramentorum, etiamſi Sacramentalia ſigna, quæ in ſenſus incurrunt, ad damnationem ſuam percipiant. Etenim ſanctum non datur canibus, & margaritæ non proiiciuntur ante porcos: Matt. 7.6. Ac ſi nulla eſt Chriſto concordia cum Belial, nec eſt pars fideli cum infideli, 2. Corint. 6.15. non certè eſt cur putemus, Rem virtutémque Sacramentorum, nobis fidelibus, cum infidelibus hypocritis eſſe communem.

VI.

Sed enim vt ſecundum Scripturas diuinas, de re tanta ſtatuamus & pronunciemus, toti noſtræ Diſputationi hanc Demonſtrationem, tanquam aurcam baſim, ſubſternimus.

Si nobis Chriſtianis cum ſanctis Patribus & Prophetis communis eſt Circumciſio, & Agnus Paſchalis; illis autem Baptiſmus & Euchariſtia nobiſcũ communis eſt: tum equidem ſequitur, Sacramenta Patrum & noſtra diuerſa quidem eſſe; Rem verò & virtutem eandem planè eſſe. Etenim à rebus ipſis internis, & à virtute ſalutari Myſteriorum iſtorum æſtimatio petenda eſt: non à ſignis externis; quæ quum ſint mutata, diuerſa iam eſſe facta, nemo ſanus non intelligit.

Vera autem ſunt ea quæ antecedunt. Iuxta dicta: Patres in Moſen baptizati ſunt nube & mari: Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ederunt: Et omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant enim ex ſequente ſpirituali Petra: Petra verò erat Chriſtus: 1. Cor. 10.2.3.4. Particulam (eandem) non eſſe reſtringendam ad Patres, ſic, vt ſententia ſit, Eandem inter ſe, non Eandem quam & nos percipimus, inde colligimus: 1. Quia Paulus Patribus etiam Baptiſmum tribuit. 2. Quia de Re Sacramenti loquens, Chriſti meminit. 3. Quia alioqui eneruaretur Pauli argumentum. Itaque hæc ſententia eſt: Si Deus Patribus, quibus nõ magis quàm nobis Baptiſmus & Eſca Potúſque ſpiritualis deerat, peccantibus non pepercit: Ne nobis quidem (fiducia Sacramentorum inflatis) parcet, ſiquidem ἐκ προαιρέσεως peccauerimus. Iam verò & Circumciſionem & Paſcha nobis cum Patribus eadem ratione communia eſſe, hæc dicta teſtantur: In Chriſto eſtis circumciſi, circumciſione quæ fit ſine manibus, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuiſtis per circumciſionem Chriſti: Col. 2.11. Item: Etenim Paſcha noſtrum pro nobis ſacrificatum eſt, nempe Chriſtus: 1. Cor. 5.7.

Verum igitur eſt & quod ex illis conſequitur, videlicet Sacramenta quidem Patrum & Noſtra diuerſa eſſe, ipſam verò Rem & virtutem & ſubſtantiam eandem. id quod per calumnioſam imperitiam à Manichęis negari, iurè queritur Auguſtinus.

VII.

Iam verò, vt in gratiam Iuniorum res tota, quàm fieri poteſt, & breuiſſimè & lucidiſſimè illuſtretur, de quatuor iſtis Sacramentis, Baptiſmo, inquã, Euchariſtia, Circumciſione & Agno Paſchæ, diſſeremus. Nam vbi conſtiterit, in illis quatuor Sacramentis ſigna diuerſa fuiſſe, rem autem eandem,

& omnibus fidelibus Veteris Nouíque Teſtamenti communem: facilè colligi poterit, quid de Manna, de Sabbatho, & de alis quibuſdam ſit piæ Menti ſtatuendum. Dominus Ieſus det, vt non niſi vera & ſalutaria dicamus.

VIII.

1. De Baptiſmo. In noſtræ initiationis & regenerationis Sacramento, Signū ſacramentale eſt aqua, & eius aſperſio: Res Sacramenti, Sanguis Chriſti, cuius aſperſione emundamur ab omnibus peccatis; virtus Spiritus ſancti, regeneratio, viuificatio noui hominis, mortificatio veteris hominis. Iuxta dicta: Baptiſmus nos quoque ſeruat (non quo carnis ſordes abiiciuntur, ſed quo fit, vt bona conſcientia Deum interroget) per reſurrectionem Ieſu Chriſti: 2. Pet. 3. 21. Item: Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius purgat nos ab omni peccato: 1. Ioā. 1. 7. Item. Ex miſericordia ſeruauit nos per lauacrum Regenerationis, & renouationem Spiritus ſancti: Tit. 3. 5. Rom. 6. 3. 4. 5.

2. Signum ſacramentale Baptiſmi vſurpari cœpit Noui Teſtamenti tẽpore; & commune eſt tam viuis quàm putridis Eccleſiæ membris, vt Simonis Magi & ſimilium exempla teſtantur.

Sed Res Sacramenti, Sanguinis videlicet Chriſti aſperſio & pretium, & Virtus Sacramenti, videlicet Regeneratio & Renouatio hominis ſaluandi, inde vſque ab initio Eccleſiæ viguit, & non niſi fidelibus, qui viua Chriſti membra fuerunt & ſunt, communis fuit & eſt.

3. Proinde, ſi quis neget, Patribus & Nobis Baptiſmum, ſi Rem & virtutem ſpectes, communem eſſe, reducendus eſt ad hæc abſurda: Vel Patres omnino emundatos à peccatis, & regenitos non fuiſſe, ac proinde periiſſe in æternum; vel eoſdem ſine ſanguinis Chriſti aſperſione & pretio ſanctificatos, regeneratos & redemtos eſſe: quorum vtrumque eſt abſurdiſsimum.

4. Fateamur itaque id quod res eſt, Aquæ Baptiſmum inſtitutum eſſe circa incunabula Eccleſiæ Noui Teſtamenti, & à Miniſtris verbi Dei diſpẽſari: Spiritus autem Baptiſmum à Filio Dei inde vſque ab initio Eccleſiæ adminiſtratum eſſe; quum nemo, niſi qui eſt genitus ex aqua & Spiritu, poſsit introire in regnum Dei: Matth. 3. 11. Ioan. 3. 5.

IX.

1. De Euchariſtia. In Sacramento ſpiritualis alimoniæ, in quo non Vẽtris, ſed Mentis; non Veteris hominis, ſed Noui hominis negocium agitur: Signa ſacramentalia ſunt, Panis Domini, & Vinum Domini: Res Sacramenti, Corpus Chriſti pro nobis traditum, Sanguis Chriſti pro nobis fuſus. Iuxta dictum Pauli, quo verborum Chriſti in ſacra Cœna ſententia diuiniſsimè exponitur: Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Chriſti eſt? 1. Cor. 10. 16.

2. Signa ſacramentalia Euchariſtiæ, in Eccleſia Noui Teſtamenti tum demum vſurpari cœperunt, quando res illæ terrenæ, ad eos vſus à Chriſto Ieſu, in cœna prima ſanctificatæ eſſent: communes autem eſſe omnibus S. Cœna vtentibus, tam fidem ſimulantibus, quàm verè fidelibus, nemo non intelligit.

Sed

Sed Res huius Sacramenti, ipsa videlicet Corporis & Sanguinis Christi cõmunio, quæ Res cœlestes complectitur, toti veræ Ecclesiæ vtriusque Testamenti communis, non nisi fidelium propria est: vt ex effectu manifestè liquet, qui à virtute & substantia Sacramenti dependet, videlicet ex mansione in Christo, & viuificatione noui hominis, de qua dicitur: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Qui ederit me, viuet ipse per me. Item: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Ioan. 6. 56. 57. 58.

3. Ideò si quis, Paulo dicenti, Patres omnes eandem escam spiritualem ederunt, 1. Cor. 10. 3. contradicens, neget Patribus Rem & Virtutem Eucharistiæ nobiscum communem fuisse, reducendus quoque erit ad manifestè absurda & impia. Quum enim Panis quem frangimus, sit communio corporis Christi; & poculum cui benedicimus, sit communio sanguinis Christi: posita falsa hypothesi, quæ negat Patres manducasse Christi corpus, & eiusdem sanguinem bibisse; sequentur hæc inconuenientia: Vel Patres, alimonia spirituali destitutos, fame spirituali confectos, periisse in sempiternum: vel citra communionem corporis & sanguinis Christi nutritos & sustentatos fuisse ad vitam æternam. Atqui vtrumque horum falsum est.

4. Agnoscamus itaque id quod res ipsa & Ratio iam πνευματικῶς dictant, videlicet, Eucharistiæ Signa sacramentalia à Ministris noui Testamenti decenter administrari, & cùm sensibilia ac res terrenæ sint, sensibiliter & corporaliter à veris & à fictitiis Christianis percipi: Rẽ verò Eucharistiæ, id est, pro nobis traditum Christi corpus, & pro nobis fusum eiusdem Sanguinẽ; & Virtutem, hoc est, efficaciorem pleniorémque nostram cum Christo capite consociátionem, implantationem, conformationem & viuificationem, communem toti Ecclesiæ inde vsque ab eius exordio, à Deo Patre dari, spiritualiter, per fidem, percipiendam. Iuxta illud: Pater meus dat vobis panem illum verè cœlestem. Ioan. 6. 32.

Neque enim est, cur scrupulum nobis pariat puerile illud Sophisma: Caro Christi Patrum temporibus nondum extabat in rerum natura: Non igitur manducari à Patribus potuit. Etenim si ita cauillari libeat, non minus firmũ erit hoc quoque Sophisma: Patrum ætate nondum erat Christus in carne patefactus: Non igitur erat Mediator inter Deum & Homines. Vnde sequitur, Nullam tum fuisse Ecclesiam, quæ certè citra Mediatoris interuentum nulla esse potest; quum semel homines inimici Dei facti fuerint: Rom. 5. 10.

Si carnalem & Capernaiticam substantiæ corporis sui manducationem, quæ ore & dentibus fieret, Cœna sacrosancta instituta, sanxisset Christus, tum sequeretur, Patres non manducasse Corpus Christi, quod nondum extabat.

Sed quum etiam exhibito in carne Christo, Augustino teste, maius scelus sit carnem humanam edere, quàm hominem occidere; & bibere sanguinem humanam, quàm fundere: meminerimus, Christi corpus, quatenus pro nobis traditum, viuificum ἀγ ἐνεργητικὸν est; & eiusdem pro nobis fusum sanguinem, cibum potúmque esse, qui ore animæ, seu fide, olim à Patribus perceptus sit, nunc autem & à nobis percipiatur; vt in ipso summatim recolligantur, viuificentur & instaurentur omnes saluandi. Sint autem piis in numerato hæc elegantissima Augustini dicta:

1. *Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista Cœna. Ecce credimus in Christum, quum fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus: modicum accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod* VIDETVR, *sed quod* CREDITVR, *pascit.* De verb. Dom. in Euang. Lucæ, Serm. 33.

2. *Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.* In Iohan. Tractatu 25.

3. *Tunc autem vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento* VISIBILITER *sumitur, in ipsa veritate* SPIRITALITER *manducetur & bibatur. Audiuimus enim Dominum dicentem: Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quicquam. Verba quæ loquutus sum, spiritus & vita sunt.* De verbis Apostoli, Serm. 2.

4. *Caro Christi vita fidelium est, si corpus ipsius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi, de quo non viuit, nisi corpus Christi.* De Vera innocentia. cap. 338.

5. *Hic est ergo panis, qui de cœlo descendit, vt si quis manducauerit ex ipso, non moriatur: sed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, non qui pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat* INTVS, *non* FORIS: *qui manducat in* CORDE, *non qui premit* DENTE. Et paulo antè: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter, premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, &c.* Tractatu 26. in Iohannem.

Ex his & similibus Augustini dictis colligimus, Eos manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, spiritualiter & per fidem (neque enim aliter percipi cœlestia illa, & soli fidei perspecta dona possunt) qui Christo concorpores, & illius membra viua sunt. Atqui omnes fideles, tam Veteris quàm Noui Testamenti, concorpores illi sunt, membra corporis eius, ex carne eius & ex ossibus eius: Ephes. 5. 30. Quare hi omnes manducant carnem Christi, & bibunt eiusdem sanguinem. Loquor iam de re Sacramenti & eiusdem virtute.

Immanè autem, quàm procul discessit à pia & orthodoxa sententia Augustini, de Sacramenti & Rei ac Virtutis discrimine, de spirituali perceptione Corporis & Sanguinis Christi (quæ virtute Spiritus sancti & fide fit, ac communis est toti veræ Ecclesiæ) Nicolaus Papa Romanus, qui, Anno Christianæ Epochæ 1059. in Lateranensi Concilio, Palinodiam præscripsit, quæ his verbis tradita habetur in Decreto, Distinct. 2. de Cõsecratione: Ego Berengarius, indignus Ecclesiæ S. Mauritij Andegauensis Diaconus, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, Panem & Vinum in altari post consecrationem, solummodò Sacramentum & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse; & non posse SENSVALITER, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum TRACTARI vel FRANGI, aut fidelium DENTIBVS ATTERI. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & ore atque corde profiteor, de Sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam dominus & venerabilis Papa Nicolaus, &

hæc

hæc ſancta Synodus, auctoritate Euangelica & Apoſtolica, tenendam tradidit, mihíque firmauit, ſcilicet, Panem & Vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe: & ſenſualiter non ſolùm ſacramentum, ſed in veritate MANIBVS Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium DENTIBVS atteri: iurans per ſanctam & ὁμοούσιον Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Euangelia, eos qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & conſecratoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuncio. Quòd ſi ego ipſe aliquando contra hoc aliquid ſentire aut prædicare præſumſero, Canonum ſeueritati ſubiaceam. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi hanc confeſſionem ſuæ fidei, de corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti à Berengario Romæ coram CXIIII. Epiſcopis factam, miſit Papa Nicolaus per vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunque loca fama prauitatis eius præuenire antè potuit, vt Eccleſiæ, quæ prius doluerant de auerſo & peruerſo, poſtea gaudeant de reuerſo atque conuerſo.

Vt doctrina Nicolai iſtius falſa eſt, ſic oratio eiuſdem mendoſa, nec digna quã corrigas.

X.

1. De Circumciſione. Si iuſticiæ ſigillum conſideres, Sacramentum erat, præputij præciſio: Res Sacramenti, cordis (in iis qui fœdere Deo iuncti erant) circumciſio; de qua dicitur: Circumcidite præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne induretis vltrà: Deut. 10. 16.

2. Signum Circumciſionis inſtitutum tempore Abrahæ, Anno Mundi conditi 2048. ante Chriſtum natum 1923. apud Iſraelitas vſque ad tempus correctionis in vſu fuit, intermiſſum tamen fuit per annos 40, quum Iſraelitæ in deſerto verſarentur, Ioſ. 5. 5. 6. Ac commune fuit hoc ſignum ſacramentale, veris Iſraelitis & adulterinis: ipſíſque adeò Pſeudoiudæis & Turcis hac noſtra ætate vſitatum & commune eſt.

Sed res Sacramenti & virtus, etiam antequam Sacramentum Circumciſionis eſſet inſtitutum, piis nunquam defuit, infidelibus nunquam adfuit: nec etiam abrogato circumciſionis ritu, nobis fidelibus deeſt, aut vnquã deerit.

3. Quare ſi quis Circumciſionem ſpiritualem Chriſtianis derogare auſit, ad abſurdum reducendus eſt. Vel enim Chriſtiani, dum corpus carnis peccato obnoxiæ exuunt per Circumciſionem, pro ἀπεριτμήτοις τῇ καρδίᾳ, καὶ τοῖς ὠσίν, id eſt, incircumciſis corde & auribus (qui ſemper obniti ſolent Spiritui ſancto) habendi non ſunt: Coloſ. 2. 11. Act. 7. 51. Vel certè corda à prauis cupiditatibus; aures, lingua, labia, manus, citra diuinam circumciſionem (quę ſpiritus eſt, non literæ) à vitioſis ſermonibus, dictis, factis, alienæ fiunt: quod etiam ſimpliciter impoſsibile eſt.

4. Statuimus itaque, Circumciſionem, quæ eſt in propatulo, id eſt, in carne, diuinitùs certis temporibus & inſtitutam & antiquatam, & ab hominibus adminiſtrari ſolitam, communem fuiſſe veris & falſis Iſraelitis: Cordis autem Circumciſionem, quæ ſpiritu, non litera conſtat; & cuius laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo, Roman. 2. v. 28. 29. tantiſper in vſu fuiſſe & fore, donec iuſticia fidei ad nos iuſtificandos, nobis imputabitur, & in nobis obſignabitur.

Plurimum autem refert illud obſeruare, quod dialecticè ſubiiciam, vt formentur piæ iuuentutis iudicia de rebus magnis.

De similibus idem est iudicium. At qui carne tantùm, non spiritu & corde, circumcisi sunt, dicuntur incircumcisi corde, Actor. 7. v. 51. eorum circumcisio fit præputium, hoc est, pro incircumcisis & profanis habentur, Rom. 2. 25. vocantur contumeliæ gratia κατατομὴν, concisio, Philip. 3. 2. Econtrà, Præputiatus legis iura seruans, pro circumciso habetur, Rom. 2. v. 26. est circumcisio, qui spiritu seruit Deo, gloriatur in Christo Iesu, nec confidit in carne, Philip. 3. 3.

Quare & ii, qui aqua tantùm, non etiam Spiritu sancto & igni baptizati sunt, pro non baptizatis: qui panem Domini & vinũ Domini solùm in Cœna sacrosancta, non autem corpus & sanguinem Christi percipiunt, pro alienis à mensa Christi, haberi debent.

Econtrariò, qui non contemtu, sed priuatione Sacramentorum laborant, etiamsi aqua nunquam antea sint à Verbi Ministro abluti, nec vnquam liturgiæ Cœnæ Domini antea interfuerint; si modò Spiritu sancto & igni baptizati, Christum Iesum ad sanctificationem induerint, & Corporis Christi consortes fuerint, pro baptizatis & Christi ὁμοτεκνίοις habendi sunt. Si tamen postea his Baptismi & Cœnæ Dominicæ copia fiat, iis vtendum erit summa cum religione; vt quod iam antea ἔσωθεν in illis Spiritus sanctus perfecit & obsignauit, idipsum ἔξωθεν Ministerio Ecclesiæ; ordinis gratia, sanciatur. Quæ enim immediatè Deus præstat, præiudicio non sunt ordinariæ dispensationi Verbi Dei & Sacramentorum, quum hac vti licet.

XI.

1. De Paschate. Sacramẽtum Israelitis erat Agnus Paschalis & eius esus, certis ritibus constans: Exod. 12. Res autem Sacramenti erat Iesus Christus, qui est Agnus Dei, tollens peccatum mundi, quem Patres fide manducabant, vt & nos: Ioan. 1. 29.

2. Sacramentum Agni Paschalis, institutum Anno ab Orbe creato 2454, ante Christum natum 1517 (quod diu intermissum, quasi iure postliminii in vsum reuocatum fuit à pio rege Ezechia, Anno Mundi 3228, ante Christũ natum 743. tandem substitutis ἀντιτύποις noui Testamenti, planè antiquatum est Anno Æræ Christianæ 34. Mundi conditi 4004.) fuit commune omnibus, qui legaliter modò mundi essent; etiamsi inter hos multi essent hypocritæ: vt ediuersò inter legaliter immundos, & ob eam causam ab esu Agni Paschalis abstinentes, pii & sinceri multi esse poterant.

Res autem Sacramenti, videlicet Agnus ille mactatus à Mundi exordio, qui λύτρα pro tota Ecclesia persoluit, si non & ante ritum Sacramentalem institutum, & postquam is abolitus est, saluandis exhibita fuisset; nemo olim redemtus fuisset, ac nemo etiamnum saluus fieri posset. Scimus enim, & Patres olim, & hoc tempore nos, non caducis rebus, argento vel auro redemtos esse, sed pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati, nempe Christi, præordinati quidem ante iacta mundi fundamenta, patefacti verò vltimis temporibus, & c. 1. Pet. 1. 18. 19. 20.

3. Negari itaque non debet, nobis quoque esse Pascha; nisi quis impudenter oggannire velit Spiritui sancto, per os Pauli Apostoli dicẽti: Etenim Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus: 1. Cor. 5. 7.

7. Vt igitur Mosaicum Agnum, eiúsque solennem esum, solis Israelitis præscri-

præscriptum,abolitum fuisse:sic spiritualem esum Agni Paschalis,Iesu Christi Domini nostri, & Patribus & nobis Christianis communem esse, nihil dubium nobis est.

XII.

Ex iis,quæ nobis hactenus dicta disputatáque sunt, sequitur, Rectè pronunciasse Augustinum,Sacramenta Patrum & nostra diuersa quidem esse signis:Rem tamen & substantiam eandem,& omnibus piis communem, illis fuisse repræsentatam, quum, vt ait Paulus, vnum sit Corpus Ecclesiæ, vnus Spiritus,vna Spes,vnus Dominus,vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium; vnus Mediator Dei & Hominum, Homo Iesus Christus: Eph.4. 4.5.6.1.Timoth.2.5.ac vetus nouúmque Fœdus, non substantia,sed dispensatione:doctrina etiã diuinitùs in illis patefacta,non specie, sed reuelationis mensura & luce distinguatur:id quod pro gratia diuinitùs concessa ostendere,propositum nobis erat. πάντοτε δόξα θεῷ. Basileæ,Calẽdis Iulij, 1583.

ORTHODOXA ASSERTIO THEOREMAtis Theologici,de æterna Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, Deitate, Oppositа Arianorum,Filii Dei viui & salutis omnium Electorum hostium,impio dogmati:de qua præside IOAN. IACOBO GRYNÆO,*Theologiæ Doctore,& Ordinis Theologici in Basilienſi Academia Decano,4.Calend.Septembr.publicè γυμνασίας χάριν,respondit*

AMOS AMANDVS POLANVS OPPAVIENSIS.

AD

Dn. Christianum Barnecouium, Danum, Maiorum vera laude,stemmatis, ingenio & virtute nobilissimum:literatæq; Nobilitatis decus.

1. *Cor.* 16. 22.

Si quis non amat Dominum Iesum Christum,sit anathema,maranatha.

NOBILISSIMO IVVENI,DN. CHRISTIANO BARNECOVIO, DANO, VIRTVTVM LAVde florenti:& eruditorum hominum amantissimo, S. D.

ADamantem illum,vnionibus aliquot appensis ornatum,& toto orbe celeberrimum,quem Burgundiæ Princeps Carolus,in prælio Gransonienſi, vnà cũ multis pretiosis & exquisitissimis rebus,à Gẽte Heluetica victus, amisit:si non ille Glaucus,cuius Cominæus meminit,sed prudens rei gẽmariæ æstimator,nactus fuisset:haudquaquam neglectim habitum,vilissimo pretio vendidisset. Periti enim rerum censores, nequaquam Gallum illum gallinaceum imitantur, qui χρύσια χαλκείων: grano auenæ gemmam permutare cupiebat:sed & manus & rei pretium prudenter obseruant.

Quòd si verò omnes huius Mundi opes,omnia κειμήλια,vix merentur vitrea dici,si cum plusquam gemmeis aureisve opibus,rebus inquam diuinis,conferantur: quis ambigat,nihil in his esse μικρὸν ἢ καταφρονητέον: & vel iactura,omnium terrenarum facultatum,illas redimendas esse?

En igitur tibi, generose D. BARNECOVI, *Theologicam gemmulam, quantitate exiguam, veritatis autem, vsus & pretij summi nomine, omnibus omnium Regum opibus (de quibus non ignoras verè dictum: Scinduntur vestes, gemmæ franguntur & aurum) longissimè anteponendam: quum ea Christum Iesum verum Deum & hominem, ac salutis nostræ auctorem, nobis commendet & demonstret.*

Quòd si, sententia magni illius Basilij, Baptizari nos oportet: sicut accepimus: Credere autem, sicut baptizamur: Glorificare denique, sicut credimus, Patrem, Filium & Spiritum sanctum: toto pectore abhorreamus ab Arianorum & aliorum fanaticorum blasphemijs: & aduersus ea, ἀλεξιφάρμακα tutissima, è Scripturæ sanctæ myropolio instructissimo petamus: è quorum genere hæc, quæ iam exhibeo, pauca, sed selectissima, & ad salutem scitu perneccssaria, sunt.

Dominus Iesus, tibi non solùm in hac periodo Academica: sed etiam in totius vitæ tuæ stadio & curriculo, dexter adsit: & efficiat, vt Maiorum laudatissimorum exemplo, constanter & eleganter, Dei consilio in florentissimo DANIAE *regno, seruias, nec vnquam neglecto virtutum studio, desinas in eo esse, vt pro tua virili, prosis plurimis, nemini verò obsis. Ex Basilienſi Academia. 18. Augusti 1583.*

Iohannes Iacobus Grynæus.

ASSERTIO ORTHODOXA THEOREMAtis Theologici, de æterna Deitate Filij Dei, oppoſita Arianæ impietati & blaſphemiæ.

I. Πρότασις.

PROPOSITVM nobis est demonstrare, Dominum nostrum Iesum Christum, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, secundum Spiritum sanctificationis, qui illius Carni, seu assumtæ naturæ opponitur, Rom. 1. 4. esse verum & æternum Deum, Patri & Spiritui sancto coëssentialem & coæternum. Quum autem, quicunque Christi non est, is Antichristi sit (vt beatus Hieronymus ad Damasum rectè scripsit) nostrum fuerit sincera Confessione de Iesu Christo θεανθρώπῳ testari, nos illius esse, & toto pectore ab Ariana hæresi, quæ verę Deitatis laudem per nefarium sacrilegium, ei eripere conatur, alienos esse. Adsit itaque nobis suo Spiritu, æterni & viui Dei, coæternus Filius, Dominus noster Iesus Christus, Amen.

II. Θεώρημα.

Si ἐκπόρευτος ille Sermo est Iehouah, tum verò idem est naturà Deus: non autem, vt impij Ariani volunt, quum à Deo conditus esset, eiusdem precario beneficio Deus esse cœpit. Stat enim illud ἀμεταχίνητον oraculum: Tu es Christus ille Filius Dei viuentis. Matth. 16. 16.

III. Ἔκθεσις τῶ διδομένω

Sermo ille non est Creatura: sed is, qui est ante omnia, per quem omnia condita sunt & consistunt. Col. 1. 16. 17.

IIII. Διορισμὸς τῶ ζητυμένω.

Non hominum seu opinione, seu suffragiis: sed reuera est Deus magnus, & supra omnes laudandus in secula: de quo æternus Pater, inquit: Ego ero ei Pater & ipse erit mihi Filius: quem vt πρωτότοκον adorarunt omnes Angeli Dei. Tit. 2. 13. Rom. 9. 5. 2. Sam. 7. 14. Heb. 2. 6.

V. Κατα-

V. Κατασκευὴ.

Primùm definitionibus, è Scripturæ ſanctæ myrotheciopetitis: deinde, τοῖς ἀξιώμασιν hæc noſtra κατασκευὴ conſtabit.

ὅροι, ſeu definitiones.

1. Vnigenitus ille Dei Patris filius, qui Sermo nuncupatur, eſt ſecunda perſona Trinitatis, genita à Patre, imago eius eſſentialis, ſplendor gloriæ, & character perſonæ ipſius. Ioan. 1. 18. Matth. 28. 19. Col. 1. 15. Heb. 1. 1. 3.

2. Iehouah, ſeu ὁ ὤν, is eſt, de quo ſolo dicitur (creationis pariter & redemtionis reſpectu) Ex eo, per eum, & in ipſum ſunt omnia. Rom. 11. v. 36. Item, Qui eſt, Qui erat, & Qui venturus eſt: & qui ob æternitatem ἄναρχον, eſt A & Ω. Apoc. 1. 4. 8.

3. Natura Deus is eſt, qui eſt ab æterno, principii & finis expers, omnipotens, ſummè bonus, iuſtus, miſericors: apud quem non eſt tranſmutatio aut conuerſionis obumbratio: auctor & naturæ & boni quod eſt in tota rerum natura.

Ἀξιώματα.

1. Iehouæ nomen Creatori ſoli, nulli autem Creaturæ competit.
2. Nulla Creatura Deo ὁμοούσιος, συναΐδιος, ἢ ὁμότιμος eſt.
3. Deitatis propria eſſentialia, nec à Natura, nec à ſe inuicem ſeparãtur.
4. Nemo niſi verus Deus, Conditor, Redemtor, Hæres omnium & mundi Iudex eſſe poteſt.

VI. Ἀποδείξεις.

Demonſtrationes directas duum generum adducemus, initiò facto à Syntheticis, quæ à priore ſunt τῷ διότι ἐστί.

1. A nomine τετραγράμματος, Dei οὐσίαν ſignificante. Da. Quicunque eſt Iehouah, idem eſt natura Deus. ri. Sermo autem ille eſt Iehouah. j. Igitur, &c.

2. Ab ὁμοουσίᾳ Perſonarum Trinitatis. Da. Omnis, qui vnum eſt cum Patre, & cuius etiam Spiritus ſanctus eſt, is quoque φύσει θεὸς eſt. ri. Sermo ille ὑφιστάμενος, vnum eſt cum Patre. Ioan. 10. 30. & Spiritus ſanctus Filij quoque eſt. Gal. 4. 6. j. Ergo, &c.

3. A finitione. Quicunque eſt vnigenitus æterni Patris filius, imago & ſplendor gloriæ & character perſonæ illius, is natura Deus eſt. De Sermone illo hæc prædicantur: vt ex ſuperioribus liquet.

4. Ἀπὸ θεότητος propriis in 4. modo. Cui propria eſſentialia Deitatis tribuuntur, eidem & ipſa natura. Sermoni autem illa tribuuntur, videlicet æternitas, immenſitas, omnipotentia, τὸ εἶναι ἀναλλοίωτον. Etſi autem λόγος ὑφιστάμενος, in incarnatione & obedientia vſque ad mortem crucis (quam in carne ſuſtinuit) ſeſe exinaniuit & humiliauit. Philip. 2. 7. ſic, vt quum in Carne pateretur λόγος quieſceret, vt Irenæus dixit: Tamen hæc κένωσις, non ad eſſentiam τοῦ λόγου: quæ eſt ἀναλλοίωτος: ſed ad Perſonam Mediatoris (cui & obedientia in morte, & exaltatio tribuitur) referri debet. Vt enim Sermo ille ἄναρχος eſt, eſſentiæ, ἔναρχος autem, relationis ad Patrem ratione: ſic idẽ abſolutè conſideratus nec humiliari, nec exaltari poteſt: quum ſit Deus τρισμέγιστος καὶ παντοκράτωρ: relatiuè autem, officij poteſtatiſque Mediatoris ratiõne, ſeſe ſubmittere, à Patre mitti, exire: Patre inferior eſſe: auctoritatem omnem in cœlo & terra accipere potuit. Stat enim illud: κεφαλὴ δὲ χριστοῦ, ὁ θεὸς. 1. Cor. 11. 3. Nullo autem modo cuiquam iſtud concedẽdum eſt, ea quæ ad Mediatoris officium, καὶ τὰ ἀποτελέσματα redemtionis, & dignitatem propriè perti-

nent,restringi debere ad alteram naturam, altera excluſa ab iis, quæ mediatoris propria ſunt adiuncta. Ignoſcat Deus iis, qui hæc iniuſtè Arianiſmi inſimulant: & det illis, vt ad Dei gloriam, & Eccleſiæ inſtaurationem, malint, nobiſcum piè συμφωνεῖν: quàm in ſcirpo nodum quærendo, δυμομαχεῖν.

Iam & Analyticas, τὸ ὅτι, à poſteriori ductas Demonſtrationes adiungamus.

1. Ab effectu vniuerſali Creationis & Conſeruationis. Qui omnia, quæ ſunt, creauit: & cum Patre vſque adhuc operatur, eum oportet eſſe verum & omnipotentem Deum. Iuxta dictum. Sic dicetis: Dij, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant è terra & de ſub cœlis iſtis. Qui facit cœlum potentia ſua, qui ſtabilit orbem ſapientia ſua. Hier. 10. 11. 12. Sermo ille omnia condidit, omnia ſuſtinet, cum Patre operatur. Ioan. 1. 3. & 5. 7. Hebr. 1. 2.

2. A Dei Redemtoris beneficiis ad Eccleſiam redeuntibus. Qui redemit Eccleſiam, & Spiritu ſuo ſancto in eam effuſo ſanctificat & illuminat eam, is verus & viuus Deus eſt. Sermo, Caro iam factus, illa omnia præſtat. Ioan. 1. 14. & 3. 17. & 13. 26.

3. A poteſtate & iure. Qui hæres omnium & mundi iudex conſtitutus eſt, eum oportet eſſe Iehouam, Ieſ. 45. 23. Sed illa dicuntur de Ieſu Chriſto, Hebr. 1. 2. Roman. 14. 11.

VII. συμπέρασμα.

Ex ἀνάτιῤῥήτοις itaque demonſtrationibus, euidentiſſimè concludimus, Sermonem illum, ſeu Dei filium ἀμίωτον, eſſe natura Deum: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

VIII. Πορίσματα.

Ex antedictis & demonſtratis colligimus, impiè, totóque cœlo erraſſe hæreticos iſtos (quorum ἑτεροδιδασκαλίαν, Piis omnibus fugiendam ducimus) profanos καὶ ἀθέους.

1. Arium, qui Sermonem finxit eſſe Creaturam, Patri ἑτερούσιον, cuius precaria eſſet θεότης: non æterna θεότης.

2. Eunomium qui λόγον Patri eſſe ἀνόμοιον mentitus eſt.

3. Sabellium qui Perſonam characteriſtica proprietate (quæ eſt naſci) à Patre & Spiritu ſancto diſtinctam eſſe, negauit: & τὸ ἓν τριώνυμον excogitauit.

4. Eutychen, qui confuſione proprietatum introducta, Deitatem ſibiipſi diſſimilem, commentus eſt.

5. Theopaſcitarum, qui etiam Deitatem paſſam, impiè aſſeuerant: cùm tamen illa ſit ἀπαθὴς: & Chriſtus in carne paſſus dicatur. 1. Pet. 4. 1.

6. Mahometanorum, qui Chriſtum in diuinorum hominum numerum referunt: & λόγον θεοφορικὸν καὶ εἰς ἀέρα χέόμενον, impiè blaterant: non agnoſcentes in eo θεότητα ἐνυπόστατον, &c.

7. Hebionitarum, qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον, Ioſephi & Mariæ filium: non autem verum Deum eſſe, nugantur.

Athanaſius.

Ite ad Iordanem, & Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum videbitis, Matth. 3.

D. E.

DE CONSOLATIONE ETHNICA ET CHRIstiana, Censura Theologica, in qua cur hæc multis nominibus illi sit anteponenda, causſæ exponuntur. De ea autem, auctore & præside IOAN. IACOBO *Grynæo, Facultatis Theologicæ Decano, in Basilienſis Academiæ Theologorum Scholis, die 19. Septembris respondit*

MATTHIAS TIMINVS OPPAVIENSIS.

AD

Nobiles Iuuenes, IOANNEM *&* ADAMVM GEIZCOFLER, *patrueles: & eorum propinquum* ERASMVM HORVVORTVM, *stemmatum & ingeniorum laude florentes.*

Isa. 51. 12.

Ego, ego (dicit Iehouah) ſum conſolator veſter: quæ es tu vt timeas ab homine qui morietur, & à filio hominis qui tanquam herba dabitur?

FAMILIARVM SPLENDORE, MAIORVM GLORIA ET INGENIORVM FELICITATE ORnatiſſimis Iuuenibus, IOANNI & ADAMO, GEIZCOFLERIS, patruelibus, & ERASMO HORVVORTO. S. P. D.

DElector, nobiliſſimi Iuuenes, candida Ciceronis ſententia: Omnes boni ſemper nobilitati fauemus, quia & Reipubl. vtile eſt, nobiles eſſe homines, dignos Maioribus ſuis: & quia valere debet apud nos ſenex clarorum hominum de Repub. meritorum memoria, etiam mortuorum.

Sed hoc toto pectore florentiſſimæ Nobilitati, quæ in hac Baſilienſi Academia & aliis benè conſtitutis virtutum & Doctrinarum Gymnaſiis verſatur, opto, vt σὺν θεῷ cum doctiſſimis Muſis honeſtiſſimas Charites: cum excellente doctrina, Virtutum & optimorum decus morum, coniungat: & eorum exempla heroica intueatur, qui Martis & Minervæ temperamento excellunt: & patriam non armis ſolùm propugnandã, ſed etiam legibus & diſciplinæ ſtudio & exemplo, ſibi ornandam eſſe, rectè iudicant.

Enimuerò, quum maiores veſtros, ſibi quaſi per manus traditam Ciuilis gubernationis lampada, in Aulis Imperatorum & Principum magnorum, geſtaſſe, intellexerim: eorum gloriam vobis, quaſi lumen quoddam eſſe, quod veſtra dicta & facta in obſcuro eſſe minimè patiatur, mihi perſuadeo: & eo quidem nomine, ſponte currentibus calcar additurus, vobis ſingulis etiam atque etiam commendo nobile dictum Chryſoſtomi, Præſtat vt de te parentes glorientur, quàm tute de parentibus.

Habetis autem, hac ætate inter cæteros φωσφόρους qui vobis exemplo ſuo præluceant, domeſticũ decus, Dn. ZACHARIAM *germanum* D. IOANNES *fratrem tuũ, quẽ à nobiliſſimo Volrado à Pleſſen, admonitus, ob eximium Ciuilis prudentiæ eruditæq; doctrinæ vſũ, ſuperiore anno ſimul & noſſe & admirari cœpi. Huius amabili exẽplo, vos quoque publicè & priuatim præclara illa veſtra ſtudia proſequi, & eorũ vrgere ſucceſſus: eo nomine valdè lætor, quòd ſentiã non paruam leuationẽ dolorũ (quos idẽtidem Eccleſiæ & Reipub. calamitates in corde meo excitant & exaſperant) ſi quãdo, ingenioſam Iuuentutẽ illuſtribus Dei donis, doctrinæ & virtutum gloria illuſtrari, & ad magnas munerum functiones diuinitùs inſtrui animaduerto. Donec enim id fieri videro, ſemper mihi cordi erit illud prouerbium: Adhuc Deus nos reſpicit.*

Proderit autem vobis plurimum, si vitæ & studiorum vestrorum ἔργον, Pietatem esse, persuasum habentes, omnia vestra studia ad Dei gloriam & publicam vtilitatem velut ad scopum direxeritis, memores grauissimæ sententiæ beati Hieronymi: Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes: hoc ita fit, quia vbi vera vita sit ignoramus. Bene valete. Ex Academia Basiliensi.

IOAN. IACOBVS GRYNAEVS.

DE CONSOLATIONE ETHNICA ET Christiana, disputationis Capita.

I.

PROPOSITVM nobis est, σὺν χριστῷ demonstrare, Ethnicas Consolationes, si cum nostris, è Christi Iesu doctrina petitis, conferantur, exigui pretij & vsus, atq; adeò vitreas esse, si plusquàm gemmeis Consolationibus Christianis opponantur. Faxit autem Paracletus ille, quem nobis quoque à Patre Christus Iesus Dominus noster mittit, Spiritus inquam ille veritatis, qui à Patre procedit (Ioan. 15.26.) vt non nisi vera & salutaria dicamus, & in hac sacra συζητήσει tueamur. Amen.

II.

Vt autem piæ & ingenioſæ Iuuentuti, de particulari Methodo, qua vt multa paucis indicare possemus, vsi sumus, initiò constet: Finitionem caussalem præmittemus, vt quid inter Ethnicam & Christianam Consolationem intersit, & cur hæc multis nominibus illi sit præferenda, manifestum fiat. Est enim id, quod ordine constat, pulcrum: vt censuit Augustinus: quia rectè diiudicari, minore negocio apprehendi, alta mente reponi, & facilè ad vsum transferri potest.

III.

Ethnica Consolatio est, ab homine profectum leuamen & ἀλεξιφάρμακον Animi humani, tristiciæ, metus aut alterius alicuius perturbationis nomine ægri: oratione accommodata se mouens à contemplatu mali: doloris leniendi & abstergendi caussa: vt ne turbulenter humana patiatur homo: quod tantum est, quantum in cuiusque Animo roboris est atque neruorum: vt diuersis in locis Cicero eruditè docuit.

IIII.

Consolationis Ethnicæ hæc sunt externa principia.

1. Efficiens princeps, Homo ψυχικὸς, id est animalis, qui quum non sit capax eorum quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2.14. non potest εὐθυμίαν, seu Animi tranquillitatem, & serenitatem, pulsa tristitiæ & dolorum tempestate caliginosa, suis θελκτηρίοις, reuocare. Etsi autem omnes, qui valent, recta consilia ægrotis dare posse, vulgò persuasum est: tamẽ de illis omnibus id dici potest, quod est in prouerbio: Aliorum medici, ipsi hulceribus scatent. Neque enim aliter valent, quàm quod suorum malorum sensu, breui temporis momento,

mento, minus afficiuntur. Quòd si Animalis homo seipsum consolando, non magis erigere potest, quàm in agone suo Cato Vticensis semetipsum erexit: quid, te quæso, idem alteri præstiterit?

2. Instrumentalis causa est oratio. Splendidè autem dicitur: ψυχῆς νοσούσης εἰσὶ ἰατροὶ λόγοι. *Ægroto animo medicus est oratio.* Item, λόγος γάρ ὅτι φάρμακον λύπης μόνος. *Dolori enim medetur una oratio.* Item, πρὸς μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς, χρεὼν ὄστιν ἰατροῦ. πρὸς δὲ τὴν ψυχὴν, φίλε. λύπαν γὰρ οὔτις οἶδε θεραπεύειν λόγος, vt Menander censuit.

Sed quæ tandem oratio, quæ carmina animum addere potuerunt Dario vltimo Persarum Monarchæ, quando post tantam rerum suarum inclinationem & mutationem, à Besso Bactrianorum Præfecto circumuentus, & nefariè interfectus est? Num illi solatio esse potuit elegans illa sententia Eutemonis Cymæi: *Ii optimè miserias ferunt, qui abscondunt: nec vlla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo, & status prioris obliuio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter lacrymæ inarescant?*

Animum exulceratum dolore oratio libera radit: intempestiuè faceta, quasi irridendo, offendit: lenis, parum afficit: lugubris, dolere quodammodo iubet: Atqui ab homine carnali, non aliæ orationis formæ adhiberi in luctu consueuerunt?

3. Finalis caussa est, vt dolor seu leniatur seu abstergatur: ne homo turbulenter humana patiatur. Atqui hominum tã rectè facta, quàm παθήματα & oppressiones, non tam ipsorum gloriæ seruire debent, quàm sanctificationi nominis eius, in quo sunt, viuunt & mouentur. Actor. 17. vers. 28. Equidem fateor robur Socratis, & tolerantiam & æquanimitatem Phocionis magna laude dignam esse, ac eos minus turbulenter tulisse aduersos casus & mortem, quàm Cicero, Alcibiades & alij quidam. Sed quum vltimus vitæ & mortis humanæ finis sit, Dei conditoris gloria: ac de eo neutris constiterit: certum est à morte nullum solidæ Consolationis argumentum ad eosdem rediisse.

V.

Eiusdem Consolationis Ethnicæ hæc principia interna sunt.

1. Materia. Scitè dictum est à Plauto: *Nil agit, qui diffidentem verbis consolatur suis.* Atqui ij, quibus opus est consolatione, vel inimici sunt, vel amici. Inimici si sint, non facilè suspicionem de ὑπαιρεσιαστικῇ, etiamsi byssinis vtare verbis, de pulmone reuellunt: eóque minus fidem habent Consolanti. At si amici sunt, non tam verba, quæ in lingua sæpè nasci non ignorant, quàm omnis generis humanitatis officia, solatio sibi fore testabuntur. Ac si hæc desiderent, parum illis, etiamsi Suadæ medullam adhibeas, afficientur.

2. Forma. Vt manifestum fiat quid de forma Consolationis Ethnicæ Philosophi senserint, adscribam Ciceronis verba, quæ extant Tuscul. Quæst. lib. 3. 64. *Hæc igitur sunt officia Consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quamplurimùm, aut supprimere, nec pati manare longius, aut ad aliam traducere. Sunt qui vnum officium Consolantis putent, malum illud omninò non esse, vt Cleanthi placet. sunt, qui non magnum malum, vt Peripatetici. sunt, qui abducunt à malis ad bona, vt Epicurus. sunt, qui satis putant ostendere, nil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere*

illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet, iusto atque debito. sunt etiam qui hæc omnia genera cõsolandi colligunt: alius enim alio modo mouetur, vt ferè nos omnia in consolationem vnam coniecimus: erat enim in tumore animus, & omnis in eo tenebatur curatio, &c.

VI.

Sed enim, vt totum hoc Argumentum illustretur, primùm, Stoicorum: deinde, Epicureorum: tertiò, Peripateticorum: postremò, si res postulabit, Academicorum Consolationes, quas verè dixeris esse ægritudinis & doloris humani malagmata qualiacunque, & σοφὰ φάρμακα, breuiter recensebimus. Si enim sententia principis Peripateticorum, ad Philosophiam recurrat necesse is habet, qui delectari vult sine tristitia: si etiam verè dixit Pythagoras, *Philosophiam animi vitijs mederi*: si denique Seneca teste, *Non est Philosophia populare artificium, sed gubernaculum quod per ancipitia fluctuantium dirigit cursum: hæc adhortabitur, vt Deum sequaris, feras casum*: quo certè plures sectæ philosophantium fuerunt, tantò plures consolationum formas ab ingeniosissimis hominibus excogitatas & traditas esse, probabile est.

VII.

Initium faciemus à Stoicis, qui malum omninò non esse, Mundo quasi is planè stupidus esset, persuadere conati sunt, quod quàm absurdum sit, nemo non videt.

Docendi autem gratia Stoicas Consolationes ad tria Capita, Opinionis, Fati, καὶ τῆς ἀπαθείας reuocabimus: & ostendemus, eorum nullum solidam in magnis malis consolationem subministrare.

1. Dolorem & ægritudinem Opinionem esse, quam facile sit vel admittere & ferre, vel discutere, Stoici docuerunt: quum tamen subiectis illa differant. Etenim dolor in neruis toto corpore sparsis, excitatur: ægritudo cor malè afficit, & thalamos cordis, contractis villis, constringit, vnde fit vt pauciores & minus generosi spiritus vitales gignantur: Opinio autem est in parte cognoscente.

Sed ex Cicerone adducamus Stoicas doloris Consolationes. *Dolor aut non est malum, aut etiam, si quicquid asperum alienúmque à natura sit, id appellari placeat malum: tantulum tamen est, vt à virtute ita obruatur, vt nusquam appareat.* Tusc.q.2.56. Item, *Dolor corporis, cuius est morsus acerrimus perfertur spe propositi boni.* Tusc.q.3.51.

Quem vsum hæc consolatio habeat, testatur exemplum Stoici illius, qui quum podagræ doloribus miserè discruciaretur, multis cum gemitibus & lacrymis identidem exclamauit: *Nil agis, dolor: nunquam te malum esse dixero.*

2. Fatum. Etsi rectè à Stoici dictum est, *fatum esse causſam æternam rerum, cur & ea quæ præterierunt, facta sint: & quæ instant, fiant: & quæ sequuntur, futura sint*: vt docuit Cicero de Diuin. libr. 1. 106: in eo tamen grauiter hallucinati sunt, ac consolationis bonæque spei multò maximam partem præciderunt, quòd ea lege fatum, ordinem, seriémque causſarum, quum causſa causſæ nexa rem ex se pariat, censuerunt, vt Deo, qui αὐτεξούσιος & liberrimum agens est, libertatem agendi eriperent, & eum Parcarum carcere clausum fingerẽt.

Feras, dicunt Stoici, *non culpes quod vitari non potest.* Adstipulatur in Phœ-

nissis

nissis Euripides: Δεῖ γάρ σε θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα φέρειν. Sed quid profuerit homini alieno à fide Christi, istud persuasum habere, consilio irati Dei, se infelicem & miserum esse? Immò verò quò minus noxam aliquam aut culpam agnoscet, tantò magis irascetur numini, tanquam tyranno in se præter meritum sæuienti.

3. De ἀπαθείᾳ seu ἀναλγησίᾳ Stoica, væcordis illius opinionis, quæ negat dolorem aut mortem malum esse, prole: quæ fuerit Ethnicorum saniorum sententia: hæc Ciceronis verba docent: *Humanum id quidem est (agnoscere quod in sapientem cadat ægritudo) quòd ita existimas: non enim silice nati sumus: sed est naturale in animis tenerum quiddam atque molle, quod ægritudine, quasi tempestate, quatiatur:* nec absurdè Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis: *Minimè, inquit, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant: quæ nec potest vlla esse, nec debet. Ne ægrotus sim, inquit: sed si fuerim, sensus adsit, siue secetur quid, siue auellatur à corpore: nam istud nihil dolere, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Tusc. quæst. 3. 10.

Rectius Diodorus, qui ἀπάθειαν cum honestate coniunxit. Tusc. q. 5. 62. *Rectissimè Plato, qui in Deum nos respicere & aduersos casus constanter & eleganter ferre & superare iubet, quum ait,* ἐξ ἀνάγκης φεύγωμεν τὰ κακά, ἆρ' οὐκ ὀρθὸν ἐκφυγεῖν ἄλλως ἢ τῷ θεῷ ὁμοιοῦσθαι τοιοῦτος, τῷ ἄπαθῆ γίνεσθαι, καὶ μὴ νικηθῆναι ὑπὸ τῶν ἐνθάδε φαύλων ἡδονῶν.

VIII.

Videamus iam secundo loco, quàm feliciter, vt afflictos consolarentur Epicurei, à malis ad bona eos reuocauerint.

Dolor, aiunt, in longinquitate leuis, in grauitate breuis solet esse, vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem alleuatio consoletur. De finibus bon. & malor. lib. 1. 13. Et lib. 2. 20. *Iam doloris medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant: Si grauis, breuis: si longus, leuis. V num nescio, quomodo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.*

Quid huic consolationi tribuendum sit ex hoc dialogo liquet qui extat, Tusc. q. lib. 2. 39. 40. *Si summus dolor est, breuem esse necesse est. A. Itera dum eadem ista mihi: non enim intelligo, quid summum dicas esse, quid breue. M. Summum quo nihil sit superius: breue, quo nihil breuius, contemno magnitudinem doloris, à qua me breuitas temporis vindicabit antè pænè, quàm venerit. sed si est tantus dolor, quàtus Philoctetæ, benè planè magnus mihi videtur, sed tamen nõ summus, nihil enim dolet, nisi pes: possunt oculi, potest caput, latera, pulmones: possunt omnia. longè igitur abest à summo dolore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet lætitiæ plus, quàm molestiæ. Nunc ego non possum tantùm hominem nihil sapere dicere, sed nos ab eo derideri puto. ego summum dolorem (summum autem dico, etiamsi decem atomis est maior alius) non continuò dico esse breuẽ: multósque possum bonos viros nominare, qui cõplures annos doloribus podagræ crucientur maximis sed homo cautus nunquã terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum, vt sciam quid summum dicat in dolore, quid breue in tempore.*

O præclaram Epicurei consolationem, dicentis: Si vratur sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicet: quàm suaue est hoc? quàm hoc non curo? Tusc. q. li. 2. 13. Et li. 5. 54. *Epicurus dicit nullum sapienti esse tempus, etsi vratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare: Quã pro nihilo puto?* Si ipsimet Ethnici saniores Epicuri consolationes flocci fecerunt, & ludis scenicis exagitauerunt: quid nobis Christianis iisdem deferendum sit, non potest esse obscurum.

IX.

Vt autem Peripateticorum Philosophia (inter cæteras) veritatis & Methodi nomine plurimum excelluit : sic eadem meliores Consolationum formas humano generi submministrauit. *Non solùm enim malum non magnum :* vt Cicero monuit:*sed etiam bonum magnum nobis considerandum esse prudenter ostendit.* Placet autem nobis Ciceronis censura Tusc. 4. 8. *Chrysippus & Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis: & definiendis occupati sunt: illa eorum perexigua oratio est, qua medeãtur animis nec eos turbulẽtos esse patiantur, Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt.*

Præclarè dixit Aristoteles: ἐν ταῖς δυσχερείαις λάμπει τὸ καλόν. Tamẽ per ipsas lucet ærumnas decus. Non autem lucet citra consolationem, cuius duo fontes sunt, Malum & Bonum: si inquam, rectè vtrumque æstimes.

Etsi paradoxum videri potest illud Diodori Siculi dictum: quod extat in 12. libro Bibliothecæ historicæ: δικαίως ἄν τις ἀποφήσειεν ὄφελος εἶναι τὸν γῆν τῇ κατὰ τὸν ἄνθρωπον βίον ἀνωμαλίᾳ. ὅτε γὰρ τὴν νομιζομένων ἀγαθῶν εὐδαιμονίαν ἐν ὁλόκληρον ἀπέρισκεται δεδομένων τοῖς ἀνθρώποις, ὅτε τῶν κακῶν αὐτοτελὲς ἄν τινὸς ἀχρηστίας : si tamen rectè consideretur, prudenter veréque prolatum esse, manifestum erit.

Aduersus mala, quæ hominum vitam infestare solent, hæc consolationum remedia, Peripatetici exhibuerunt.

1. Nullum esse in hac vtia malum summum & perpetuum, *quum* vt Theophrastus dixit: *breue vnicuique vitæ spacium concedatur : nullum autem malum vitæ spacium superet.*

2. Malis bona permista esse. *Vbi mel, ibi fel: vbi vber, ibi tuber.* Ideò Euripidis σύγκρασιν bonorum & malorum statuentis, sententia probatur.

3. E malis fructus non vulgares redire ad cordatos homines. Nam his τὰ παθήματα fieri μαθήματα.

4. Etsi detur vitam humanam plus aloes quàm mellis habere: non tamẽ multò minus illius amarore, quàm huius dulcedine opus esse.

5. Tristes euentus non rarò, per accidens, caussas esse boni quo alioquin carendum fuisset: & φρόνησιν aduersus mala, quæ alioquin subeunda fuissent.

6. Sortem humanam non esse defugiendam. Magna enim impatientia est, si ea ferre nolis, quæ alij tulerunt, qui te multò fuerunt meliores.

7. Virtutem multò magis facere ad nos erigendos & exhilarandos, quàm aduersi casus ad nos deiiciendos & perturbandos facere possint.

8. Rectè dictum à Biante: *Sola bona conscientia, caret in vita metu.* Vnde sequitur sæpius vulnus conscientiæ accendere & augere dolorem : quem tamen, metu tandem profligato, lenire possit bonæ conscientiæ studium, quod tranquillitatem animi reuocat.

9. Si etiam à malis abesse potest seruitus, minus acerba sunt. Abest autem cum animus sibi benè conscius est, Iuxta nobile dictum Periandri : *Sola bona conscientia, libertas est.*

10. Quòd si verè dixit Cicero, *Stultos malorum conscientia torqueri, sapientes autem bonorum præteritorum grata recordatione delectari : quis prudens dubitet, etiam in aduersis, oblectationm istam liberalẽ dolorẽ minuere & leuare?* 2. de Finib'.

11. Quòd si *nullum virtuti theatrum conscientia maius est*, vt idem eleganter 2. Tusc. docuit: quis dubitet, Sapienti, in mediis aduersis, virtutis conscientiã maiori solatio & voluptati esse: quàm vitiorum & scelerum & impunitatis conscientia & fiducia improbo esse possit, etiam in mediis delitiis?

12. Non esse malum impatientia conduplicandum. *Simplicem*, inquit Euripides, *dolorem quum liceat, non feras duplicem.* Rectè autem censuit Aristoteles, *alios commoueri magnis passionibus, alios paruis: quosdam nulla caussa eminente.* Non enim parum facit ad augendos minuendósve dolores, animus seu ἀνίνητος, qui facilè commouetur, seu constans καὶ τετράγωνος.

13. Minus etiam dolere debet malum, quod culpa sua sibi accersiuit homo: vt sunt multa ἀϋδιάφορα πάθη. Non sanè imprudenter inquit ille apud Euripidem: *Postquam, quæ honesta non sunt, patrare ausus es, patere & quæ non lubet.* In Hecuba.

14. Solatio autem est, quòd, vt ait Euripides, *Certamen patientiæ eiusmodi est, vt qui vincitur, ipso victore sit melior.*

15. Si cui Stoicum videtur illud Euripidis, τὰς τ' κρατόντων ἀμαθείας δεῖ φέρειν: vel illud Pythagoræ perpendat: *Magnam peritiam existimato, quòd ferre potes aliorum imperitiam.*

16. Quòd si, Apollodori apud Stobæum sententia *meliora semper sperandа sunt*, non est cur in aduersis planè despondeamus animos: quum *sola spes in miseriis hominem consolari soleat*, vt alicubi dixit Cicero Et noti sunt versus:

Spes etiam valida solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Vt tamen de omnibus illis consolationum, Peripatetici quas subministrant, formis nihil dicam: de postrema quid ipsemet Cicero aiat, obseruemus! *O fallacem hominem spem, fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones: quæ in medio spacio sæpè franguntur, & corruunt: & antè in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerint.* 3. de Orat.

X.

Academica autem Consolatio illa est, quam Plato in 10. de Repub. his verbis tradidit: *Lex dictat optimũ esse in aduersis, quàm maximè fieri potest, quietem agere, nec conqueri: quòd incertum sit, id quod accidit bonumne an malum? tum quòd nihil dolor ad sequentia conferat, nec vlla humanarum rerum magni pendenda sit, eique quòd subitò præsidio esse potest, dolor impedimento sit.* Et illa Senecæ: *Cauere fortunam potest, qui ferre potest.*

XI.

Sed omissis Ethnicis Consolationibus (de quibus, Philippus Melanchthon ille magnus pietate, doctrina & meritis vir breuiter: sed prudenter, in Examine suo Theologico egit) ad Christianas Consolationes, οὐν χριστῷ accedamus. Hæ enim docebunt, quid de illis sit nobis statuendum. Postulat enim instituti nostri ratio, vt ad Consolationes superiores & efficaciores accedamus: quibus hanc verè auream, &, si firmitatem spectes, adamantinam substernimus basim. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater, inquã, ille misericordiarũ: & Deus omnis consolationis auctor. Consolans nos in omni oppressione nostra, vt possimus in quauis oppressione positos consolari, ea ipsa consolatione qua nos ipsos Deus consolatur. *Nam sicut abundant perpessiones Christi in nobis: ita per Christum abundat etiam consolatio nostra* 2. Cor. 13. 4. 5.

Vt autem & de Christianæ Consolationis recta æstimatione, ac de huius

cauſſis conſtare poſsit, præmittimus noſtræ τῆς διεξόδου, hanc Demonſtrationem.

Si Conſolationum Chriſtianarum Auctor Deus eſt,& eius teſtes homines diuini:ſi in iis finium exquiſita & felix habetur ratio : ſi Materia omnis ritè perpenditur:ſi denique earum forma adeò eſt abſoluta, vt omnis generis doloribus,conuenientiſſima & certiſſima remedia ſubminiſtret & adhibeat: Tum verò extra omnem controuerſiam eſt, longiſſimè illas anteponendas eſſe Ethnicis & Philoſophicis Conſolationum formis:nam hæ in illis omnibus principiis plurimùm laborant & deficiunt: vt ex præcedentibus liquet.

Vera ſunt quæ præcedunt omnia.

Igitur vera ſunt & quæ ex iiſdem rectè ἐξ ἀκολούθου colliguntur.

XIII.

Iam verò,vt Aſſumtum confirmetur,de quatuor Conſolationum Chriſtianarum Principiis ordinè nobis agendum erit. Satis autem fuerit ſummarum faſtigia ſectari, & cætera piorum religioſis meditationibus expendenda relinquere.

Initium autem faciemus à Cauſsis externis Efficientibus & Finalibus: vt, quantopere earum recta æſtimatio, ad nos conſolandos faciat, manifeſtum fiat.

1. Αἴτιον κύριον Conſolationis noſtræ Deus eſt, *qui ideò Deus omnis conſolationis auctor celebratur*, 2.Corinth.1.3.Cæterum,quum Trinitatis opera ad extra indiuiſa ſint,non eſt cur mirum nobis videatur, quòd idem opus tribus Perſonis tribuitur. Spiritus tamen ſanctus ideò Παράκλητος, Conſolator vocatur,quia Filius eum à Patre mittit,vt nos tum doceat, tum conſoletur. Ioann.15. verſ.26. Iam verò, quum *omne munus bonum & omne donum perfectum,ſupernè deſcendat à Patre luminum*. Iac.1.ver.17.quis dubiter, Conſolationem,quæ illius donum eſt,bonam & perfectam eſſe:eóque nomine maximi nobis faciendam?Dulciſſimè igitur dixit Pſaltes : *In multitudine cogitationum mearum intra me,conſolationes tuæ exhilararunt animam meam*. Pſal.94.19.

2. Σωσάτηον eſt verbum Dei ſcriptum. Iuxta illud : *Etiam Teſtimonia tua oblectationes meæ ſunt,& viri conſilij mei*. Pſal.119.24.& verſu 50. *Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea:quia ſermo tuus viuificat me*.& 92.*Niſi lex tua fuiſſet delectationes meæ,tunc periiſſem in afflictione mea* 93. *In ſeculum non obliuiſcar mandatorum tuorum:quoniam per illa viuificaſti me*.

3. Σύνεργον eſt Miniſterium Verbi Dei & Sacramentorum,quod & inſtitutioni & conſolationi totius Eccleſiæ ſeruire debet.1.Cor.14.3. *Qui autem prophetat hominibus loquitur ædificationem & exhortationem & conſolationem*. Eſt autem ei qui puſillo eſt animo, magno ſolatio,ſi diuinitus quidem, ſed tamen homine,qui ὁμοιοπαθὴς eſt,internuncio, ſeſe erigi & in ſpem bonam vocari ſentiat.

4. Προγυμνὸν in Deo eſt, immenſa illius bonitas, & inenarrabilis erga homines amor. Iuxta dictum : *Sit quæſo clementia tua ad conſolandum me:ſecundum ſermonem tuum ad ſeruum tuum. Veniant mihi miſerationes tuæ, vt viuam:quia doctrina tua oblectationes meæ*, Pſal.119.76.77.

Προγυμνὸν autem Conſolationis, quæ à Miniſtris verbi, aut aliis fidelibus annun-

annunciatur, est caritas & commiseratio erga lugentes. Psal.41.1. *Beatus est qui prudenter iudicat de afflicto, nam in die calamitatis liberabit eum Iehouah.* Ro. 12.15. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* 1. Thess. 4.18. *Itaque consolamini alij alios huiusmodi sermonibus.*

5. Παρακλητικὴ est, lugentium asperrima sors, qua Deus verè afficitur: vt ita ἀνθρωποπαθῶς loquamur. Esa.12.1. *Confitebor tibi Iehouah, quoniam iratus fuisti contra me, auersus est furor tuus, & consolatus es me.* Vt miserrimi sunt, quibus irascitur Deus: sic feliciſſimi, quorum ipse miseretur, & quos Spiritu Consolatore erigit & exhilarat.

6. Finis ἓ cuius gratia Consolationis est, ne vnquam & vsquam desint dolorum & tristitię remedia tum prophylactica, tum depellentia malum. Inde autem nostra felicitas æstimari potest, quòd nihil eorum quibus nobis opus est, diuina benignitas nobis deesse vult.

Finis autem φ̃, cui, est tum proximus, videlicet vt piorum hominum dolores mitigati leuentur: *Fidelis enim Deus est, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus, sed præstat vnà cum tentatione etiam euasionem, vt possimus sufferre.* 1. Corinth. 10. versu 13. tum etiam vltimus, Dei nimirum nos consolantis, perennis laus: vt infinitis propè Psalmorum dictis, innuitur.

XIV.

Accedamus iam ad internas Causas, quæ sunt Materia & Forma.

1. Materia ex qua Consolatio Christiana peti debet, est doctrina diuinitus tradita, quæ vt docet etiam aduersa Piis adiumento esse ad bonum, ita dulcissimis testimoniis, de præsentia gratiæ Dei, de auxilio diuino, de liberatione ab omni malo: promissionibus etiam de iisdem, constat. Quod ergo de Bibliotheca Alexandrina, illius ὀπτογραφὴ, quæ fuit, ψυχῆς ἰατρεῖον, testata est: id multò verius & rectius dixerimus de doctrina Ecclesiæ diuinitus tradita, quæ certè omnium animæ ægritudinum optima habet remedia.

2. Subiectum est cor hominis, sed contritum & humiliatum. Ideò phrasi Hebræa, Loqui ad cor, idem est, quod consolatione cor exhilarare. Esai.40.vers.1.& 2. *Consolamini. Consolamini populum meum: loquimini ad cor Ierusalem.* Nisi enim consolatio, cor hominis afflicti suauiter afficiat & erigat, frustrà verba consolatoris, foris aures ferient. Tum demum autem cor afficietur, si prius contritionis malleo probè contusum, senserit medela sibi opus esse, eámque auidissimè desiderabit, sibíque diuino munere oblatam summa cum gratitudine amplectendam, censuerit.

3. Obiectum circa quod benedictio Consolationis Christi versatur, est Ecclesia lugens, & singuli etiam lugentes. Matth.5.ver.4. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipient.* 1. Thess. 5.14. *Consolamini eos, qui pusillo sunt animo, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes.*

XV.

Forma Christianæ Consolationis conspicitur in cordis, quod antea mœstum fuerat, hilarescere autem incipit, suaui motu, qui oritur ex recta bonorum malorúmque æstimatione: cuius fide digni testes sunt, foris quidem fideles Dei serui: intus autem ipse Spiritus Consolator: qui etiam hoc

præstat, vt fide & spe eidem assentientibus, oboriatur religiosum gaudium, propter optimi finis considerationem.

Hæc autem vt illustrentur ordine arbitrio agemus, primùm, de ἐπερώσει affectuum in corde hominis: secundò, de recta bonorum & malorum æstimatione: tertiò, de συσοιχειώσει Consolationis externæ & internæ: quartò, de Fidei in consolatione hominis, munere: quintò de Caritatis solatio: sextò, de Spei officio in re eadem : & de gaudio spei : septimò, de vltimo Consolationis Christianæ fine: postremò, de consolatione aduersus mortem.

XVI.

De miranda affectuum cordis humani varietate & successione, illud monere libet, inter multa alia quæ nobis à Deo petenda sunt, neutiquam postremum esse αἴτημα, ne nos tradat perturbationibus, tanquam violentis rapidísque gubernatoribus, illudendos & excarnificandos. Iuxta illud: *Etiam à superbijs contine seruum tuum, ne dominentur mihi: tunc ero integer, & immunis ero à scelere multo*, Psal. 19. 13.

Homo enim affectibus deditus, Chamæleontis instar est: nunc enim vana spe, nunc fallaci gaudio, delusus cornua sumit: nunc desperat, vbi benè sperãdum erat: dubitat, vbi firmiter credendum: irascitur, vbi nulla caussa est: non commouetur, quum Zelo est opus: denique quiescere non potest, donec excusso perturbationum iugo, Sp. S. se totum permittit, moderatione & æquanimitate delectatur, & discit illud Christi: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditatis iure terram possidebunt*. Matth. 5. 5. *& gloriatur in oppressionibus*. Rom. 5. 3.

XVII.

Sine recta autem rerum bonarum & malarum æstimatione, nulla potest esse vera & iucunda consolatio.

Quum autem de Christiana Consolatione agamus, errores infidelium de finibus bonorum & malorum, non attingemus: sed quot modis etiam pij hallucinentur: & quomodo recta rerum censura instituta seipsos consolari debeant & possint, indicabimus.

Sæpè etiam pij, bona pro malis habentes, deerrant: nõ satis perpendentes illud Apostoli Iacobi: *Pro summo gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis: illud scientes probationem fidei vestræ párere patientiam*. Iac. 1. 2. 3. Itaque Crucem, mortificationis nostræ Carnis exercitium: & nostram cum Christo, per aduersa, conformationem, in malorum album peperam referunt.

Hoc igitur constitutum pii habeant, aduersa θέοπεμπα, in quorum censu sunt δοκιμασίαι, μαρτύρια incommoda morborum, paupertatis, exilij: mortem denique primam & alia παθήματα, Deo benedicente, nobis conferre ad bonum. Roman. 8. 28. Non autem debet ἀπλῶς inter mala id referri, quod consilio Dei euenit, potenti eius brachio disponitur, bonitate terminatur, vt homini sit emolumento.

Non rarò etiam iidem mala pro bonis habent & expetunt, vt quum mũdi pacem & bona fallacia expetunt: Crucis & Fidei diuortium exoptant: ferulæ Dei manum subducunt : prius quàm certarint coronas accipere & triumphare cupiunt : pericula quæ veritatis professionem comitari solent,

ſolent, ſilentio: hominum Atheorum gratiam, Dei offenſione, redimunt.

Solatio autem, in hac tanta noſtra infirmitate, nobis eſſe debet, quòd errores noſtros Spiritus veritatis, emendat & corrigit: quòd mentes noſtras ſic illuminat, vt tandem bona & mala rectè dignoſcere, ſuo quæque loco habere, & ex aduerſis vtilitatem capere condiſcamus: non Carnis intelligentiam, ceu ducem cæcum ſequentes: ſed Spiritus intelligentiam conſiliarium habentes.

XVIII.

Plena autem ſolidæ conſolationis eſt illa internæ & externę Conſolationis συσοιχείωσις. Quod enim in ordinaria Conſolationis liturgia, foris Dei ſerui, ad conſolandos lugentes dicunt: id intus ſpiritus Paracletus, cordi annunciat, & arrhabone ſuo obſignat.

Quòd ſi maximè miniſter externus, pio homini ægritudine laboranti, deſit: vt ſæpè ſanctis Martyribus in carcerum ſqualore & numellis verſantibus, euenit: nunquam tamen illis deeſt ſanctus ille Paracletus, ſine cuius numine καὶ τῇ ὀπιχορηγίᾳ, nihil profuerit omnium hominum commiſeratio & ſolatium.

Vt enim dulcis eſt Animæ & Corporis humani cõiunctio: quando videlicet mutuas operas tradunt: & illa quidẽ huius ἐντελέχεια eſt, hoc verò pulcerrimum inſtrumentum omnium organicarum illius functionum. Statim autem atque anima à corpore diſceſſit, huius, quod in ſua Elementa paulò poſt reſoluitur, nullus vſus eſt, nullus vigor: Ita quũ Miniſter externus Spiritui ſancto inſeruit, magna eſt vtriuſque vtilitas: ſi tamen deſit illius opera, huius vis & gratia (à qua noſtra inſtauratio dependet) nobis abundè ſuffecerit ad ſalutem. Loquimur de ea miniſterij externi τῇ σεφήσει, quæ caret culpa noſtra: non enim patrocinamur Enthuſiaſtis, Verbi & Sacramentorum miniſterium faſtidientibus & contemnentibus.

XIX.

Quantum autem ad nos conſolatione erigendos, momentum habeat fides, docuit Apoſtolus noſter toto cap. 11. ad Hebræos. Oſtendit enim eximios Dei Seruos per fidem non tantùm multa præclarè egiſſe: ſed etiam ingentes afflictionum agones ſuperauiſſe, ac per eandem teſtimonium obtinuiſſe.

Quomodo autem nobis conſolandis fides ſeruiat, operæpretium fuerit ἀκριβέστερον oſtendere.

Intuetur fides Dei nõ naturam ſolùm, ſed etiam tum Verbum, tum facta: &, quid lugenti facto opus ſit, diſcit: ac ſubinde repetit ac præſcribit.

1. Dei naturam quoties perpendit fides, Conſolationem hanc ſuggerit, *Cur triſtis es anima, & cur tumultuaris? Deus tuus eſt miſericors & clemens Iehouah: tardus ira & multus bonitate. Non in perpetuum rixari ſolitus, nec in ſeculum iram cuſtodire: Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, &c. Sicut miſericors eſt Pater erga Filios, miſericors eſt Iehouah erga timentes ſe. Quia ipſe cognoſcit figmentum noſtrum, cognoſcit quòd puluis ſumus.* Pſal. 103. 8. & ſeq. Decretum Dei tui de te ſeruando non eſt παλινάγρετον: *Deus tuus non mutatur. Malac. 5. eſt omnipotens, eſt fidelis, proinde non patietur te tentari ſupra id quod ferre potes.* 1. Cor. 10. 13.

Iesus Christus Redemtor tuus, est verax, omnipotens, est tui, vt fratris & cohæredis amantissimus.

2. Verbum autem Domini quoties intuetur fides, acquiescit in dulcissimis promissionibus de mitigatione malorum, de liberatione ab omni malo: quia intelligit veracem esse Deum, nec quenquam fallere.

Itaque toti Ecclesiæ lugenti, fides hæc & similia inculcat. *Dixit autem Siõ, Dereliquit me Iehouah, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ita vt non misereatur filij vteri sui? etiam istæ obliuiscentur, sed ego non obliuiscar tui. Ecce in manibus descripsi te, muri tui coram me sunt semper &c.* Isa. 49.14. *& seq.*

Singulis autem fidelibus nunquam non occinit fides, huius generis promissiones diuinas: Non te deseram, neque te derelinquam. Adeò vt confidenti animo dicamus: *Dominus mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo.* Hebr. 13.5.6. Psal. 56.9. *Hoc noui, quòd Deus sit mecum, &c.* Psal. 55.22. *Proijce super Iehouam onus tuum, ipse prospiciet tibi: neque permittet vt in æternum agitetur iustus.*

Porrò quum *fides sit noticia, qua firmo assensu amplectimur totam doctrinam à Deo traditam Ecclesiæ, & in hac etiam promissionem reconciliationis*: vt beati Melanchthonis verbis vtar: ampliſſimam Consolationum materiam inde petit, vt ex sequentibus liquet.

3. Iam verò quid Deus inde vsque ab initio mundi egerit & etiam num agat, per fidem, ad nostram consolationem intelligimus.

Fide intelligimus & lætamur, Nos à Deo conditos, ab eo conseruari: ac sine eius propitio nutu ne pilum quidem de capitibus nostris fluere: illum solum nos humiliare & exaltare: percutere & sanare.

Fide intelligimus, missum esse in hunc mundum & nobis datum à Patre Iesum Christum, vt sit sapientia nobis, iusticia, sanctificatio & redemptio. Quum in Christo electi, vocati, iustificati simus, quum de plenitudine eius in nos redundent omnis generis spiritualia bona, nec ea nobis vnquam eripi possint: non est cur ob terrenorum bonorum iacturam, aut alias ærumnas, nimium afficiamur & contabescamus.

Fide intelligimus & gaudemus, nos à Spiritu Paracleto sanctificari, illuminari, regi & obsignari in diem redemtionis nostræ. Vnde copiosa Consolationis materia ad nos redit, quam piis æstimandam relinquo.

Fide assequimur Nostri ipsorum noticiam: quia per eam intelligimus Dei nouam Creaturam nos esse, in Ecclesiæ Electorum Contubernio nos versari, communione sanctorum nos gaudere.

Quot autem sunt nostrę instaurationis & in integrum restitutionis principia, totidem sunt & Consolationum loci. Hæc autem sunt illa principia, Præscientia, Electio, Vocatio, Iustificatio, Sanctificatio: de quibus singillatim ideò non agimus, ne nimium excrescat oratio.

Satis enim fuerit, illud ad consolationem nostram habere persuasum, in Christo nos præscitos, electos, vocatos, & iustificatos sanctificari, ad ęternam gloriam. Hæc omnia niti immutabili Dei decreto: *ac nihil esse quod nos possit separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Rom. 8.39. *neminem ouiculas è Christi pastoris manibus eripere posse.* Ioan. 10.

Vt autẽ fide assequimur, quid rerũ, salutis nostræ procurandæ gratia, Deus agat: Ita quoque non nisi per fidẽ, cætera Dei opera, assequimur. Iuxta illud:

Quis

Quis est sapiēs vt hæc obseruet, vt homines intelligant bonitates Iehouæ. Ps.107.43.

Per fidem intelligimus aduersa nobis constanter & eleganter ferenda, quia summo consilio Deus nos humiliat: vt deinde extollat: mortificat, vt viuificet: infames fieri in hoc mundo vult, vt gloria & honore coronet.

Per fidem, ad consolationem nostram intelligimus & statuimus, bonum nobis esse quando nos humiliat & castigat Dominus, vt discamus Iustificationes eius: & ,iis qui diligunt Deum, omnia simul conferre ad bonum. Rom.8.28.Psal.119.

Per fidem intelligimus, magis nos periclitari in secundis, propter carnis nostræ intemperiem: quàm in aduersis, quæ nobis materiam exercendæ modestię, diligentiæ in officio & aliarum virtutum subministrant: & qua ratione ex aduersis fructum percipere possimus, docent.

Per fidem, aliorum piorum exempla intuentes, discimus cum Elia dicere: *Non sumus meliores quàm Patres nostri: ac nobis quoque durandum in rebus asperis, statuimus:* vt in fine cap.11.ad Heb. Paulus prolixè ostendit.

Per fidem memoria grata repetimus, beneficia quibus à Deo affecti sumus: & imprimis Ecclesiæ & Sanctorum liberationes è maximis malis: vt in nobis confirmetur fiducia de nostri & aliorum piorum defensione & liberatione Ps.22.4. *Patres nostri in te sperauerunt, & liberasti eos.* Psal.23.5.6. *Paras in conspectu meo mensam coram hostibus meis: impinguas oleo caput meum. Vtique bonitas & beneficentia tua persequentur me omnibus diebus vitæ meæ, &c.*

Rectè Chrysostomus, *Bona*, inquit, *nobis à Deo concessa, magnam de futuris spem faciunt.*

4. Docet autem fides, quid homini lugenti facto sit opus: illud nimirum de quo Paulus, ait: *Gloriamur in oppressionibus, scientes quòd oppressio patientiam efficiat: Patientia verò experientiam: Experientia verò spem,* Rom.5.3.4.

Statuit enim fides oppressionem à Dei moderatissimo nutu pendere: & cum Iobo dicit: *Bonum suscipiemus à Deo, & malum non suscipiemus?* Iob.2.10. Scilicet æquum fuerit, quum ipsi sæpissimè Deum offendamus, tamen non nisi nos suauibus & gratis bonis, ab eodem instrui: nunquam autem ab illo nos castigari?

Patientiam efficiunt oppressiones, quando eius exercendæ materiam subministrant: alioquin *fructus Spiritus patientia est*, si efficientem caussam spectes, Galat.5.ver.22. *Cæterum patientia nobis omninò opus est, vt vbi voluntatem Dei præstiterimus, reportemus promissionem*, id est, bona à Deo promissa. Hebr.10.36.

Experientia autem, tum nostræ infirmitatis, tum diuinæ præsentiæ & auxilii, facit, vt in posterum quoque benè sperandum esse, nobis persuadeamus. Eximiæ autem consolationis fructum experientia nobis subministrat, quando nos conuincit vt fateri cogamur, Dei virtutem viuificam nostræ infirmitati subuenire & mederi: & sensum imbecillitatis nostræ, dulcissima virtutis Dei experientia, non modò mitigari: sed etiam ad Dei gloriam facere.

Nunquam autem non occinit fides homini oppresso, dulcissimum illud Iesu Christi Domini nostri dictum. *Eritis quidem exosi omnibus propter nomen meum: sed pilus capitis vestri non peribit. Per patientiam vestram possidete animas vestras.* Luc.21.18.19.

Ad Deum autem verè ἀληξίκακον & opitulatorem, ærumnoso homini

confugiendum esse, fides nũquam non ostendit, repetens huius generis dulcissima illius dicta: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me.* Psal. 50.15. Item, *Inuocat me, itaque respondebo ei, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* Psal. 91.15.

Quinetiam fides illud quoque docet, aduersorum, quæ sunt θεόπεμπτα, nomine, Deo nobis esse summas gratias habendas: Etenim, *quem diligit Dominus, castigat: & flagellat, quencunque filium recipit.* Hebr. 12.6. *Si quis affligitur vt Christianus, ne pudeſiat, imò glorificet Deum hac in parte. Itáque qui affliguntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas benefaciendo.* 1. Pet. 4.16.19. Discernit quidem fides μαρτύριον, de quo præcipuè Petrus loqui videtur, & δοκιμασίαν: sed tamen, vtriusque nomine, Deo gratias habendas esse, ostendit. Sentient autem pij lugentes, non mediocrem dolorum suorum leuationem, si suæ oppressionis (quæ non est ἀνὰ πνὸς δίκης) causſa, sibi quidem gratulandum, Deo autem habendam esse gratiam, seriò sibi persuaserint.

5. Est autem istud solenne fidei, easdem Consolationum sanctarum formas, repetere & inculcare homini. Caliginem enim mentibus nostris offundere solet, & veluti stuporem quẽdam inducere, varietas, magnitudo & diuturnitas malorum seu aduersorum: sic, vt non statim appareat, à Deo ea immissa, ab eodem determinari: non obfutura nobis, sed profutura: non fore perpetua. Ideò fides, vt ægritudinibus nostris medeatur, eadem Consolationum capita, velut malorum optima ἀντιφάρμακα, nobis inculcat, & familiaria reddit.

XX.

De Caritatis solatio, eádem breuitate agendum nobis erit.

1. *Si caritas Dei* (qua videlicet is nos prosequitur) *effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ro. 5.5. est certè cur etiã in mediis afflictionibus nos erigam⁹ & exhilaremus. *Si enim Deus pro nobis est, quis contra nos? Quis nos separabit à caritate Christi? num oppressio, num angustia, num persequutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius?* Roman. 8. 31.35. Deo si essemus exosi, tum verò mœrendi iustam haberemus causſam: *at quũ ille nos effecerit sibi gratos, in illo suo dilecto.* Ephes. 1. vers. 6. quid ni lætemur & exultemus?

2. Iam verò quum tanto nos honore dignetur Deus, vt se à nobis diligi velit, inde quoque consolationis materia nobis est petenda. Vox diuina ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Diligimus autem eum, tanquam clemẽtissimum Patrem, cuius inenarrabilis erga nos bonitas & amor est: ac dilectionis, qua nos Deum prosequi debemus, regula, in prima Decalogi tabula nobis præscripta est: ne eius ignorantia dolori nobis esset. Etsi autem nemo nostrum Legi plenè satisfacere potest, in hac vita: illud tamen solatio nobis esse debet, & quòd Christus Iesus nostra causſa legem adimpleuit, & quòd obedientia, quam secundum legis canonem præluceute fide vtcunque præstamus, Deo Patri propter Christum Iesum placet: nec nõbis imputatur imperfectio & infirmitas nostra.

3. Porrò, quum perfectionis vinculo, quod est caritas, viua Ecclesiæ membra, Spiritus Christi iungat: annon magnum hoc est consolationis argumentum?

mentum? Vult nos Christus, à mundo segregatos, in vnum corpus coalescere, ab eodem Spiritu viuificari: vult mutuam esse συμπάθειαν καὶ φιλοστοργίαν inter nos omnes: ac huius nostræ consociationis Sacramenta esse voluit Baptismum & Eucharistiam. Ne ergo, tanquam auulsi ab Ecclesiæ corpore, mœrore contabescamus: sed potius, ad consolationem nostram, officia caritatis proximis nostris, maximè tamen fidei domesticis, iuxta secundæ tabulæ Decalogi Canonem, declaremus. Mutuum enim καὶ ἀντίστροφον si fuerit hoc studium caritatis, tum & ipsi aliis, & alij nobis solatio erunt.

XXI.

De Spei, quum æger animus subleuandus est, officio, hæc annotanda videntur. *Si spe gaudendum est, & in afflictione tolerantia probanda.* Rom. 12. ver. 12. consolationi nostræ, quæ non potest gaudii expers esse, spem constantissimam seruire, necesse est.

Spe itaque expectamus mitigationem malorum, & liberationem denique ab omni malo, secundum consilium & promissionem diuinam.

Spe carnis resurrectionem expectãtes, seu lentam, seu subitam corporum nostrorum resolutionem & destructionem, superamus, Christi promissione & virtute freti.

Spe præstolamur Vitam æternam, & gloriam de qua eius auctor Iesus Christus dixit: *Tunc iusti fulgebunt vt Sol, in regno Patris sui*, Matth. 13. 43.

Spe denique seruati sumus, Rom. 8. 12. Quod enim in nobis ad plenam instaurationem complendum esse credimus, id ad consolationem nostram patienter expectamus. Rectè enim Augustinus, *Spei certitudine*, ait, *futura, tanquam iam facta cognoscimus.*

Porrò, quando humanum auxilium nos frustrari, aut συκίνην βοήθειαν esse, experimur, illud Ambrosij in Hexamero, repetamus ad consolationem nostram: *De diuina misericordia amplius sperandum est, quum humana præsidia deficiunt.*

Dignum autem est memoria etiam illud Bernardi dictum, plenum consolationis: Tria considero in quibus tota spes mea consistit, caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.

Vt autem hæc spes amoris comes est, & eadem sine fide esse non potest, vt rectè Augustinus pronunciauit: *sic spes futurorum bonorum, præsentem fortunam lenit*: vt Chrysostomus pronunciauit.

XXII.

Superest vt de vltimo Christianæ consolationis fine agamus. Est autem is in eo positus, vt Deo, quo subnixa spes sua periodo defungitur, debitus honos tribuatur.

Vt Cursores, spe brabei excitati, à carceribus ad metam concitatissimo feruntur cursu, nec morantur ludicra spectacula: Sic Christi militem, per stadium spei, ad palmam supernæ vocationis contendere, nec vsquam respectare ad latera & consistere, oportet.

Solent eidem, si quidem Miles ille id fieri permittat, remoras iniicere, tum fucata bona, & voluptatum Sirenes, tum μορμολύκεια rerum aduersarium, infamia, egestas, fames, morbi & multa alia: quæ tolerando vincenda sunt, animo primum in Deum, deinde in bona sperata defixo &

intento.

Libet autem Q.S.F.Tertulliani verba hoc loco,ex libro ad Martyres petita,adscribere,vt ex iis Consolationis argumenta peti possint.

Vocati sumus ad Militiam Dei viui,iam tunc, quum in sacramenti verba respondimus.Nemo miles ad bellum cum delitijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit,sed de papilionibus expeditus & substrictus,vbi omnis duritia,& inbonitas,& insuauitas constitit. Etiã in pace labor est. Et incommodis bellum pati iam ediscunt, in armis deambulando,campum decurrendo,fossam moliendo, testudinem desiccando.Sudore omnia constant,ne corpora atque animi expauescant. De vmbra ad Solem,de Sole ad gelu, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem,de quiete ad tumultum.Proinde vos benedicti,quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate.Bonum agonem subituri estis,in quo Agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus sanctus: corona æternitatis: brabeum angelicæ substantiæ politia in cœlis,gloria in secula seculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus,qui vos Spiritu vnxit, & ad scamna produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis,&c.

Quomodo nostræ consolationi hæc Tertulliani verba seruiant, colligere licet ex collatione cum Dicto Pauli: *Decerta præclarum certamen fidei: apprehende vitam æternam,cuius caussa & vocatus es,& professus præclaram professionem coram multis testibus*,1.Tim.6.12.

XXIII.

Coronidis vice,addemus Consolationum aduersus Mortem,Ethnicarum & Christianarum collationem.

Etenim extra controuersiam est, eas demum Consolationes efficacissimas & præstantissimas esse,quæ si vitæ optio detur,(sed annexa conditione impia & inhonesta) tamen sic animum hominis confirmant vt mortem coram mũdo ignominiosissimam & acerbissimam, vitæ meritò anteponat suæ.

Atqui Christianæ Consolationes hoc præstant:quod nullæ Philosophicę Consolationes (hominibus inquam sanis,& non laborantibus, vel fanatico œstro,vt Donatistę,seipsos pręcipites ex alto dantes:vel κενοδοξίᾳ, qualis fuit in eo de quo Poëta dixit:

-Deúsque videri
Dum cupit Empedocles,ardentem frigidus Aethnam
Insilijt.) persuadere vnquam potuerunt.

*Testatur Iustinus Martyr,hanc fuisse conuersionis suæ ad Christum occasionem: quòd sæpius ob fidem Christi,Alexandriæ duci videret,nobiles, ignobiles,pauperes, diuites, doctos,idiotas,iuuenes,virgines,matronas,senes,quibus vitæ,honorum&opum optio dabatur,modò parati essent à Christianismo ad Paganismum transire,& Christo Iesu nuncium mittere.*Sic enim vir ille,Platonicæ philosophiæ ea ætate ἐργοδιώκτης,ratiocinabatur:*Quũ philosophia Platonis consolationes aduersus Mortẽ solidas nõ suggerat:nemo nostrũ eius caussa mori facilè sustineat. At Christiani isti,doctrinam quam profitentur,vitæ anteponunt suæ.Consentaneum itaque est, illorum doctrinam, certissima & præsentissima aduersus Mortis (quæ alioquin παντων φοβερώτατον est,vt dixit Aristoteles) horrorem,ἀνπφάρμακα habere.*

Inter alias autem formas Ethnicarum, aduersus Mortis metum, Consolationum,hæ,quas subiungimus,neutiquam postremæ sunt.

1. Pythagoræ hoc symbolum fuit,de fatali die: *Ad finem vbi peueneris, ne velis reuerti.*Eleganter quidem Seneca, Pythagoræ subscribens, *Magna*

ait, *ars est, & diu discenda, benè mori: & quum ineuitabilis hora mortis aduenerit, animo æquo hinc abire.* Sed quum naturale sit vitę desiderium, anne magno solatio morituro hoc erit si cogitet: Stare sibi suam diem, & omninò sibi velit nolit moriendum?

2. Platonis hæc sententia est: *In morte amicorum quiescendum, partim eò quòd nondum liqueret, bonum esset an malum quod accidisset: partim, quòd acerbè ferenti nihil esset à luctu commodi.* Egregia verò consolatio hęc est, quam si tibi accommodare satagas, teipsum potius irrideas Sardonio risu, quam erigas & consoleris aduersus Mortem?

3. Dicebat Thales Milesius, referente Diogene Laertio, *Inter vitam & mortem nihil interesse, ob id quod vtraque esset secundum naturam nec mortem malum esse magis quàm vitam.* Atqui mors destructio quædam est nobilissimæ naturæ: vita autem eiusdem conseruatio, & singularis Dei benedictio est. Nec sanè Thales, dicenti: *Cur ergo non moreris potius, quàm viuis?* satisfecit, illa sua responsione sophistica: *Ob hoc ipsum, quod nihil interest: id autem quod potius est, præferendum & accersendum est.*

4. Senecæ hæc Consolatio, inter alias, est, ducta à comparatione prudentum & imprudentum, puerorum & adultorum. *Quoniam infantes ac pueri, ac mente lapsi mortem non timent, turpissimum est, eam securitatem rationem nobis non præbere, ad quam stultitia perducit?* Quasi verò, quo quisque rectius quid vita sit intelligit, eo minus eius retinendæ & conseruandæ desiderio afficiatur.

5. Iam si Philosophia Ethnica, aduersus Mortem non meliora remedia subministrat, quàm aduersus luctum, qui defunctorum caussa oboritur, quis sanus in eius θελκτηρίοις & consolationibus acquiescat? *Arsinoen Reginam in luctu maximo versantem, hac fabella consolatus est quidam Philosophus: Quum ad rerum partitionem inter dæmones, à Ioue institutam, serius veniisset Luctus: assignatus illi est honos qui impendi consueuit vita functis, lacrymæ videlicet & mœror. Vt autem cæteri dæmones suos cultores amant, sic Luctus quoque nunquam non ijs adest, qui lacrymis & gemitibus eum venerantur. Itaque, Regina, si pergas lamentationibus & mœrore Luctum colere, nunquam non lugendi caussam subministrabit.*

Ergo, sententia istius Philosophi, & mors & luctus, nullo habendi erunt loco: scilicet, vt ne nobis consolatio desit ἀνελεήμονες ἢ ἀπαθεῖς erimus?

6. Anaxagoras Clazomenius, vt eadem fidelia dealbaret parietes duos, & exilii tædium & mortis metum eximendo, ei, cui dolebat quod in peregrino solo, non in patria moriendum esset: *Bono animo es*, inquit, *idem enim vndelibet ad inferos est descensus.* Scilicet, quia *facilis descensus Auerni est*, ideò mors non extimescenda est?

7. *Cato*, apud Ciceronem in Dialogo de Senectute: *Mortem æquo animo ferendam censet, primùm quòd omni ætati sit communis: deinde, quòd secundum naturam sit, Senibus præcipuè, emori: tertiò, quòd adolescentibus acerba, Senibus matura sit mors: quartò, quòd non sit lugenda mors, quam immortalitas consequitur: quintò, quòd moriendi sensus ad exiguum tempus duret: sextò, quòd si Anima humana diuidi non possit, ne interire quoque possit, vt & Plato censuit: septimò, quòd nihil tam morti simile, quàm somnus: quo sopitorum animi maximè declarant diuinitatem.*

De his Consolationibus & aliis, quas omisimus consultò: quid sit statuendum, vel ex eo vno satis euidenter colligi potest, quod Cato, de præcipuo Consolationis capite, ex Platonis sententia, ab animæ im-

mortalitate ducto, se ἐπέχειν, (nullam autem veram consolationem esse, de qua quis ambigit, certissimum est) his verbis Cyri morientis ad filios, repetitis, testatur: *Quare si hæc ita sint, sic me colite, vt Deum: sin vnà interiturus est animus cum corpore, vos tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulcritudinem tuẽtur & regunt, memoriam nostri piè inuiolatéque seruabitis.* Fortiter quidem paulo pòst Cato: *Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur: stultissimus, iniquissimo*: sed quomodo id cum Senecæ dicto, cuius suprà meminimus, conciliari possit, & quomodo vniuersali experientiæ respondeat, ipse viderit. Quàm autem misera Catonis Consolatio est, quam in fine attexuit: *Quòd si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore, optabile est. Nam habet natura, vt aliarum omnium rerum, sic viuendi modum.* Hæc & alia eiusdem farinæ, Dialogus ille habet.

8. *Socrati morituro Xenophon hæc solatio fuisse scribit, primùm, quòd septuagenarius quum esset,* τὸ μὴν ἀχθεινότατον τῆς βίου, καὶ ἐν ᾧ πάντες τὴν διάνοιαν μειοῦνται, ἀπολέιπειν: αὐτὸ ὃ τοῦτο τῆς ψυχῆς ῥώμῃ ὑπερεξάμηνος, δι' ἡλικίαν πεφευκτήσατο: deinde, quòd *per omnem vitã, nihil aliud egisset,* διασκοπῶν μὴν τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα, πράττων δὲ τὰ δίκαια, καὶ τῶν ἀδίκων ἀπεχόμενος, *quam iudicaret* καλλίστην μελέτην τῆς ἀπολογίας esse: *tertiò, quòd iudicaret Deo iam videri melius vt moreretur: quum optimè suauissimèque hactenus vixisset*: addidit autem pulcerrimam sententiam: *Optimè viuit, qui hoc vnum studio habet, vt optimus fiat. Suauissimè autem viuit, qui se meliorem fieri sentit: quartò, quòd si maximè diutius viueret, senectutis incommoda perpeti cogeretur, sensuum vigore destitutus, & minus ad discendum paratus, nimirum* δυσμαθέστερος καὶ βραδυπορώτερος *factus: quintò, quòd sibi benè conscius, iudicium Posteritatis de se quidem melius, de interfectoribus autem suis deterius fore, præuideret.* Commemorabilis autem illius vox fuit: *Scio de me atte*stat*uros esse etiam hostes meos, primùm, quòd in neminem vnquam fuerim iniurius: deinde, quòd neminem deteriorem doctrina aut exemplo vitæ meæ reddiderim: postremò, quod Auditores meliores & doctiores reddiderim: sextò, quia sit cupidus colloquiorum sapientum virorum, Nestoris, Palamedis & aliorum, à quibus discere possit ea quæ ignoret, his inquam, de caussis, sese mori paratum esse, ait.*

Poterant hoc loco congeri multa tum dicta Philosophorum de contemnenda Morte, tum exempla eorum, qui placidè & ἑκουσίως mortui sunt, vt Phocionis & similium: verum illis, quæ adduximus contenti: ad Christianas Consolationes aduersus Mortem, nos accingamus.

XXIIII.

Syluulam Consolationum Christianarum, aduersus morrem hoc loco, διὰ βραχέων, subiungamus. Mortem homines fideles magno animo, cum tempus est, sustinere debemus propter has causssas.

1. *Quia non nobis seu viuimus seu morimur, sed Domino.* Rom. 14. 8.
2. *Quia Christus nobis & in vita & in morte lucrum est,* Philip. 1. 12.
3. *Quia Christus nobis est resurrectio & vita: & qui credunt in eum etiam si mortui fuerint, viuent,* Ioan. 11. 25.
4. Quia mortis dolores Deus mitigat & abbreuiat Seruis suis.
5. *Quia mors nostra in somnum conuersa, complementum est mortificationis carnis nostræ: & qui mortuus est, à peccato liber est,* Rom. 6. 7.
6. *Quia scimus, nos si terrestris huius nostræ domus tabernaculum dissolutum fuerit, ædificationem ex Deo habituros, domicilium videlicet, non manufactum, æternum in cœlis,* 2. Cor. 5. 1.

7. *Quia*

7. *Quia piè morientes migramus ad Christum, id quod nobis longè optimum est*, Philip.1.23.

8. Quia hæc vniuersæ carnis via, Christi morte sanctificata est.

9. Quia si vnquam aliàs in huius vitæ ærumnis sustinendis, maximè tamen in mortis agone, efficacia consolationis, quam suggerit Christi Spiritus, inæstimabiliter vincit dolores mortis.

10. *Quia caro quidem infirma est, Spiritus autem promtus*, Matth.26.41. Itaque non totus homo mortem extimescit maximè, sed inferior eius pars, videlicet Caro.

11. Quia desiderium clari conspectus Dei, & liberationis à toto peccato, metum & dolorem valdè minuit & mitigat.

12. Quia non minor esse debet in nobis amor erga fideles, qui morte superata, nos præcesserunt, sic vt iis iungi cupiamus in patria: quàm esse possit erga eos, quos superstites, in tristi hoc exilio relinquimus, ne videlicet seiungamur ab iis, qui nos paulo pòst secuturi sunt.

13. Quia Dei misericordiam erga paruulos nostros morientes, tam euidenter & toties animaduertimus, animo præsenti nos esse decet, præsertim quum Spiritus sancti arrhabone nos obsignatos esse, sciamus.

14. Quia non maioris nobis facienda est vita animalis, quàm Spiritualis: vt huius desiderium mortis metum minuere deceat.

15. *Quia certò scimus Animam quidem immortalem esse, & ad conuentum & concionem primogenitorum, qui sunt in cœlis conscripti, ab Angelis traduci*, Luc.16. 22.Hebr.12.23. Corpus autem in terra quiescere: nec sanè ineleganter quidam, sepulcrum Corporis portum, vocauit.

16. Quia credimus Carnis resurrectionem & Vitam æternam.

17. Quia vt in tota vita, sic in mortis agone, *Deus seruos suos supra id quod possunt ferre, tentari non sinit: sed præstat cum tentatione etiam euasionem*, 1. Corint. 10.13. Mirum sanè illud est, quod in Moralibus *Gregorius dixit, Ridendo quosdam mortis negocium exequi. Nos fortiter sustinendo id superari, dicere malumus.*

18. Quia non tam de morte placida solicitè cogitandum, quàm de vita sancta. Etenim, vt præclarè dixit Augustinus, *Non mala mors putanda est, quam bona vita præcesserit.* Et, vt idem dixit: *Non potest malè mori, qui benè vixerit: & vix benè moritur, qui malè vixerit.*

19. *Quia mors planè immatura nunquam est, siue probos, siue improbos spectes. Illi enim vocantur ante tempus, ne diutius vexentur à malis: mali verò & impij tolluntur, ne diutius bonos persequantur*: vt idem Augustinus dixit.

20. *Quia tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione sui, mors remedium putetur esse, non pœna*: vt censuit Ambrosius.

21. *Quia mori timet* (extremè videlicet) *qui non sperat viuere pòst mortem*: vt Chrysostomus dixit.

22. *Quia præstat Deo offerre pro munere, quod pro debito alioquin tenemur reddere, videlicet Spiritum nostrum*: vt Chrysostomus dixit.

23. Quia vt malis mala mors est, sic bona bonis, quibus omnia adiumento sunt ad bonum.

24. *Quia mors vitæ via est*, vt scitè dixit Ambrosius.

25. *Quia Mors hæc reparatio vitæ est*, vt canit Ecclesia.

26. Quia, vt Bernardus dixit, *Mors iusti est bona propter requiem: melior propter nouitatem: optima, propter securitatem. Et*, vt idem dixit, *Mors peccatorum mala, peior, pessima: sed bonorum mors bona, melior, optima.*

27. *Quia mors bona, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius*: sententia eiusdem Bernardi.

28. Quia, eodem teste, *mors à morte, vita ab errore, à peccato gratia nos liberauit.*

29. *Quia mors nomen tantum fidelibus est*: vt dixit Chrysostomus.

30. Quia mortem Deus moderatur, ne nobis mali vllius causſa sit.

XXV.

Deo itaque Cõsolationis veræ auctori, gratias toto pectore agentes, concludimus, Consolationes Christianas efficacia, vsu & dignitate, aliisque modis omnibus, Ethnicis longè esse præstantiores, id quod docendum & demonstrandum nobis erat.

Vtinam verò, hac de Consolatione τῇ σκιαγραφίᾳ nostra, doctissimi Theologi & Pastores Ecclesiarum, admoniti, pulcerrimum hoc argumentum, ad Ecclesiæ vtilitatem & Dei laudem, sapienter & copiosè tractent, & nobis exhibeant. Basileæ Anno 1583. Nonis Septembris.

Quid cupidi vitæ seros inhiamus in annos?
Est vitæ virtus maxima posse mori.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

DE FINE EVANGELICÆ HISTORIÆ, de Iesu Christo Domino nostro, Capita quædam, de quibus ad 10. Octobris diem, sacra & publica συζήτησις, in Basilienſis Academiæ Theologica Schola, instituta est: auctore

IOAN. IACOBO GRYNAO, *respondente*

AMOSO AMANDO POLANO, SILESIO.

AD

Verè Nobilem Iuuenem, SIGISMVNDVM A MARVVITZ, *Neomarchicum stemmatis, virtute & ingenio excellentem.*

Lactantius,

Difficilis est ignorantibus veritas, & facilis scientibus.

NOBILISSIMO IVVENI, DN. SIGISMVNDO A MARVVITZ, INGENII ET VIRTVTVM NOmine optatissimo hospiti suo, S. D.

SI CHRISTVS *semper nobis omnibus est meditandus: vt præclarè dixit Hieronymus, cui tandem pio & intelligenti mirum videri possit, quòd, te, successus in laudatissimo Iuris Ciuilis studio gnauiter & feliciter vrgentem, non modò in priuatis nostris colloquijs, sed etiam hac illustri de Historia Euangelica disputatione hortor, vt cum præclarà illa Iuris scientia, doctrinæ cœlestis, quæ non nisi è Scriptis Prophetarum & Apostolorum petenda est, solidam cognitionẽ, & pietatis ac virtutum exercitia, coniungere σὺν Θεῷ pergas? Intelligis enim pietatis professionem communem esse omnibus omnium ordinum & ætatum hominibus Christianis: eám-*

nis: eámque non in nuda diuinæ voluntatis contemplatione & cognitione, ſed etiam in perpetuo obedientiam Deo præſtandi exercitio, eſſe poſitam. Intelligis & illud, nobilitatis, veſtri, inquam, ordinis proprium eſſe munus, ad laudem Dei, qui vos præ hominum vulgo eminere vult, ſtudij gloriæ Dei, pietatis & virtutum, quaſi quandam lampada, aliis præferre: Deíque conſilio in gubernatione Ciuili conſtanter inſeruire. Quod reliquum eſt, toto pectore, Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, oro, vt is, per omnem tuam vitam Spiritu ſuo ſancto te regat, ab omni malo cuſtodiat, & præſtet, vt ſuo tempore, Academica periodo functus, pietate, virtute & doctrina florens, in dulciſſimam laudatiſſimámque tuam Patriam reuerſus, heroico Patri tuo magnæ ſis voluptati, ornamento toti familiæ tuæ, & vſui præcipuo Reipub. Vale, & diſce Ieſum Chriſtum, voluptatum Sirenibus, aduerſorum ſpectris, & toti anteponere mundo. Ex Baſilienſi Academia, Calend. Octobris, 1583.

IOH. IACOBVS GRYNAEVS,
S. Theologiæ Profeſſor.

DE EVANGELICA HISTORIA.

I.

HERT animus, ad Dei laudem & noſtram inſtitutionem demonſtrare, ſanctos Euangeliſtas noui Fœderis, Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem, non ſolùm in tota Hiſtoria de Domini Ieſu, quem oſtendunt eſſe Chriſtum illum, Dei viuentis filium (Matthæi 16, 16.) piè συμφωνεῖν, ſeu conſentire: ſed etiam euincere, ab eodem impleta eſſe omnia veteris Teſtamenti vaticinia, de exhibitione Meſſiæ, ſeminis, inquam, benedicti, quod contriturum erat Serpentis caput, & in quo benedicendæ erant omnes Gentes terræ (Gen. 3. 15. & 22. 18.) ac cum Prophetis eos conſtanter συναληθεύειν.

II.

Sit autem noſtræ Diſputationis adamantina & aurea baſis, hæc Scripturæ θεοπνευστία: Et ſine controuerſia magnum eſt pietatis myſterium: Deus conſpicuus factus eſt in Carne: iuſtificatus eſt in Spiritu: conſpectus eſt ab Angelis: prædicatus eſt Gentibus, fides illi habita eſt in Mundo: ſurſum receptus eſt in gloriam, 1. Tim. 3. 16.

III.

Ex hac Euangelicæ hiſtorię ſumma, Demonſtrationem κατασκευαστικὴν, hoc modo exſtruimus:

Si ſacri illi Euangeliographi, hoc vnum agunt, vt oſtendant, hunc Ieſum, Mariæ Virginis filium, eſſe Chriſtum, Patribus à Deo promiſſum, ſuóque tempore exhibitum, vt eſſet auctor gratiæ & veritatis: Ioan. 1. 17. & Mediator noui Fœderis, vt morte intercedente ad redemtionem earum præuaricationum, quæ fuerant ſub priore Teſtamento, vocati promiſſionem acciperent æternæ hæreditatis. Heb. 9. 15. Tum ſequitur dulciſſimam eſſe, de tota veritate, (quæ lucet & in Prophetiis, de exhibendo Meſsia, & in hiſtoria de eodem iam exhibito, déque eius beneficiis) Prophetarum & Euangeliſtarum παναρμονίαν, ſeu conſenſionem: quæ ſanè fidei noſtræ certitudini plurimum conducit.

Vera ſunt omnia illa quæ antecedunt.
Vera igitur ſunt,& quæ ex illis ſequuntur.

IIII.

Iam verò,quum in Aſſumti tam confirmatione,quàm declaratione,cardo inſtitutæ Diſputationis vertatur,Apoſtoli noſtri Methodum,diligenter obſeruabimus & capita hiſtoriæ de Ieſu Chriſto tractabimus:non interim immemores venuſtiſſimi Apophthegmatis Bernardi: Prudentia vera in Chriſti doctrina:iuſticia in Chriſti miſericordia:temperantia in Chriſti vita,fortitudo in eiuſdem paſſione,reperiuntur.

V.

Initiò agit Apoſtolus de Perſona & de exhibitione Meſsiæ, quum ait: Deus conſpicuus factus eſt in carne. Deum vocat λόγον ὑφισάμενον, qui eſt ſecunda perſona trinitatis, Filius Dei ἀυτόπαρ, æterno Patri & Spiritui ſancto coëſſentialis & coæternus: Carnem autem nuncupat integram humanam naturam,quę anima rationali & corpore organico conſtat. Conſpicuum factum ait,quando hic Iehouah,cuius facies videri non poteſt (Exodi 33. 23.) quum lucem inacceſſam habitans,à nemine viſus ſit:aut videri poſsit (1. Ti. 6.16.) aſſumſit humanam naturam in perſonæ perpetuam vnionem. Iuxta illud:Sermo ille caro factus eſt,& commoratus eſt inter nos(& ſpectauimus gloriam eius,gloriam inquam vt vnigeniti, egreſſi à Patre) plenus gratiæ ac veritatis,Ioan.1.14.

Iſaias,cui omnes Prophetæ aſſentiuntur, prophetauit de Meſſiæ perſona, & natiuitate: Dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce virgo erit prægnans, & pariens filium:& vocabit nomen eius Immanuel,cap.7.14.

Euangeliſtæ magno conſenſu teſtantur, iſtud vaticinium adimpletum eſſe in Ieſu,Mariæ virginis filio,Mat.1.23.Luc.1.&c.

Quare hic Ieſus θεάνθρωπος,Meſsias eſt. Cæterum veritatem naturæ humanæ in Chriſto,demonſtrant Euangeliſtæ,argumentis ductis ab eius Natiuitate:Educatione:Profectu quòd attinet ſtaturam, gratiam, & ſapientiam: à totius vitæ habitu:à Morte & Sepultura denique illius,ductis.

VI.

Secundò de eiuſdem Deitatis euidentiſſima demonſtratione, ita pronũciat:Et iuſtificatus eſt in Spiritu:Spiritum,hoc eſt,Deitatem ęternam infinitam,omnipotentem,omniſciam,opponit Carni,id eſt, Humanitati aſſumtæ quæ eſt ſemen Abrahæ,cuius reſpectu per omnia fratribus ſimilem Meſſiam fieri oportuit (Heb.2.16.17.) peccato excepto. Dauid, ſuo & cæterorum Prophetarum nomine,(Pſal.110.1.teſtatur,Meſſiam & Iehouam, id eſt, verum Deum & filium Dauidis nobis eſſe agnoſcendum.

Euangeliſtæ autem euidentiſsimè oſtendunt, Ieſum Chriſtum, non eſſe φιλὸν ἄνθρωπον:ſed etiam reſpectu, aſſumentis Naturæ (quæ eadem eſt ſecunda Trinitatis Perſona) eſſe naturà Deum æternum,omnipotentem, conditorem & conſeruatorem omnium,omnipræſentem,&c.

Probant autem id argumentis ductis ab illius propriis adiunctis,à magnificis operibus & beneficiis toti catholicæ Eccleſiæ præſtitis. Etenim eius ſolius, qui ſic verus homo eſt, vt idem ſit natura Deus, propria adiuncta

adiuncta sunt & officia, esse Christum, id est, totius Ecclesiæ summum Sacerdotem, Regem & Prophetam: proferre è sinu Patris Euangelium : Legi nostro nomine satisfacere : Miraculis planè diuinis & salutaribus personam & doctrinã tueri : Ministerium Verbi & Sacramentorum in Ecclesia noui testamenti, Leuitica liturgia antiquata, sancire : dare animam suam redemtionis pretium pro multis: esse χαριτογωσιν: remittere peccata : resuscitare assumtam carnem à mortuis, & eam in cœlo exaltare ad dexteram Dei Patris: denunciare reditum ad iudicium: polliceri toti Ecclesiæ gratiæ suæ præsentiam. Quare Euangelistæ & inter se, & cum Prophetis, de Deitate nostri Redemtoris, egregiè consentiunt.

VII.

Tertiò, de cultu quem ipsi etiam Angeli, Messiæ exhibuerunt, ait Paulus, Conspectus est ab Angelis. Psaltes Regius, prædixit beatos Angelos, cultum debitum Christo conditori suo, & Ecclesiæ ex genere humano colligendæ Redemtori, præstituros esse, vt suo exemplo, quomodo idem nobis colendus sit, doceant. Psal. 97.7. & 104.5. Testantur autem sancti Euangelistæ, statim atque introductus fuit Iesus ille primogenitus in mundum, Angelos eũ adorasse, & testes fuisse conceptionis eius & Natiuitatis, administros educationis, testes tentationum & agonum quos sustinuit, resurrectionis eius indices, & ascensionis in cœlum spectatores, & prænuncios reditus ad iudiciũ. Quare certum est, Prophetas & Euangelistas, de Iesu istius, qui est Christus persona & cultu, consentientes, Angelorum exemplo nos admonuisse, vt ne Angelos, aut Homines mortuos adoremus: sed Christum Iesum, qui (ita vt præclarè dixit Augustinus) Orat pro nobis, vt Sacerdos : orat in nobis, vt caput: oratur à nobis, vt Deus.

VIII.

Quartò, de Gentium vocatione efficaci, Apostolus ita pronunciat: Prædicatus est Gentibus, & fides illi habita est in Mundo.

De Messia auctore benedictionis omnibus Gentibus, Moses Prophetarũ facilè princeps, Dei ipsius verba recitans, ait: Benedicentur in Semine tuo omnes Gentes, Genes. 22. v. 18. Vnde liquet, Seminis illius, quod est Christus (Gal. 3. 19.) auspiciis, vocatione efficaci, fideique dono, interueniente, etiam ex Gentibus, colligendam fuisse æternam Ecclesiam: quando non Iudęorum solùm Deus, sed etiam Gentium, vt qui sit vnus Deus, ac iustificet circumcisos ex fide, & præputiatos per fidem, Rom. 3. 29. 30. Ideo Gentibus tribuuntur à Prophetis gratiarum actiones ob diuinam vocationẽ, & δοξολογιαν, quarum & Paulus meminit, Rom. 15. 9. & seq. Euangelistæ autem & Apostoli, magno consensu testantur, in nomine Domini Iesu Euangelium Gentibus prædicatum vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante per subsequentia signa, Mar. 16. 20. Paulus etiam fidelibus ex Gentibus fidei donum gratulatur: quòd sciret illud non esse omnium, 2. Thessal. 3. 2. sed Electorum, Tit. 1. 1. Exultat quinetiam in Domino, quòd Gentes essent cohæredes & concorpores, consortésque promissionis eius, in Christo per Euangelium. Ephes. 3. versu 6. Testatur Iesum nobis factum à Deo patre sa-

pientiã,iuſticiam,ſanctificationem & redemtionem,1.Corin.1.30. & fideles tam Iudæos quàm Gentes,tantùm ex fide Chriſti iuſtificari:& non ex operibus legis,Gal.2.16. Et Dominus Ieſus ipſe alludens ad oraculum Ezechielis:Habeo,inquit,alias oues quæ non ſunt ex hac caula, illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient, fiétque vnum ouile,& vnus paſtor,Ioan.10.16.Gentium aggregationem iam tum inſtãtem declarans.Iuxta illud:Et faciam eos in Gentem vnam in terra,in montibus Iſrael:atque Rex vnus erit vniuerſis ipſis in Regem:nec erunt vltra duæ Gentes, &c.Et ſeruus meus Dauid (intelligatur de Ieſu Chriſto) erit Rex ſuper eos: & Paſtor vnus erit vniuerſis ipſis:& in iudiciis meis ambulabunt,& mandata mea cuſtodient,faciéntque ea,Ezech.37.22.24.De benedictione itaque, quæ gratuita electione, vocatione, iuſtificatione & ſanctificatione omnium fidelium conſtat: & Chriſtum Ieſum vnicum auctorem habet: idem planè & Euangeliſtæ & Apoſtoli,Prophetis nimirum ſubſcribentes,tradiderunt.

IX.

Poſtremò de Aſcenſione Ieſu Chriſti in cœlos & ſeſſione à dextrisPatris, ait Paulus:Surſum receptus eſt in gloriam.

De Triumpho Chriſti aſcendentis in cœlum,hæc prædixit Dauid, Pſalm. 68.18.19.20. Currus Dei 20.milia,milia Angelorum:Dominus inter eos ſicut in Sinai,in ſanctitate.Aſcẽdiſti in altum,captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona diſtribuenda inter homines:etiam rebelles (venient huc) ad habitandum Domine Deus.Benedictus ſit Dominus, nam quotidiè cumulat nos Deus ille ſalutis noſtræ.Et de miſſione ſpiritus S. loquitur Chriſtus per os Ioelis: Erit in nouiſſimis diebus (dicit Deus) effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem:& prophetabunt filii veſtri,&c.Ioel.2.28. Meſſiæ enim erit,opere redemtionis peracto, aſcendere in cœlum & ſpiritũ gratiæ & precum Apoſtolis & aliis fidelibus largiri, vt eos ducat in omnem veritatem:denique Eccleſiæ ſemper adeſſe.

Sed de Domino noſtro Ieſu, hæc omnia ὁμοθυμαδὸν Euangeliſtæ & Apoſtoli profitentur:non ſolùm in hiſtoria de aſcenſione Chriſti in cœlum, ſed etiam in concionibus, vt Actorum cap.2.in Epiſtolis, vt Epheſ.4. 8. & ſeq. Et ad Heb.1.3.Chriſtus purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta,ſedit ad dexteram maieſtatis illius excelſiſſimæ. Conſentiunt igiturEuangeliſtæ & Apoſtoli & inter ſeſe, & cum ſanctis Prophetis in tota de Ieſu Chriſto hiſtoria:ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

X.

Cæterum data hac propoſitione,cuius ἀμετανόητος ἀλήθεια eſt:Ieſus iſte, eſt Chriſtus:& credentes habent vitam æternam per nomen eius: Ioan. 20.31. non modò Pſeudoiudaiſmus & Paganiſmus: ſed etiam totus Papatus alto à culmine ruit. Agnitio enim veritatis, euertit mendacium omne, vt rectè dixit Auguſtinus:Si Chriſtus caput Eccleſiæ eſt,nec vnquam aut vſquam Membris,ſeu ſponſę Eccleſię deeſt:non opus habet Papa Romano Vicario: Si ipſe vnus ſummus & vnicus eſt Eccleſiæ Sacerdos, qui vna oblatione, in crucis ara peracta,cõſecrauit in perpetuũ eos,qui ſanctificantur,nõ opus eſt iſtis Sacrificulis & commenticio ac hiſtrionico Miſſæ ſacrificio: Si Chriſtus

ſolus

solus mediator est inter Deum & Homines, non est cur seu Angelos, seu mortuos homines, mediatores esse putemus, eosúe adoremus: Si per fidem Christi iustificamur, tum operibus nemo iustificatur: Si Deus spiritu coli vult, pereunt omnes formæ τῆς ἐθελοθρησκείας, & inter has Monachatus: Si pereunt, qui in hac vita ad Deum non conuertuntur, nec fide iustificantur, tum verò merum est figmentum de purgatorio & de lymbo: Si in cœlo tanquam Patris domo, nobis fidelibus à Christo locus paratus est, in quem ille nos assumet (Ioann. 14.3.) certum est infernum tormentorum locum (Luc 16.23. 26.28.) destinatum esse æternis infidelium suppliciis: Si sanctè obseruanda à nobis est Christi institutio in Sacramentis, tum verò absint, à Baptismo quidem, exorcismi Satanæ (qui in sanctorum Parentum liberis, fœderis gratiæ consortibus & ob id baptizandis, non est: nec certè peccatum originis est) saliua & sputum sacrificuli, oleum, puluis & alia dehonestamenta illius: à Cœna autem Domini, absit eius mutilatio, per ademtionem poculi: fiducia operis operati & alia: Si etiam Christi Ministros, humiles & fidos dispensatores mysteriorum Dei esse decet, sequitur ius gladii & gubernationem politicam eis non competere, &c. Basileæ 5. Octob. 1583.

Bernardus: *Christum apprehendere poteris citius sequendo, quàm legendo.*

DE IVSTIFICATIONE, QVAE FIT PER fidem, sacræ Συζητήσεως Capita, proposita à IOANNE IACOBO GRYNÆO, *S. Theologiæ Professore, & Theologici Ordinis Decano, de quibus, σὺν θεῷ, pridie Cal. Nouembr. in Scholis Theologorum respondit*

MARCVS BEVMLERVS, HELVETIVS.

AD

Nobilem Iuuenem, MICHAELEM AB HAGEN, *Neomarchicum, eximijs ingenij & virtutum ornamentis florentem.*

Rom. 11.6.

Quòd si per gratiam (electi & per consequens, vocati & iustificati sumus.) iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia, alioquin opus iam non est opus.

VERE NOBILI IVVENI DN. MICHAELI AB HAGEN, S. P. D.

AMbrosius Episcopus Mediolanensis, enarrans hæc Pauli Apostoli verba: *iustificati gratis per ipsius gratiam: grauissimè & disertè ait: Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes,* SOLA FIDE *iustificati sunt dono Dei. Et in expositione cap. 4. Epistolæ ad Romanos, exponens hæc verba: Credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam. Hoc dicit, quia sine Operibus legis credenti impio (id est, gentili) in Christum, reputatur fides eius ad iusticiam, sicut Abrahæ. Quomodo ergo Iudæi per Opera legis iustificari se putant iustificatione Abrahæ, quum videant Abraham non ex operibus legis, sed* SOLA FIDE *iustificatum?*

Nõ ergo opus est lex, quãdo impius per SOLAM FIDEM iustificatur apud Deũ: Secundũ propositum gratiæ Dei (Sic decretum dicit à Deo, vt cessante lege, SOLAM FIDEM gratiæ Dei posceret ad salutem. Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine Operibus) Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, vt sine labore & aliqua obseruatione, SOLA FIDE iustificentur apud Deum.

Quum vel ab vno Ambrosio toties vsurpata sit, Exclusiua particula SOLA, in propositionibus de gratuita Iustificatione: quis sanus & rerum istarum intelligens, non videat, Iesuitas, quando eam cauillationibus & vitilitigationibus suis exagitant, non nostris tantum Ecclesiis, sed etiam probato veteris Ecclesiæ Doctori, atrocem facere iniuriam?

Tuo autem nomini, Opt. & nobilissime, Domine Michael ab Hagen, sacræ συζητήσεως de iustificatione Capita, inscribere visum est, non eam solùm ob caussam quòd stemmatum, ingenij & moderationis in dictis & tota vita, ergò, mihi optatissimus ὁμοτράπεζος es: sed etiam quia cum doctrinæ Ciuilis laudabili studio, constanter & eleganter virtutum nobili homine dignarum exercitia, coniungis. Dominus Iesus tibi det, vt per omnem vitam in fide virtutem probes, & florentis virtutis priuilegio gaudeas. Basileæ, die natali magni illius I.C. Matth. Vuesembecij, Antuerpiensis, qui incidit in 25. Octob. Anno æræ Christi 1531.

IOHAN. IACOBVS GRYNAEVS.

DE IVSTIFICATIONE.

I.

QVVM in Confessione fidei illustrissimorum Principum & Rerump. quæ & à Philippo Melanchthone piè conscripta, & Carolo V. Augusto, Imperatori Romano, cæterisque sacri Imperij Ordinibus, in Comitiis Augustanis, Anno Epochæ Christianæ 1530. exhibita est: inter alia sanæ doctrinæ Capita, orthodoxa de Fidei Iustificatione sententia: planè consentiens cum oraculo diuino: Colligimus fide iustificari hominem, absque operibus legis, Rom. 3.28. piè esset exposita: ibi tum Eccius, Faber & Cochlæus, cæteríque Pontificij ἑτεροδιδάσκαλοι, testati sunt, se reiicere & improbare hoc quòd nostri docerent, quòd non mereantur homines remissionem peccatorum: sed sola iustificentur fide.

II.

Opposuit autem Philippus Melanchthon Antagonistis terribilem hanc Demonstrationis, veluti Gorgonem. *Quid est certius in Ecclesia, quàm quòd remissio peccatorum contingat gratis, propter Christum? quòd Christus sit propitiatio pro peccatis, non nostra opera? Sicut Petrus inquit: Huic etiam omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius omnem qui crediderit in eum, Actor. 10. 43. Huic Ecclesiæ Prophetarum assentiamur potius, quàm istis perditis Scriptoribus Confutationis, qui tam impudenter blasphemant Christum. In Apologia Confess. August.*

III.

Demonstratio de iustificatione, è Paulina Disputatione petita ducitur à

Aut

διαιρέσει ἀμέσῳ.

Aut iustificamur sola fide, gratis, aliena iusticia, seu propter Christum, ad laudem iusticiæ & gratiæ Dei: aut propria iusticia iustificamur, nostrísque operibus remissionem peccatorum & vitam æternam promeremur, ad gloriam nostram.

Atqui sola fide, gratis, Christi iusticia nobis imputata, ad gloriam iusticię & gratiæ Dei, iustificamur: vt summa παραφωνία & consensu Prophetæ & Apostoli, testantur: & experientia vniuersalis omnium saluandorũ ostendit.

Quare non iustificantur vlli homines propria iusticia, seu ex operibus iustis, quæ nulla facere potest, homo inquam ψυχικὸς, vt Scripturæ sanctæ subscribens, vniuersalis experientia eorum, qui pereunt, & ἀναπολόγητοι sunt, euincit. Rom. 1. 2. 3. Tit. 3. 5.

IIII.

Etsi autem inuenta Demonstratione pias Mentes dubitatione excluſa, manifestæ veritati assentiri decet: vt tamen sacris ingenioſæ iuuentutis studiis, consulamus, propositum nobis est demonstrare, & ὀρθόδοξον, nostrarum Ecclesiarum de gratuita iustificatione, sententiam, nobis toto pectore amplectendam & retinendam: & ἑτερόδοξον ac hęreticam Pontificiorum opinionem, nostræ è diametro repugnantem, maximis de causſis improbandam nobis esse & fugiendam. Quum autem Veritatis comites sint sapientia & constantia, vt scitè Augustinus dixit, oramus Deum, qui solus veritatis doctor est: vt Spiritu sancto suo, nos totos per veritatem sanctificet: vt sit felix nostra φιλαλήθεια & perpetua, Amen.

V.

Orthodoxam esse nostrarum Ecclesiarum de iustificatione hominis doctrinam, ac proinde summo studio amplectendam & profitendam, argumento certissimo sunt, primùm quidem eius ἡ αὐτοαλήθεια: deinde verò, Demonstratio firmissima.

Est autem fons istius sententiæ & prima veritas, Deus, propter seipsum, eadem prorsus ratione, eos, quibus dedit vt in Christum credant, iustificat: ad declarandum iusticiam, & gratiam suam. Iuxta hæc dicta.

Propter me, propter me faciam: nam quomodo profanaretur illud? & gloriam meam alteri non dabo. Isa. 48.11.

Propter nomen meum differam furorem meum, &c. Isa. 48.9.

Non propter vos facio, domus Israel: sed propter nomen meũ sanctũ. Ezech. 36.22.

Qui prædestinauit nos quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, IN SE-SE pro sponte benevolo affectu voluntatis suæ. Ad laudem glorioſæ gratiæ suæ, qua gratos nos reddidit, in illo dilecto, Eph. 1.5.6.

Qui seruauit nos, & vocauit vocatione sancta: non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratia, &c. 2. Tim. 1.9.

Quem proposuit Deus vt esset placamentum, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam iusticiam suam, per remissionem præcedentium peccatorum, Rom. 3.25.

VI.

Demonstratio verò, κατασκευαστικὴ hæc est, vt multas alias nunc con-

sultò prætermittamus.

Certissimum est eo modo iustificari omnes fideles, quo eorum pater Abraham olim est iustificatus à Iehouah: neque enim diuersi sunt modi iustificationis, sed vnus & idem: sicut vnus est Deus qui iustificat circumcisos ex fide, & præputiatos per fidem, Rom.3.30. ac rectè dixit Ambrosius: Quia enim omnium vnus est Deus, vna ratione omnes iustificauit.

Abraham autem non operibus, sed fide ad iusticiam imputata, iustificatus est. Rom.4. Gen.15.

Quare & nos fideles, & ob id illius filij, non nisi fide ad iusticiam imputata, iustificamur. Rom.4.23.24.

VII.

Papistarum ὑπεροδιδασκαλίαν de Operum iustificatione, nobis improbandã esse, piæ Mentes facilè animaduertent, si eiusdem πρῶτον ψεῦδος, & Demonstrationem nostram ἀναστευαστικὴν, prudenter considerabunt.

Est autem multiformis quædam Empusa, eorum πρῶτον ψεῦδος, cuius summa huc redit: Ne destituatur Homo animalis omni gloria Dei (Rom.3.23.) danda illi opera est, vt aliquid adipiscatur secundum carnem, seu operibus suis, (Rom.4.1.) ac viribus liberi sui arbitrij, propriam iusticiam satagat constituere (Rom.11.3.) quæ in actu iustificationis, mutuas operas Dei iusticiæ & meritis Christi tradat: & hoc præstet, vt partim Christi, partim suis meritis, æternam consequatur vitam.

VIII.

Ἀναστευαστικῶς autem Demonstrationis adamantino ariete, caducus ille paries Papisticæ opinionis, sternendus est.

Si opinio Papistarum de Operum iustificatione, contumeliosa est in sacrosanctam Trinitatem, & pernitiosa omnibus iis, qui eandem amplectuntur: Tum equidem detestanda & fugienda est piis omnibus, qui de sua salute seriò cogitant.

Vera sunt quæ antecedunt.

Vera igitur sunt & quæ ex ijs rectè colliguntur

Assumtum sic probamus. In sacrosanctam Trinitatem contumeliosa est, quia primùm quidem Deo Patri laudem perfectæ tum iusticiæ tum misericordiæ derogat, quum & humanorum operum crepundiis ludicris illi satisfieri: nec solam misericordiam eius iustificationis περιγραφὴν causam esse, sed etiam operibus debitam compensationem, operanti exsoluendam esse, fingit: deinde, quia Filio Dei, verè dicenti: Torcular solus calcaui, & de Populis non fuit quisquam mecum, Isa.63.3. impudenter contradicens, vnici illius Sacerdotij & Sacrificij expiatorij, functionem, oblationem & applicationem, tribuit Missaticis Sacrificulis: ac fingit etiam Angelos & mortuos Homines, tanquam Mediatores esse adorandos: denique Spiritui sancto, per vtriusque Testamenti Ministros testanti, Sola fide, propter Christum, nos & remissionis peccatorum & iusticiæ Christi participes factos, consequi, & vt peccata nostra nobis nõ imputentur, & vt iusticia Christi nobis imputetur, impudẽter reclamat: & eius beneficia obscurat, videlicet vocationis, adoptionis & iusti-

ficationis noſtræ obſignationem, regenerationem & illuminationem, &c.

Pernitioſam autem eandem eſſe omnibus iis, qui illam amplectuntur, inde euidenter colligimus, quòd reuera à Chriſtianiſmo ad Phariſaiſmum & Pelagianiſmum opinio illa miſeros homines traducit : quòd his illudit fucúmque facit, cum & peccatum peccans, ſeu originis, ac eiuſdem effecta carnis videlicet opera, extenuat : & liberum in homine animali arbitrium fingit, eiuſque vires amplificat hyperbolicè, tantúmque per nefarium ſacrilegium gloriæ meritíſque Chriſti derogat, quantum illi tribuit : denique, vt συλλήβδην agamus, quòd facit vt à Chriſto excidant: qui certè ſolus eſt ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. 30.

Tabella, complectens Aphoriſmos Theologicos, de Iuſtificationis principijs, in Iuuentutis piæ & eruditæ gratiam, confecta.

- Iuſtificatio (quæ eſt Dei ſolius beneficiũ, conſtãs remiſsione peccatorũ & imputatione iuſticiæ Chriſti: cuius gratia Deo reconciliati, iuſti habẽtur, ad laudẽ Dei, & hominũ ſalutem)
  - Cauſſas habet tum
    - Externas videlicet
      - Efficientes
        - Principales
          - ἄιτιον κύριον. 1. Solus Deus iuſtificat impium, Rom. 4. 5.
          - θεοπνευστία. 2. Gratia ſeruamur, Eph. 2. 8.
          - τελειωτικὸν 3. Spiritus ſanct. obſignat iuſtificationẽ, Eph. 1. 13.
        - Famulantes
          - Offerens. 4. Euangelium (cuius ſigilla ſunt Sacramẽta) annunciando offert iuſtificationem, Ro. 1. 16.
          - Apprehendens. 5. Sola fides iuſtificat, Rom. 3. 28.
      - Finales
        - Suprema. 6. Celebratur autẽ Dei iuſticia & miſericordia, quãdo iuſtificat gratis, Rom. 3. 25.
        - Proxima. 7. Iuſtificati autem liberãtur à peccati culpa & pœna, & pacem habent erga Deum, Rom. 4. 6. 7. & 5. 1.
    - Internas, nimirum
      - Materialẽ. 8. Solius Chriſti merito iuſtificamur. Seu, Propter ſolum Chriſtũ iuſtificamur, Ro. 3. 25.

        Demonſtratio.

        Propter eũ iuſtificamur, qui tollit peccatũ Mũdi. Atqui Chriſtus tollit peccatũ Mundi, Ioan. 1. 29. Propter eum itaque ſolum: non autẽ propter fidem, aut opera iuſtificamur.
      - Formalem 9. Iuſtificamur autẽ, quũ & peccata nobis condonantur, & iuſticia Chriſti nobis imputatur. Forma enim iuſtificationis eſt quũ & mortis ſecundæ cauſſæ à nobis tolluntur: & vitæ æternæ principium confertur.

Atqui vtrũque fit quando iuſtificamur. Etenim peccati culpa & pœna, videlicet mors ſecunda ſeu æterna, remittitur: & iuſticia Chriſti, quæ vitæ principium nobis eſt, nobis imputatur.

Manifeſtum itaque eſt formalem iuſtificationis noſtræ cauſſam eſſe ablationem cauſſæ mortis & μετοχὴν eius quod eſt cauſſa vitæ æternæ.

Appendix.

Qui ſola fide Iuſtificatus eſt, is demum verè bonis operibus ſanctificationem ſuam teſtatur.

DE HOSTIBVS DILIGENDIS, CAPITA ad diſputandum, à Theologici Ordinis in Baſilienſi Academia Decano, Dn. IOAN. IACOBO GRYNÆO, *propoſita: de quibus in Scholis Theologorum, 21. Nouembris reſpondit Iacobus Arminius, Hollandus.*

AD

Nobilitate generis & ingenij præclarum Iuuenem, FRIDERICVM BRANDT, *Neomarchicum Brandeburgenſem.*

Palladæ verſus apud Stobæum:

Ὅ'ταν ξυγῇ τις ἄνδρα, ὃν θεὸς φιλεῖ,
ἔτος μελίσην μορίαν κατεισάγει.
φανερῶς γὰρ αὐτῷ τὰ θεῷ κορύσσεται,
χόλον μέγιστον ἐκ φθόνου δεδεγμένος.
δεῖ γὰρ φιλεῖν ἐμεῖνον, ὃν θεὸς φιλεῖ.

NOBILI IVVENI, D. FRIDERICO BRANDT, INGENIO ET VIRTVTE EXCELLENTI, S. D. P.

APud Gregorium Nazianzenum extant elegantes verſus, qui monent ad leniendos dolores eorum, qui lugent contritionem Ioſephi, & Eccleſiæ militiam grauem & diuturnam: ac ſuſtinent contradictionem ob veritatis ſtudium & profeſſionem: plurimum facere exempli Ieſu Chriſti Domini noſtri conſiderationem. Verſus hi ſunt:

Ὅ'ταν ποθ' ὕβρεις ἐκκαίῃ τὸν σὸν φρένας,
μνήσθητι χρεὼν, τὴν αὐτὸν τραυμάτων.
πόσῃ γὰρ οἴσεις ταῦτα τὴν τοῦ Δεσπότου.
ὡς δ' ἂν τὸ λυπῶν ὥσπερ ὕδατι σβέσαις.

Etſi autem ad leniẽdos tum meos, tum etiam aliorũ piorũ dolores, quos excitat & exaſperat triſtis ſenſus iniuriarũ, quibus Chriſtus Ieſus & eius doctrina, nũc quoq; à quibuſdã afficitur, ſæpè illos verſus repeto: iſtud tamẽ à meipſo & aliis exigo, vt videlicet diſcam? inimicos, nõ planè ἀμεταμελήτως, amare ſeriò, eorũ miſereri: & noſtri amoris teſtes, ardẽtes preces ad Deũ, qui corda ſcrutatur, fũdere, vt p. ſua miſericordia, ex diabo-

boli laqueo eductos, & mentis sanitate instructos, velit nobiscum pacem & veritatem diligere & sectari.

Quoniam verò non ijs tantùm qui doctrinam cœlestem purè profitentur : sed etiam politicis gubernatoribus, necessaria est prudentia, quæ qui hostium loco non sint habendi docet: & laboriosa charitas, quæ δημομαχίαν ἢ ἀγωνιστικὴν eleganter ferens, operit delicta multa, omnium ordinum & ætatum hominibus discenda & exercenda est : tuo nomini hæc de Hostibus diligendis Capita, inscribere visum est, vt etiam ordinis tui nobiles intelligerent, sui quoque officij esse, vincere malitiam bonitate. Propitiæ Dei prouidentiæ te, studia tua, & totius tuæ vitæ periodum, commendo, Basileæ, M. D. LXXXIII. *die natali* V. CL. *Doctoris Lutheri, qui incidit in X. Nouembr. ante centum annos.*

IOH. IACOBVS GRYNAEVS.

I.

NIHIL dubium est, parum eos in Schola Iesu Christi, & veræ pietatis exercitiis, profeciſſe, quibus admodum graue & paradoxum videtur hoc Domini nostri Iesu Christi præceptũ: *Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos vestros : benefacite iis qui vos oderunt. Benedicite iis qui deuouent vos, & precamini pro ijs qui infestant vos.* Luc. 6. 27. 28. Etsi enim verè dixit Augustinus, *Nihil mirabilius esse in rebus humanis, quàm diligere inimicos*: tamen, quum vera generis humani virtus in instauratione Renatorum hominum maximè conspiciatur, illud Dei seruis persuasum esse debet, Dei gratiam, quæ in Spiritus sancti τῇ ἐπιχορηγίᾳ & ductu lucet, id in ipsis facilè præstare, quod alioquin naturæ corruptæ viribus, omninò est impossibile.

II.

Quum autem modis omnibus practicum sit hoc argumentum, eò quòd non solùm multi pij doctores & pastores, eorúmque auditores, ob sanctum diuinæ veritatis studium: sed etiam tota Orthodoxa Ecclesia Dei viui, quæ est columna & stabilimentum veritatis (quum ab ea incorruptæ veritatis inæstimabilis thesaurus, fideliter asseruetur. 1. Tim. 3. 15.) iniquissimis præiudiciis, anathematismis & calumniis exagitetur & proscindatur: persequutionem aliàs cruentam, aliàs incruentam, exilij deportationis incommoda multa & magna, sustineat : nec facilè cuiuis sit discernere inimicos, quorum non est vnum genus: constitutum habemus, σωὺ Θεῷ, docere & demonstrare: Primùm quidem, quos homines & quas etiam res, seu amare, seu odisse, ius fásque sit. Deinde verò, secundum Quæstiones Methodi, An sit, Quid sit, Quę Caussæ, & Quod sit: quo loco nobis habendi sint inimici, ij, inquam, de quibus ex professo Christus loquitur.

Faxit Episcopates noster Iesus Christus, vt fide per charitatem agente, & nostræ τῇ συζητήσει prælucente, non nisi vera & salutaria, ad illius laudem, & nostram institutionem & admonitionem, dicamus, Amen.

III.

Initiò profitemur nos, quando censuram agimus hominum rerúmque,

quas vel amare vel odisse oportet, isthæc προπαιδεύειν seu præsupponere.

1. Dei solius iudicio, tum homines, tum res, æstimandæ nobis sunt.

2. Homines, qui Deo exosi sunt, nobis quoque exosi esse debent.

3. Sunt autem Deo exosi reprobi, Mal. 1.3. quos nunquam nouit, id est, quos pro suis filiis & domesticis non habet. Matt. 7.23.

4. Ecõtrà, quotquot Deo chari sunt in Christo, in hoc ipso nobis quoque chari esse debent: ne videlicet religiosa sententia & affectione Saluandi à Saluatore dissentiant.

5. Deo chari sunt Electi in Christo, Eph. 1.4. quos etiam tanquam suos nouit: 2. Tim. 2.19.

6. Electos, character Fidei, Spei & Charitatis discriminat à Reprobis, qui illo destituuntur. 2. Cor. 13.5. 1. Thes. 1.34.

7. Nõ minus sanctum odium est, homines θεοσυγεῖς seu Dei osores, perfecto odisse odio: Psal. 139.21.22. quàm est sanctus amor, homines θεοφίλεις, id est, Dei amantes, seriò & constanter amare.

8. Quicquid autem ἀνομία est, hoc est, pugnat cum voluntate Dei, quæ est omnis boni & iusticiæ regula immota & æterna, id Piis omnibus odiosum & execrabile esse debet. Zach. 8.17.

9. Econtrà quicquid ratione Decalogi est νόμιμον, id est, legitimum, id Piis amabile esse debet: etiamsi magna pars generis humani furenter & dictis & factis, reclamet.

10. Non equidem minus laudi ducendum est odium & fuga mali, quàm amor studiúmque boni: ideò enim ἰσῳ ζύγῳ vtrumque nobis præcipitur. Amos 5.14.15.

11. Cœtum malignantium odisse: hæreticum hominem, sed αὐτοκατάκειτον, auersari: eum, qui doctrinam Christi non affert, domum non recipere, nec Aue ei dicere, sanctum quoddam odium est. Ps. 26.5. Tit. 3.10.11. 2. Ioan. v. 10. Etenim qui non zelat, nõ amat: vt benè dixit Hieronymus.

12. Nemo tamen inter malignantes & hæreticos referri debet, nisi qui flagitiosa vita & ἑτεροδιδασκαλίας, seu diuersæ doctrinæ fermento, velut sorex suo indicio, sese prodit esse ἀμετανόητον: dum ludos sceleratos Deo ipsi facit, blasphemando Spiritum sanctum, & tota vita diuinis præceptis impudenter repugnando.

13. Quum de aliorum, seu electione, seu reprobatione, nos qui καρδιογνῶσαι, id est, cordium scrutatores non sumus, ἀναλυτικῶς, à posteriore aliquid colligere sit necesse, & fides aliorum seram, aliorum tempestiuam esse vocationem & regenerationem, probè intelligat: charitas etiam omnia speret, & longanimis sit, danda homini prudenti opera est, ne calculi præuertant cognitionem, néve aberrent à veri Christianismi notis non fallentibus.

14. Quemadmodum nosipsi ex inimicis Dei, amici facti sumus, Rom. 5.10. ita ex quibusdam nostris inimicis, amici fieri possunt: quo nomine hi, nequaquam nobis sunt odio habendi, propter offensas leuiculas.

15. Stat tamen illud, inimicos nostros ἀποστόλους esse Diabolos, & omnes reprobos homines, qui sunt hostes Dei irreconciliabiles & iræ vasa.

16. Rectè autem dixit Augustinus: Hostes hominis Christiani, sunt facta carnis. Quænam autem illa sint, docuit Paulus, Gal. 5.19.20.21.

17. Videndum vnicuique, ne sibiipsi domesticus hostis sit, omnium infestissi-

festissimus. Tum autem secum ipse inimicitias exercet, quum seipsum non verè nouit: sed bona plura sibi suppetere putat, quàm reipsa ei præstò sunt: malis verò vel nullis, vel leuiculis sese vrgeri putans, sibi aliàs placet in rebus malis, quas secundas esse falsò opinatur: aliàs displicet in bonis rebus, quas aduersas esse, imprudenter fingit: aliàs sibi nimium indulget, vt quum incontinentiæ, iræ, auaritiæ, imtemperiei linguæ suæ frenum laxat.

18. Odisse primùm Sathanam, deinde eius mancipia, filios videlicet incredulitatis, qui perpetuam διαμαχίαν exercent: & domesticum hostem, qui illis mutuas operas subdolè & perfidiosè tradit, Legem inquam membrorum, ius fásque est.

19. Hominem nondum illuminatum, ac in nos iniurium, de quo tamen charitas, multitudinem delictorum operiens, benè sperare iubet: non licitum est odisse.

20. Multò minus odisse licet hominem, in quo aliquid Christi deprehenditur: etiamsi is, zelo cum ignorantia coniuncto ardens, hostiliter dictis & factis nos, ceu hæreticos in parte aliqua doctrinæ, insectetur & persequatur. Nostrum enim est, præclara confessione veritatis, tolerãtia iniuriarum, benè precando, charitatis denique paroxysmo, cum eo certare, qui anathematismis, & præiudiciis, & proscriptionibus, aut Sinonio artificio, nobiscum agit: & si qua fieri possit amabili virtute, humanitate, veritatis defensione, eò illum adducere, vt in viam veritatis reuersus, posterioribus curis, quæ meliores esse consueuerunt, locum det: non autem odio, intemperie & importunitate cum illo certare, malum augere, & κακὸν κακῷ θεραπεύειν: vt habet vetus prouerbium.

IV.

Etsi autem istos homines nobis infestos experiamur, odio tamen, sæuis dictis & factis, ἀντιφιλεῖν, nobis agere cum illis nequaquam licet. Non enim fas est nos ignorare, cuius spiritus simus. Luc. 9. 55. Nec enimuerò hominis cordati est, si quem delirare (vt mollissimè loquamur) animaduertat, delirio aduersus illum vti: quando καὶ δύναμιν mederi hominum erroribus & perturbationibus multò consultius est, quàm ignem scalpere gladio. Loquemur autem iam de iis, qui, carnis intelligentia & personæ respectu fascinati, vel διαφωνίᾳ seu dissensione in aliqua parte doctrinæ, vel iniquo præiudicio, vel calumniis & proscriptione, vel manifesta vi, vel his omnibus in nos iniurij fuerunt: ac demonstrabimus, illos nobis nihilominus esse diligendos. Faxit autem Iesus Christus Dominus noster, vt non minus arduum nobis sit illos amare reipsa, non verbis: quàm nobis amandos esse, rationibus adductis, euincere.

V.

An sint isti inimici diligendi, nécne?

Istos inimicos, de quibus nobis neutiquam certò & iurè persuasum esse potest, Reprobos illos esse, diligendos esse, καταδιαστικῶς sic probamus.

1. Ab efficiente impulsiua causa. Id quod præcipit Christus, sedulò & libenter præstandum est. Præcipit autem, vt eiuscemodi inimicos diligamus. Iuxta illud eius dictum: Ego verò dico vobis, Diligite inimicos vestros.

Matth.5.44.Quare illi nobis diligendi sunt. Meminerimus autem hæc ἐμφάτικῶς dici, de nostris,non de Dei inimicis:nam hos odisse pietas est.

2. A Comparatis.Omninò par est Dei filios meliores esse publicanis & peccatoribus.At hi diligunt fratres amicos & benefactores : inimicos oderunt.Ergo nobis,qui Dei filij sumus,vtrique sunt sine simulatione diligendi.Matth.5.46.47.

3. A Christianorum adiuncto.Christianorum proprium adiunctum est, diligere proximum. Rom.13.9.Atqui eiuscemodi inimicus, proximus est. Non enim vulgares & leuiculæ illæ offensæ,coniunctionem hominum, diuina auctoritate sancitam,tollunt.Quare diligendus est.

VI.

Quid sit diligere inimicum.

Apostolus noster 2.Cor.12.15.ait : Etiamsi,abundè vos Corinthios diligens, minus diligar. Ex hoc & similibus dictis colligimus hanc Caussalem definitionem:

Diligere inimicum,est donum Spiritus sancti,quod hoc præstat, primùm in mente, vt hominem iniurium non in seipso, sed in Christo capite, æstimantes,magni faciamus: deinde in voluntate, vt ei nos lacessenti & iniuria afficienti,non minus benè velimus,quàm pius & prudens Medicus phrenitidis paroxysmo laboranti,& salutaria consilia & remedia aspernanti & reiicienti,ex animo consultum vult:postremò, vt longamini & patiente charitate,multitudinem delictorum operiamus, omnia feramus, omnia credamus,omnia speremus (quæ nobis polliceri,sanctum est)nec vnquam vincamur ab eo quod malum est,sed vincamus bonitate malitiam : ad Dei Patris gloriam,& illorum quos diligimus ac nostram instaurationẽ. Gal.5.22.Ro. 12.5.Matt.5.44.& 9.12.1.Cor.13.4.& seq.Rom.12.21.Matth.5.45.Col.3.14.

Gradus autem quidam sunt, 1. diligere eum à quo minus diligaris: 2.diligere eum, qui carnis æstu incitatus, odio te habeat : 3.diligere osorem, qui perturbationem molestis dictis,gestibus,factis testetur:4.diligere eum, qui te non infamem & miserum tantùm esse, sed etiam extinctum & è medio sublatum velit:5.diligere eum,qui sit ἄνευς ὀφάκτης,quando summam perniciem adferens,interim tibi se benè velle profitetur:6.diligere eum, qui carnificinæ suæ alios administros adhibet,vt nihil minus videatur moliri,quàm quod maximè agit. Sæpè enim fit id quod in prouerbio est, de Histiæi calceamẽto,quod Aristagoras induit:&maximè pio homini id dolet,si se animaduertat Sinonio artificio circumuentum, per cuniculos oppugnari ab iis,qui quum sint ὀπιβελότεροι, canum Promeri opera quos oderunt allatrant, mordent & lacerant.

Tantò autem illustrior est Dei Seruorum victoria, quo grauior est lucta cum inimicis,qui videlicet non nisi bonitate superandi sunt,vt ad meliorem mentem reuersi, emendentur. Ac quum illi habeant Agonotheten Deum Patrem,Xystarchen Spirituin sanctum,Epistaten Iesum Christum:gratulari sibi debent patientiæ & spei progymnasmata:longanimitatis ἀκροβολισμὲς : fidei mundum superantis,victoriam certissimam & triumphum.

VII.

Quare sint diligendi inimici.

Diligendi nobis sunt inimici,propter has grauissimas causas.

1. Vt reipsa testemur nos esse filios Patris nostri qui est in cœlis : facit enim vt Sol suus exoriatur super malos & bonos,& pluit super iustos & iniustos. Matt.5.45.

2. Vt gratuitam illam mercedem accipiamus,quam pollicitus est Deus iis, qui non fratres suos ὁμογνῶντας tantùm, sed etiam infestos inimicos, diligunt.Matth.5.46.47.

3. Quia si placuerint Iehouæ viæ nostræ,etiam inimicos nostros pacatos nobis reddet.Prouerb.16.7. Itaque vt maximè infensos experiamur inimicos,tamen summo studio nos hoc vnum agere & optare debemus,vt Deo nostra vita & consilia & opera probemus : non autem, vt inimicos vlciscamur,eísque non minus molesti simus & formidandi, quàm illi nobis fuere, aut etiamnum sunt.

4. Quia Dei nutu & optimo consilio,ab inimicis affligimur , certa lege. Iuxta dicta : Imposueras hominem super caput nostrum, ingressi eramus ignem & aquam:& eduxisti nos in terram irriguam. Psal.66.12.Item : Conuertit cor eorum,vt odio haberent populum suum:vt machinarentur dolos in Seruos ipsius.Psal.105.25.Etsi autem hoc dictum, de reproborum Aegyptiorum erga Israelitas odio,propriè loquitur : tamen illud etiam θεικῶς innuit,corda hominum in manu Dei esse,& iustis eius iudiciis seruire.

5. Quia nos quoque ita decet esse affectos , quemadmodum fuit Dauid, quum ei malediceret Semei:ac ille diceret:Sinite illum,vt maledicat:quia dixit ei Iehouah. Forsitan respiciet Iehouah ad afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione eius hodie.2.Sam.16.11.12.

6. Quia tanta in nobis ἐπιεικεια debet esse debet,vt etiam hoc nobile alioquin Chrysostomi dictum,Si vis vlcisci, sile, & funestam dedisti plagã:nonnihil duriusculum & inhumanum nobis,qui malum bono compẽsare proposítum habemus,videri debeat.

7. Quia nos quoque,etiamsi alicubi nostræ iræ indulsimus, nobis ignosci:& charitate,non odio,nobiscum agi volumus.Iam verò quæcunque volumus vt alij nobis faciant,ea ipsis quoque hilari corde sunt præstanda.

8. Quia verè dixit Tertullianus : Si apud Deum deposueris iniuriã, ipse vltor est:si damnum,ipse restitutor est:si dolorem,ipse Medicus est:si mortem,ipse resuscitator est.

VIII.

Quomodo inimici diligendi sint.

Vt pij Iuuenes,quomodo inimici diligendi sint,& quàm magnis de caussis illi nobis seriò miserandi sint, rectè intelligant,pretium operæ fuerit accuratè considerare, arma & conflictum osorum & eorum qui præter suum meritum exosi sunt,cuius elegans hypotyposis extat,Mat.5.44. Illi pugnant primùm odio, quod neminem magis quàm auctorem torquet : deinde,diris,anathematismis,calumniis:tertiò,malefactis:postremò,hostili persequutione,exilio & aliis modis,quibus læduntur fama & gloria , facultates opũ, vita & eius præsidia. Nos verò sanctè illis repugnamus , primùm charitate, quæ nobis magno est solatio:deinde,benè precando:tertiò , benefaciendo: postremò, persequutionem illam fortiter & æquo animo sustinendo & superando. Ac nostræ pugnæ finis est, proximus quidem, vt bonitate mali-

tiam vincentes,eos,qui infensis in nos animis fuerant, Christo Domino nostro lucrifaciamus:vltimus autem,vt Dei voluntati obedientes, nomen illius sanctificemus.Nobis enim mandatum esse scimus:Ne alij aduersus alios loquimini,fratres:Iac.4.11.Item : Ne ingemiscite alius aduersus alium , fratres:vt ne condemnemini:ecce Iudex ante ianuã adstat. Sumite,fratres mei, pro exemplari afflictionis & patientiæ, Prophetas,qui loquuti sunt in nomine Domini.Iac.5.9.10.

IX.

Coronidis vice aliquot ἱστορίας addemus, vt de his conferendi materiam, doctis & piis Iuuenibus,subministremus.

Quæritur primò,Sítne nobis constanter diligendus inimicus, si is pergat nobis esse infestus?Respondetur , Diligendum esse:quia quàm sit laboriosa charitas,tum demum manifestum fit, quando ea μακροθυμεῖ, longanimis est, & παροξύνεται, non irritatur,πάντα στέγει, omnia suffert,omnia credit , omnia sperat,omnia sustinet.1.Cor.13.4.3.5.7. denique quum Christi Iesu exemplum nunquam non intuetur & imitatur.De eo autem in hunc modum pronunciat Petrus Apostolus : Qui conuiciis affectus, non vicissim conuiciabatur: quum malis afficeretur,non minabatur:sed committebat(vindictam)ei qui iustè iudicat.1.Petr.2.23.

Quæritur secundò, An nefas sit vllius hominis,malè aliàs conciliati, gratiam,dissimulatione agnitæ veritatis,redimere ? Respondetur : Non licet. Primùm,quia nulla potest esse vera pax,nisi quæ veritatis basi nititur:ac præclarè dixit Augustinus,Nemo potest veraciter amicus esse hominis,nisi fuerit prius ipsius veritatis:deinde , quia Christianorum, & in primis docentiũ proprium adiunctum & officium est , DE VERITATE & PROTVENDA VERITATE loqui:tertiò, quia intelligentiæ lumen in iis exstinguitur, qui contra conscientiam agentes , veritatem quantum in ipsis est produnt:quartò,quia,vt Tertullianus dixit, veritas nihil erubescit, nisi abscondi.

Quæritur tertiò,Quum dissentientium vtraque pars,de veritate ideò glorietur,quoniam Testimoniis Biblicis vtitur,quomodo dignosci poterit falsitas fucosa veritatis specie picta?Respondetur : Rectè dixit Theodoretus: Scriptura stolidè intellecta non est Scriptura. Tum autem stolidè intelligitur,quum ei affingitur aliquid,quod è diametro pugnat cum analogia fidei & cum decalogo. Vt vana persuasio,de Idolis in templis, propter inueteratam consuetudinem ferendis(siquidem nemo sit qui ea adoret) pugnat cum secundo præcepto Decalogi:ideóque improbari debet.Commentum Papisticum,quod facit copiam dubitandi,An nos,qui in Christum credimus ,simus in gratia apud Deum Patrem,pugnat cum toto Symbolo Apostolico: quare damnandum est. Rectè autem pronunciauit Richardus de Matæologis,O quanti veritatem quærunt,nõ in veritate, sed in vanitate:& quod miserrimum est,in verbis vitæ lucra mortis negociantur.

Nos verò memores simus dicti Hilarij,quod extat lib.4.de Trin. *Intelligentia dictorum ex caussis est assumenda dicendi : quia non sermoni res,sed rei sermo subiectus est.*Ea itaque vera & Scripturæ sanctæ consentanea esse statuamus, quæ proportioni fidei egregiè respondent,nec τὴν παναρμονίαν sacræ Theologiæ turbant.

Quæ-

Quæritur postremò, Anne nostris liceat in colloquiis de Religione cum Pontificiis, Catabaptistis, Enthusiastis, Arianis & aliis fanaticis, regerere conuitia: iniuriam iniuria pensare: vti Sardonio risu? Respondetur: Non licet. Etsi enim aduersarij piæ doctrinæ Sophismatis suis, conuiciorum sputum venenatum & iniurias adiungant: tamen non est Theologicæ grauitatis, eos imitari: sed potius bonam causſam, benè, id est, solidè & modestissimè agere: sic vt defensioni veræ nostræ Religionis semper præluceant fides & charitas. Prudenter autem monuit nos Ioann. Chrysostomus, de grauitatis & modestiæ proposito: Iniuria lacessiti, ne protinus turbemur. Rectè & Augustinus pronunciauit, dicens: Iniuriæ virum fortem probant. Sed & Episcopus ille optimè consuluit nobis, hoc Apophthegmate: Sicut nihil est deformius, quàm respondere furiosis: ita nihil vtilius, quàm tacere prouocatis: nullus enim finis est inimicitiis, si ad tempus non obtemperemus iratis.

Grauiter itaque peccant, qui nulla decori ratione habita, non tantùm argumentis, sed etiam conuiciis agunt cum hostibus sanæ doctrinæ: & grauiter scurrili dicacitate prudentes offendunt: non disputantes placidè, ac virtutis humanitatísque & solidæ doctrinæ admiratione, inuitantes aduersarios ad studium cognoscendi doctrinam nostrarum Ecclesiarum. Sed de his in ipsa Disputatione, si Deus volet & dabit, pluribus agemus. Basileæ. 10. Nouembris, M. D. LXXXIII.

Exempla Ethnica contemtus maledicorum.

Phocion, quum præter omne meritum duceretur, & ei iam morituro, quidam post conuicia in faciem expuisset, hoc vnum dixit: Non hunc compescet aliquis indecorè se gerentem?

Pericles, quum Elpinice Cimonis soror enm à concione redèuntem, virulentis dictis proscinderet, nihil aliud respondit, quàm: Ὦ γύναι μύροισι χρῆν ἐᾶσαι ἀλείφειν. Vnguento, anus quum sis, caueto inungier.

DEFENSIO SENTENTIAE, QVAE STATVIT, Piè facere illustrissimos Principes & Magistratus Euangelici nominis, quando Idola è templis & alijs locis publicis, ex præscripto legis diuinæ, tempestiuè submouent, & prorsus è medio tollunt: de qua, auctore IOAN. IACOBO *Grynæo, Facultatis Theologicæ in Basilienſi Academia Decano, die 12. Decembris respondit Marcus Beumlerus.*

ACCESSERVNT

Theses Theologicæ de vno Iehouah & tribus Elohim, auctore IOHANNE HARDIO, *Hammonensis Ecclesiæ Pastore.*

Deut. 4. 12.

Loquutus est Iehouah ad vos è medio ignis: vocem verborum vos audiebatis: at imaginem vllam non videbatis præter vocem.

CLARISSIMO VIRO, DOMINO IOANNI HARDIO, S. Theologiæ Doctori, Pastori Ecclesiæ Hammonensis, symmystæ suo, S. D.

QVum hac nostra ætate non desint, quibus ex animo dolet, quòd in Templis suarum Ecclesiarum, in quibus sonat incorrupta Euangelij doctrina, reliqua sunt Idola & alia, quæ citra magnum periculum, ægrè iam eliminari posse videntur: semper eorum nomine Deum mihi ardenter orandum censui, vt is semotis illis impedimentis, illorum Ecclesiis nitorem & libertatem concedat, & à turpi illa vanæ opinionis seruitute liberet.

Sed quum etiam sint, qui cum Euangelij professione Idolorum in Templis prostitutionem ei adiunctam, sibi defendendam putent, & satis duriter eos Principes & Magistratus qui idola abolent, per nostrum latus petant: visum mihi est, non illis μῶμον ἔκειδος obijcere, sed piorum Magistratuum zelum excusando, piæ Iuuentuti, quam in hac Schola Christus mihi erudiendam concredidit, quid de hac re ex diuini verbi præscripto sit statuendum, indicare. Cum autem semper persuasum habuerim, Deum nostrum non delectari ἀκαταστασίᾳ: sed velle vt omnia decenter, moderatè & ordinè peragantur: etsi iudicarem è Templis aliisque delubris Idola tollenda, & omninò abolenda esse: id tamen citra tumultum, nec sine moderata institutione plebis, in tempore faciendum censui: ijs potissimùm rationibus adductus, quarum breuis mentio fit in hac Disputatione, quam gloriæ Dei zelo flagrantibus Principibus & Magistratibus vsui esse, magnoperè velim.

Adiunxi autem & tuas orthodoxas Theses de vno Iehouah & tribus Elohim, quas sacræ συζητήσεως gratia, quum nobiscum hospes gratissimus viueres, conscripsisti: vt piæ Iuuentutis vsibus seruirent. Bene vale in Christo Iesu, quem precor vt tibi tuóque ministerio vbertim benedicere pergat. Cal. Decemb. 1583.

IOHAN. IACOBVS GRYNAEVS.

I.

QVVM & Patrum memoria & nostra hac ætate, pij quidam Principes & Magistratus, qui synceram Euangelij doctrinam amplexi sunt, & Papatum Antichristianum cum sua Idoloma nia missum facere cœperunt, iusto zelo pro Dei gloria commoti, exemplo sanctorum Regum Ezechiæ & Iosiæ, Simulacra imagines & alias abominationes, è Templis submoueri & confringi, ne posthac Idololatriæ adminicula essent, curauerint: nec tamen desint, qui licet Euangelium Iesu Christi profiteantur, & cæcorum duces haberi velint, Imaginum & simulacrorum istorum patrocinium, planè enimuerò Cadmeum, suscipiant, & nos, qui illorum zelum probamus, quasi de iure manu confertos vocent: quid tandem de hac Controuersia, secundum diuinas Scripturas potissimùm, veræq; Ecclesiæ Christianæ praxin & exemplum, nobis statuendum sit & agendum, Deo iuuante, exponemus.

II.

Propositum autem nobis est demonstrare, IN TEMPLIS CHRISTIANORVM, IDOLIS NVLLVM ESSE DEBERE LOCVM: hoc est, Tam non ferri debere in Tẽplis manufactis imagines, scul-

sculptilia & id genus alia simulacra muta: quàm non debet esse in Templo cordis locus vlli idolo imaginario, seu vanæ opinioni de Deo aut sanctis hominibus, eorúmque voluntate, cultu & meritis. Stat enim illud diuini Apostoli dictum: Et quæ consensio est Templo Dei cum simulacris. nam vos templum estis Dei viuentis, sicut dixit Deus, Habitabo in eis & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. 2. Cor. 6. 16. Leuit. 26. 12.

III.

Initiò autem κατασκαστικῶς, piam nostram sententiam de Idolis, è Templis nostris eliminandis, solidè confirmabimus, vt habeant veritatis amantes, Theologicæ demonstrationis basim, planè immotam, qua fides eorum tutò niti possit: deinde verò, ἀνασκαστικῶς, aduersariæ opinionis (quæ turpissimis idolis suffragatur, & εἰς κόπρων θυμῆν satagit) sophistica planéque ficulnea fulcra, subruere animus est, vt necesse sit corruere alto à culmine, quæcumque superstructa sunt ab iis, quos reuera non pudet (Idola Papistica tuendo) arcem (vt Ciceronis verbis vtar) ex cloaca facere, & lapidem è sepulcro venerari pro Deo.

IIII.

Quum autem iam non cum Papistis nobis sit negocium, sed cum iis, qui Scripturæ sanctæ auctoritate sese moueri, & sanctum Iesu Christi Euangelium profiteri, gloriantur: ante omnia monendi nobis sunt, vt re tanta diu, multum ac probè meditata nobis aliquando candidè & rotundè respondeãt ad hæc, quæ Disputationi nostræ iam præmittimus, Interrogatoria. I. An non statuæ & imagines, quas in Templis suis retinendas putant, non nisi à Papistis, non autem à Christo & eius Ecclesia, relictas, obtineant? II. An non eæ longo tempore fuerint instrumenta, peculiariter ad id vnum adhibita, vt Deus summa afficeretur contumelia, & sancti Dei homines, etiam post funera, irriderentur: & anne pios scelerum istorum adminiculis delectari pium sit? III. Anne alia sit materia, forma, efficiens, alius etiam finis Idolorum, quæ Ethnici olim coluerunt, & eorum, quæ Papistæ colunt, & quorum prostitutionem in Templis, ij, quibuscum iam agimus, probant? IIII. Quum imaginibus opere tanto delectentur, quibus moti caussis, pro libitu suo ausint, in Templis suis, vel retinere Papisticas veterum quorundã Apostolorum, Martyrum, Episcoporum aut aliorum Sanctorum imagines, vel harum nonnullis, quorum fors aspera ita fert, deletis & dispunctis, neotericorum hominum, quorum excellens virtus & sapientia fuit, imagines substituere: atque etiam his ipsis (honoris, an artis pictoriæ declarandæ gratia incertum) δημοπίθηκον ἀγγελοτόπιον aliquem, ceu honorarium Collegam, adiungere? V. An putent, minus esse pietatis in eo situm, si Magistratus & Principes pij, expressa lege Dei cõmoti, abominanda Idola destruant, & è conspectu hominum superstitiosorum submoueant: quàm sit impietatis in eo positum, si quidam Hierophantæ, θεσμοπολικῇ fascinati, contra eandem legem Dei, pro eis retinendis satagant? VI. Quo tandem tempore Mundi, exemplum illius diuortij prostitutionis Idolorum in Templis, & eorum cultus Ididolatrici, editum sit: quum sapientissimus ille Legislator, quòd sciret fabricationem prostitutionémque sculptilium & imaginum, cultum

ceu pediſſequum perinde ſequi, vt vmbra comitatur corpus: eóque nomine diſertis verbis (in quibus τὸ ῥητὸν modis omnibus, iuſtis ſanè de cauſſis, retinendum eſt) edixerit: Ne facito tibi ſculptile, aut vllam imaginem, &c. Ne incuruato te eis, neque colito ea? Exod. 20. 4. 5. VII. Maiúſne apud pios pondus eſſe debeat, Legis diuinæ, quæ præcipit vt ſtatuæ confringantur, luci ſuccidantur, ſculptilia comburantur igne. Deut. 7. 5. & 12. 3. quàm Apophthegmatis ab homine profecti: Prius idola cõcionãdo è cordibus extirpãda ſunt, quàm è conſpectu, ſponte videlicet ſua tandem corruitura, ſubmouentur? Niſi fortè Papiſtica Idola Ethnicis potiora haberi debent: & id genus abominationis in conſpectu haberi: ac nigra nota ne quidem attingi, ne fanaticus videare, debet: quod concionando ſeu iam exſtirpatum eſt è corde, vel certè radicitus exſtirpandum, è Templis tamen (ſi placet Deo) non ſubmouendum, ne qui 60. annos Euangelium audierunt infirmi, ſcandalizentur: ac præſtat hominis vnius placitum ſequi, quàm Dei ſapientiſſimi iudicium, qui & viua voce docentium, & manu Magiſtratus idololatriam & eius adminicula, magno cum zelo, citra intemperiem tamen omnem, coargui & abrogari voluit: de quibus omnibus ſeriò cogitandum erit iis, quibus hic Templorum excrementicius ornatus vſqueadeò arridet. VIII. Magíſne peccent homines fideles, quibus dolet mutis idolis in Templis eſſe locum: ſibi autem qui ſunt ad Dei imaginem conditi, ad publica Religionis exercitia decenter & ordinè peragenda, locum in iis non eſſe: ſi id animaduertentes, dolore moti, ob rei indignitatem, aduerſus Idola, ſine cæde & ſanguine, neminéque repugnante, &, vt olim Gedeon, ſuo periculo, tumultuentur: an verò Hierophantæ, illi qui protuendis, & in ſuis templis retinendis, πατροπαραδόσεις Papiſtarum Idolis, contendunt & tumultuantur, non tam aduerſus Conſeruos, ſimulacra fugienda cum Ioanne Euangeliſta docentes, quàm aduerſus Legiſlatorem Deum, qui Idola nec fingi, nec coli: ſed potius deleri, frangi, comburi & aboleri, voluit?

V.

Demonſtratio noſtram orthodoxam ſententiam confirmans, hæc eſt.

Quæ res, 1. Cacodæmone ſuggerente, à vanis 2. hominibus picta aut ficta, vſqueadeò contumelioſa eſt 3. in Deum, 4. eius verum Cultum, 5. & fideles eius Seruos tam Angelos quàm Homines, 6. & pernitioſa tã factoribus quàm Cultoribus, 7. vt ne quidem in ædibus priuatis piorum ferenda ſit: 8. Ethniciſmi quoque & Pſeudochriſtianiſmi proprius character meritò habeatur: 9. quã expreſſa lege Deus nec fieri, 10. nec etiam coli, 11. ſed confringi & aboleri, edixit: 12. quæ à ſanctiſſimis Regibus ea lege eſt abolita, vt ſi qui eius reliquias ferrent, meritò reprehenderentur: ſi qui autem prorſus eam abolerent, magnopere laudarentur: 13. in Eccleſia Chriſti primitiua nullum habuit locum: 14. à ſceleratiſſimis hæreticis initiò clanculum vſurpata, ac deinde furtim in Templa Chriſtianorum introducta: 15. ſed à piis Synodis iurè damnata: 16. à Pſeudoſynodis impiis improbè confirmata: 17. Romanum imperium horribiliter perturbauit: 18. nunquam niſi mendaciorum fuco ſophiſticè palliata fuit: 19. ab Eccleſiis, ex præſcripto verbi Dei reformatis, meritò damnata eſt:

Ea certè in Templis Chriſtianorum, quæ domus precationis, non Idolorum

lorum delubra & latronum ſpeluncæ eſſe debent, locum habere non debet.

Atqui Idola illa, à Papiſtis in Templis noſtrorum Principum & Magiſtratuum relicta: quæ certè nominibus ſolùm hominum ſuperſtitioſorum libidine impoſitis, finitione autem & vſu, ab Ethnicis Idolis, nequaquam differunt, eiuſmodi abominanda res ſunt, vt omnia illa, quæ diximus, verè de iis prædicentur.

Quare certo certius eſt, execrabilibus illis idolis nullum in Templis Euangelicorum locum eſſe debere: ſed ea, ne cui pio offendiculo ſint, mandatu optimorum & illuſtriſſimorum Principum & Magiſtratuum, è medio tollenda: nec in gratiam ſuperſtitioſorum ſeniculorum aut anicularum relinquenda: ſic vt poſteri per errorem ſuſpicari poſſint, conſcientia religionis cordatiſſimos Maiores eſſe eò adductos, Idola vt intacta relinquerent: & ἀφ' ἑστίας ἕκος efficiat, vt illi non audeant idolis tandem aliquando è conſpectu tollendis, admouere manus.

VI.

In Aſſumtione autem Demonſtrationis noſtræ, quum negocij iſtius cardo potiſſimùm verſetur, eam confirmabimus paucis, ſed ſolidè. Erit autem eorum, qui veritatis cognoſcendæ ſerio ducuntur amore & ſtudio, pluribus ea perſequi, quæ non niſi exerto digito à nobis monſtrantur, vt reipſa experiantur, & tam eſſe certa, quæ contra Idolorum in noſtris Templis proſtitutionem, à nobis, ex præſcripto diuini verbi, dicuntur, quàm quæ certiſſima ſunt: &, magnopere admirandum eſſe, quòd non pudet quoſdam, ſuſcepto eorum Idolorum, quorum cultus cauſſa Papiſtas, ceu Ididolatras, rectè inſectantur, Andabatico patrocinio, quàm ſint παρεξηνλησμένοις, ſeu extritis ingeniis, ſuo prodere indicio.

VII.

Primùm omnium iſtud nobis eſt probandum. Idola, ſeu imagines & ſimulacra, ab auctore Diabolo eſſe profecta, hoc eſt, eo ſuggerente, vt videlicet, ſub commentitij numinis prætextu & nomine, cultui ipſius propriè illa ſeruirent, eſſe introducta. Neque verò, artes pictoriam & ſtatuariam, aut artificum opera, quæ non ſeruiunt impietati, ſed politicos aut alios honeſtos habent fines, inſectamur: ſed de Idolis loquimur, quæ numen quod colitur ſeu precibus & gratiarum actione, ſeu ſacrificiis, repræſentare dicuntur.

Argumentamur autem ex ſententia Pauli, quæ ita habet: Quid ergo dico? idolum aliquid eſſe, aut quod idolis immolatum eſt, aliquid eſſe? Immò illud dico quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos participes dæmoniorum eſſe, 1. Cor. 10. 19. 20.

Certiſſimum eſt, ipſummet Diabolum, primum eſſe auctorem eius rei, quæ tantùm eò facit, vt ipſi diuinum honorem ſceleratè affectanti, & perpetuum meditanti & molienti homicidium, diuinus cultus deferatur, & vt multi eius participes fiant.

Atqui Idola & eorum cultus multiplex (de quo Paulus κατ' συνεκδοχὴν, ſpeciei, hoc eſt, ſacrificiorum mentione facta, loquitur) eò facit: vt diſertiſſimis verbis Apoſtolus oſtendit.

Sathanæ igitur, vt ſuo auctori & architecto, Idola accepta ferantur: & tandem aliquando erubeſcant, qui Idola retinentes, vitioſam conſuetudinem,

diuinæ legi hactenus per imprudentiam sibi anteferendam esse putauerunt.

VIII.

Secundò, Homines pingendo, fundendo, fingendo, aut sculpẽdo sibi Idola conficere, non eo tantùm nomine obseruandum est, ne hæc videantur auctoribus suis potiora, quando, vt rectè dixit Augustinus, inanimata idola, ne quidem cum musca, paria facere possunt: sed etiam, ne religio superstitiosa nobis sit, ea destruere ad Dei gloriam, quæ seu stolida seu improba plastæ seu fictoris manus pinxit seu finxit, & errantium multitudo, ad eiusdem veri Dei contumeliam, prostituit. Nota sunt Piis omnibus hæc dicta:

Simulacra Gentium sunt argentum & aurum, opus manuum hominum: Os est eis, & non loquuntur, &c. Psal. 115. 4. & seq.

Sicut ipsa sint qui faciunt ea, omnis qui fidit eis. Eodem Psal. v. 8.

Faber lignarius extendit lineam, delineat illud filo phœnicio, faciet illud dolabris, & circino figurabit illud, faciétque illud ad imaginem viri, iuxta gloriam hominis, vt habitet in domo. Isa. 44. 13. &c.

Si dixerint viri illi, ista dici de Ethnicis idolis: quæremus, num illa causis & vsu differant à Papisticis, quæ illi retinent & tuentur. Certè his conuenit illorum definitio: vt maximè nominibus differant. Catharinam enim Papistę malunt & appellare & inuocare, ceu eruditæ doctrinæ præsidem, quàm Mineruam: & Georgium, quàm Martem. Atqui iam non de nominibus, sed de rebus ipsis, quæstio est.

IX.

Tertiò, Idola in Deum summè contumelioſa esse, sic probo. Per Idola mutatur gloria incorruptibilis Dei in efformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium & quadrupedum: Ro. 1. 23. Vt quum æternus Pater imagine grandæui viri, comam & barbam canam & promissam habentis, & habitu splendidissimo ornati, sceptrum tenentis: Filius aliàs nudi infantuli, aliàs aliter: Spiritus sanctus, columbæ specie (qua non nisi semel repræsentatus fuit, ἐμφάσεως gratia, vt à Baptista Ioanne posset dignosci) depingitur. Contumelioſæ itaque sunt in Deum istæ imagines, & Deo execrabiles. Iuxta dictum: Quis formauit Deum, & sculptile conflauit, vt non prosit? Isa. 44. 10. Item, Cui assimilabitis Deum? & quam similitudinem disponetis ei? Item, Cui assimilabitis me, & æquabor illi, dicit Sanctus. Isa. 40. 18. 25.

Si ne quidem anima hominis, quæ tamen finita est, manu hominis depingi aut fingi potest, quantò minus delineari potest Deus, qui est Spiritus increatus & immensus, lucem inaccessam habitans, quem nemo hominum vidit, neque videre potest? 1. Tim. 6. 16.

X.

Quartò, Idola ludibrio, cultum diuinum corrumpenti, seruire, res ipsa loquitur. Vult Deus, qui Spiritus est, spiritu ac veritate adorari. Ioan. 4. 24. vult rationalem cultum sibi præstari, Rom. 12. 1. ac disertè testatus est, corporalem exercitationem paululum habere vtilitatis, at pietatem ad omnia esse vtilem, vt quæ promissiones habeat vitæ præsentis & futuræ. 1. Timo. 4. 8. Contumelia igitur sacrum illius cultum afficiunt, qui ad aras Missaticas, ceu Dei Moazim haras, Idola venerantur, vt (si Deo placet) numen quod illa repræ-

repræsentant,honore afficiant.Fingunt enim sibi ridiculum quoddam Numen,quod delubris,aris, Missis,inuocatione hominum mortuorum ac horum intercessione, idolis,scenico habitu Sacrificulorum, gestibus histrionicis,ἐθελοθρησκείαις delectetur:nequaquam sanè perpendentes illud Iesu Christi,dictum:Irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem vestram. Item, Frustrà me colunt docentes doctrinas,quæ sunt mandata hominum.Matth. 15.vers.6.& 9.

XI.

Quintò,Idola etiam contumelioſa esse in eximios Dei seruos,beatos Angelos & Homines,manifestũ est.Pro sua enim libidine pictores & sculptores Idolorum,nunc Angelũ, cuius spiritualis substantia est,instar alati Mercurij pingunt,& Raphaelem haberi dicíque malunt,quàm Gabrielem: nunc fingunt Sceleton & Fridolinum: nunc contorto corpore ad palum, & telis confixo sculpunt,& Sebastianum quendam haberi cupiunt. Quæ autem est similitudinis ratio inter Spiritum inuisibilem,qualis est Angelus, & rem seu pictam seu sculptam,quæ cerni & palpari potest? Aut quæ est proportio,inter hominem,anima intelligente & immortali præditum, sermonis & sensuum facultatibus excellentem,ac organicum corpus,miranda Dei arte confectum,habentem:& idolum inanimatum,mutum? Qua tandem maiore cõtumelia affici poterant beati Angeli & Homines, quàm quum Idolis vanissimis dicuntur repræsentari,de quibus dicitur:Et in vnum desipiunt,& stultè agunt:eruditio vanitatum lignum est.Ier.10.8.& Abacuc cap.2.18. Quid prodest sculptile,quòd sculpserit illud fictor eius:aut conflatile, quod docet mendacium,quòd speret fictor in figmento suo,vt faciat Idola muta?19. Væ dicenti ligno,Expergiscere:& lapidi silenti,Excitare:num ipse docet?en coopertus est auro & argento, nec vllus spiritus est in eo.20. Iehouah autẽ est in templo sancto suo:sileat ergo à facie eius vniuersa terra.

Si imagines eo nomine in pretio haberi debent, quòd eorum ingenia & facta referant,quorum ceu Archetyporum sunt imagines: tum verò sequitur,vel istos vanitatis & mendacij magistros fuisse,quod est impium: vel illas hosce neutiquam repræsentare, quod inconueniens est, quum imago rem exprimere debeat,cuius est imago.

XII.

Sextò, quòd Idola non modò non prosint, sed etiam obsint cultoribus suis,etsi ex antea adductis Testimoniis liquet: tamen etiam ex istis,quæ subiicimus,manifestè colligi potest.

Quis formauit Deum,& sculptile conflauit,vt non prosit.Isa.44.10.

Num mutauit gens vlla Deos,qui tamen non sunt dij:populus verò meus mutauit gloriam suam in id quod non prodest. Dicunt ligno, Pater meus es tu:& lapidi,Tu genuisti me:nam obuerterunt mihi ceruicem, & non faciem:at tempore afflictionis suæ dicent, Surge & serua nos. Et vbinam sunt dij tui quos feciſti tibi? surgant, an liberare te possint in tempore afflictionis tuæ:nam iuxta numerum ciuitatum tuarum fuerunt dij tui, ô Iehudah: Ier.2.11.27.28. Si idola nec sibi,nec cultoribus prosunt: imò si horum spem in eorum aduersis eludunt:si etiam Deum Zelotem prouocant ad vindictam

Idololatris planè ineuitabilem:tum certè eiſdem perniciosa ſunt.

Conuertentur retrorſum,pudore afficientur qui confidunt ſculptili ; qui dicunt conflatili:Eſtis dij noſtri.Iſa.42.17.

Sicut ipſa ſint qui faciunt ea,omnis qui fidit eis Pſal.115.8.Ac rectè cecinit Buchananus:

Oſcula,ſerta,roſas dæs & libamina ſaxo,
Téque cupis dici,quum facis iſta,pium:
Quid tibi pro tanta maius pietate precemur,
Quàm vt ſias numen tu quoque quale colis?

XIII.

Septimò,ne quidem in priuatis piorum hominum ædibus Idolis iſtis locum eſſe debere,ſanctiſſimorum hominum exempla teſtãtur. Iacobus Patriarcha Ethnica idola,quæ domi ſuæ offendit,& inaures, humi defodit ſub quercu,quæ erat in Sichem,vt habetur Gen.35.4.Econtrà,Michæ illi, cuius fit mentio Iudicum cap.17. peſſimè ceſſit, quòd domi ſuæ haberet ſculptile & conflatile,feciſſétque ephod & theraphim,& conſecraſſet manum vnius ex filiisſuis. Imò huius mali contagio poſtea, plurimũm obfuit toti tribui Dan,vt habetur cap.18.31.Erexerunt ſibi filij Dan ſculptile Michah,quod fecerat,cunctis diebus quibus fuit domus Dei in Siloh. Habent hoc loco pij Magiſtratus inſigne exemplum eius periculi,quod hominibus ad idolorum cultum admodum propenſis,ab Imaginibus & ſculptilibus impendet.Nam ſi illis intiò priuatis in ædibus locus contingat,non multo pòſt habituri ſunt hierophantas,qui in ipſa Templa publica,inſtar peſtilentis contagionis,vnà cum ſuo cultu,ea deducant: nequaquam cogitantes id quod verè Hieronymus in Ier.cap.10.ſcripſit:Idola portata tolluntur : fortior ille qui portat, quàm illa quæ portantur:imò in illo ſenſus eſt,in hoc figura ſine ſenſu.

Rectè itaque in Synodi Eliberinæ Canone 41,ſancitum fuit : Admonere placuit fideles,vt quantum poſſunt prohibeant,ne Idola in domibus ſuis habeant.Si verò vim metuunt ſeruorum,vel ſeipſos puros conſeruent. Si non fecerint,alieni ab Eccleſia habeãtur.Celebrata eſt hæc ſynodus in Eliberide ciuitate Hiſpaniæ,circa tempora Nicæni Concilij.

XIIII.

Octauò , Idola characterem eſſe tam Ethniciſmi quàm Pſeudochriſtianiſmi,ex hiſce dictis liquet:

Scitis vos Gentes fuiſſe,qui ad idola illa muta,prout rapi contigiſſet , abripiebamini.1.Cor.12.2.

Conuerſi eſtis ad Deum,relictis idolis,vt ſeruiretis Deo viuo & vero, 1. Theſſ.1.9.Hîc vident piæ mentes , nullum eſſe locum commenticiæ diſtinctioni de Idolis Ethnicis , & de iis quæ in Templis Chriſtianorum retineri poſſe nonnulli imaginantur. Etenim Paulus in hac antitheſi Ethniciſmi & Chriſtianiſmi,Idolis mutis,Deum verum & viuum,& illorum cultui ſuperſtitioſo & impio,pietatem,ea lege opponit , vt nulla Chriſtianis idola eſſe, perſpicuè oſtendat. Semper autem,ἀπὸ τ κοινῦ, illud repetendum eſt , Idola quę à Papatu reliqua ſunt,nomine ſolùm,non autem definitione ab Ethnicis

cis idolis differre: nec posse Papistis, qui istiusmodi Idolis cultum præstare pergunt, idololatrarum nomen verè tribui, si hisce imaginibus & statuis nomen Idolorum derogetur. Loquimur autem nunc de externa & omnium crassissima Idolomaniæ forma.

Iam verò, etiam Pseudochristianismi characterem quendam Idola esse, quis pius & intelligens vel ex eo vno non colligat, quod Ioannes Euangelista scripsit: Filioli, cauete vobis ab Idolis? 1. Ioan. 5. 21. Annon Apostolus noster, quum in vrbe Attica versaretur, sensit irritari Spiritum suum, quum videret, κατείδωλον, idolis deditam vrbem? Act. 17. 16. Scilicet hic quoque inter εἰκονομάχους referendus erat iudicio eorum, qui dum Stentoreo clamore adhibito, tum maximè aduersus viuas Dei imagines, homines inquam fideles, tumultuãtur, quando pro sua moderatione, negant tumultuandum aduersus inanimatas & mutas imagines.

XV.

Nonò, Deum disertis verbis, citra tropum, edixisse, ne quis vel pingeret vel fabricaret idola, liquet ex Decalogo.

Ne, inquit Legislator, facito tibi sculptile, aut vllam imaginem eorum quæ sunt in cœlis (in horum numero Christi crucifixi imagines esse, quis ambigat) suprà, aut quæ in terra infrà (quiescunt autem corpora Sanctorum in terra) aut quę in aquis infra terram. Exod. 20. 4. Si non fas est imagines facere, qua fronte non nisi à Papistis subministratas in Templis seu historici, seu symbolici vsus, seu denique caussa ornatus, retinẽdas esse homo Theologus pronunciabit?

XVI.

Decimò, Deum etiam cultum Idolorum prohibuisse, Decalogus testatur.

Ne, inquit Legislator Iehouah, incuruato te eis, neque colito ea: nam ego Iehouah Deus tuus, Deus fortis Zelotes sum, &c. Exod. 20. 5. Purum autem putum mendacium est, si quis nugetur, nullum planè cultum Idolis, quæ in Templis residua sunt, ab iis præstari, qui ea tuendo mirum quendam Andabatismum exercent. Quid enim? An nihil iis deferunt, quum ea quàm ornatissima, stare volunt, non in profanis ædibus, sed in sacris, in quibus toties Decalogum recitantes Pastores non erubescere solùm, sed etiam cohorrescere oportebat, quoties, vel Decalogum integrum recitantes, à mutis Idolis, in conspectu eorum stantibus, transgressionis rei peraguntur: aut omisso præcepto de idolis, à sua ipsorum conscientia redarguuntur, quòd verbo Dei derogent? Si nihili faciunt sua illa Idola, cur eorum gratia, nulla caritatis ratione habita, debacchantur in conseruos, qui legis Dei reuerentia adducti, Idola è conspectu (ne obiecta sensus moueant, & quod docendo è corde extirpandum est, prostitutũ & in conspectu positum, quodammodò regurgitet) submouent? Nec sanè satis fuerit gloriari, te cum Papistis ea non adorare, si non dubites cum iisdem ea propugnare, nulla posteritatis (quæ si deficiat à doctrina Euangelij, gratulabitur sibi Idola, tanquam Danaûm reliquias, abs te asseruatas: & conscientia Idolorum te vt id præstares, adductum fuisse, suspicabitur) ratione habita: & quando tibi maximè sapere videris, maximè cum Cybeles sacerdotibus κορυβαντιᾷν.

Vtinam verò, si quid Antiquitati piæ isti tribuunt, illa Augustini dicta secum perpendant. Quum his sedibus locantur, honorabili sublimitate, & à precantibus atque immolantibus attenduntur, ipsa similitudine animatorũ membrorum atque sensuum, quamuis sensu & anima careant, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videantur. Epist. 49. Item, Plus valent simulacra ad curuandam infelicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes habent, quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant. In Psal. 113.

XVII.

Vndecimò, Idola & eorum delubra, altaria & adminicula, destruenda esse Deum edixisse, monent hæc præcepta.

Ne te incuruato diis eorum, neque colito eos, neque facito secundum opera eorum: quin omninò demolitor eos, & omnino perfringito statuas eorum. Exod. 23. 24.

Altaria eorum demolimini, & statuas eorum frangitote, ac lucos eorum succiditote. Exod. 34. 13.

Perdite omnes effigies eorum, & omneis imagines fusas eorum perdite, omniáque excelsa eorum destruite. Num. 33. 52.

Quin potius sic facitote eis, altaria earum diruitote, & statuas earum frangitote, etiam lucos earum succidite, & sculptilia earum comburite igne. Deut. 7. 5.

Diruite altaria Gentium, & confringite statuas earum, & comburite lucos eatum igne, ac sculptiles Deos illarum succidite: sic perdite nomen eorum in loco illo. Deut. 12. 3.

Piè itaque faciunt Principes & Magistratus Euangelium Christi profitentes, quando concionibus è verbo Dei petitis, idola cordium destrui curant, & interim aras quæ Missæ seruierunt, Tabulas earum, Idola, habitum scenicum Sacrificulorum & Monachorum, è conspectu hominum submouent, destruunt & abolent, sic vt abominationum illarum, quæ ad Deũ horribili Idololatria contumelia afficiendum adhibita fuerunt, ne quidem vestigia supersint.

XVIII.

Duodecimò, A piis autem Iudicibus & Regibus, Idolorum Templa destructa esse, Idola confracta, abolita, aras disiectas & solo æquatas, testantur exempla: Mosis, qui vitulum aureum confregit, Exod. 32. 20. Dauid, 1. Par. 14. 12. Asæ, 1. Reg. 15. 13. 21. Ezechiæ, 2. Reg. 18. 4. Iosiæ, 2. Reg. 23. 14. 15.

Hos & alios eorum similes pios Magistratus, prudenter & constanter etiam hac in re imitari, officium sanctum & Deo gratum est, etiamsi γλαυκοχάσορες quidam id reprehendant.

Cæterùm hoc loco illud nobis diligenter annotandum est, etiam piis cæteroquin Regibus, istud vitio datum, quòd cum alioquin facerent id quod bonum erat in oculis Domini, tamen conniuerent ad reliquias Idololatriæ, populo adolente in excelsis. Vtinam hoc sibi dictum meminerint illi Magistratus & Ministri, qui quum antè sexaginta ferè annos Papatui nũcium piè miserint, passi sunt tamen aras, idola, habitum papisticum in sacris locum habere: & ferè vtuntur ea ratione, quæ docentibus pudorem summum incute-

re de-

re debebat, videlicet: Infirmorum rationem habendam. Quid enim? ánne nõ hactenus sic Christum prædicarunt, vt hi ex infirmis firmi tandem aliquando fierent? Porrò, quid pię Iuuentuti in mentem venire posse iudicabimus, si audiat Patrum suorum infirmitati hoc deferri, vt ne fiat quod Deus grauissimè edixit?

XIX.

Decimotertiò, In primitiua Ecclesia Christiana nullum abominandis istis aris, idolis, vestibus, gestibus & εἰδωλοθρησκείαις locum fuisse, quis superiora rectè perpendens, & Euangelicam historiam & Acta & Epistolas Canonicas Apostolorum legens, non videat? Quemadmodum autem Apostoli neque docuerunt, neque preces conceperunt, in delubris Paganorum & ad statuas: sic statuas Deo opposuerunt, & idola Deos esse negauerunt. Iuxta dicta:

Ad Gentes scribendum, vt abstineant à pollutionibus idolorum, & scortatione, & suffocato, & sanguine. Act. 15.20.

Progenies ergo Dei quum simus, non debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi, sculptili artificij aut commentationis hominum, numen esse simile. Actor. 17.29.

Quapropter dilecti mei, fugite ab idololatria. 1. Cor. 10.14. Si vitare peccata, est vitare occasiones peccandi: vtique fugere idololatriam, est fugere etiã idola, quæ sceleris illius adminicula sunt: non autem frequentare Templa, in quibus propemodum in despectum diuinæ legis, idola, aræ Missaticæ, & alia locum habent, & suos etiam patronos habent.

Quæ est consensio Templi Dei cum simulacris? nam vos templum Dei viuẽtis estis. 1. Cor. 6.16. Sicut se habet Deus ad internum cordis templũ, ita se idem habet ad publicam precationis domum. Atqui in illo non fert idolum aliquod νοητὸν: ergo nec in hoc fert eius quoddam symbolum, videlicet αἰσθητὸν idolum.

Conuersi estis ad Deum, relictis Idolis, vt seruiretis Deo viuo & vero. 1. Thess. 1.9.

XX.

Operæpretium autem erit hoc loco, è multis vnum aut alterum vetustatis Ecclesiasticæ Testimonium, quo indicatur, post Apostolorum tempora, nullum Idolis in Templis Christianorum aliquot seculis locum fuisse: & quum in quædam templa nonnulla irrepsissent, improbata fuisse Episcopis orthodoxis.

Clemens Alexandrinus in Paræneticо: Nobis, inquit, apertè vetitum est, artem fallacem exercere. Non facies, ait Propheta, cuiusuis rei similitudinẽ, eorũ quæ sunt in cœlo, & quæ sunt in terra infrà. Item: Nobis non est imago sensilis, de materia sensili, sed quæ percipitur intelligentia. Deus enim, qui solus verè est Deus, intelligentia percipitur, non sensu.

Idem in lib. 6. Strom. Nobis, ait, nullum est simulacrum in mundo, quoniam in rebus genitis nihil potest referre Dei imaginem.

Consultò omitto dicta Cypriani martyris, qui de vanitate Idolorum ex professo scripsit: Tertulliani & aliorum, qui ea lege in Ethnica Idola inuecti sunt, vt interim nulla in Templis Christianorum & esse & inferri debe-

re ostenderent.

Ælij autem Lampridij verba ad Constantinum Augustum, cognomine magnum, ideò adscribam, vt videant veritatis amatores, temporibus Hadriani Imp. nullum imaginibus locum fuisse in Christianorum Templis. Hæc autem illius verba sunt in vita Alexandri Seueri Imperatoris:

Christo templum Alexander facere voluit, eúmque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris fieri iusserat: quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato euenisset, & templa reliqua deserenda.

XXI.

Decimoquartò, A sceleratissimis hæreticis Idola initiò domi clanculum habita esse, & ea deinde furtim, Episcopis quibusdam non admodum vigilantibus, in Templa irrepsisse, ex his fide dignis Irenæi Martyris & Epiphanij testimoniis liquet.

De iis, qui tempore noui Testamenti omniũ primi Idola, velut lares domesticos, clàm habuerunt, Irenæus lib. 1. contra Valent. cap. 24. Carpocratiani hæretici, ait, Gnosticos se vocant, & imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam à Pilato illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis & Aristotelis & reliquorum: & reliquam obseruationem circa eas, similiter vt Gentes, faciunt.

Ex his Irenæi verbis, Idolorum istorum patroni discant, quos hæreticos auctores suæ opinionis habeant: & desinant Pharisæis id tribuere, quod de tollendis imaginibus Deus expressa lege sanxit.

Nequaquam autem, hoc quidem loco, nobis prætereunda sunt illa Epiphanij verba, quæ in illius ad Iohannem Hierosolymitanum Episcopum Epistola, quam beatus Hieronymus Latinam fecit, extant.

Præterea quòd audiui quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, & venissem ad villã quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi LVCERNAM ardentem, & interrogassem, quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiã, & intrassem vt orarem: inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ, tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi CHRISTI, vel SANCTI cuiusdam. Non enim satis memini, cuius imago fuerit. Quum ergo hoc vidissem, in Ecclesia Christi, contra AVCTORITATEM SCRIPTVRARVM hominis pendere imaginem: scidi illud, & magis dedi consilium custodibus illius loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent & efferrent. Illíque contra me murmurantes, dixerunt: Si scindere voluerat, iustum erat vt aliud daret velũ atque mutaret. Et paulo pòst hortatur Iohannem, vt suis præcipiat, ne in Ecclesia Christi, istiusmodi vela suspendant, quæ contra RELIGIONEM nostram veniunt.

Quid Epiphanius nostra ætate diceret, si quædam Templa eorum qui Euangelium longo iam tempore professi sunt, ingressus, tot cereas ardentes,

tot

tot ſtatuas & picturas, & eiuſmodi apparatum ſcenicarum veſtium, conſpiceret? Equidem vt illorum vicem commiſeror, qui non poſſunt mederi huic malo, vt maximè id vehementer cupiant, quòd ſine motu ingenti & periculoſo id non poſſe fieri, aniuaduertant: ſic hortor eos, quibus Papiſticæ illæ ſordes & quiſquiliæ ſic arrident, vt retinendas & ſophiſticè tuendas putent, vt Epiphanij, Auguſtini & aliorum conſentientiū de Idolis eliminandis doctorum iudicia, ſuæ opinioni tandē aliquādo diſcant anteferre.

XXII.

Quintodecimò, A piis autem Synodis meritò improbatam eſſe Idolorum in Templis proſtitutionem, quæ ſpirituali ſeruit adulterio, vel vnicus hic Canon 36, Concilij Eliberini (qui quum Scripturæ auctoritate nitatur, multorum inſtar eſt) abundè teſtatur.

Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod COLITVR aut ADORATVR, in parietibus DEPINGATVR.

XXIII.

Sextodecimò, Imagines & idola à Pſeudoſynodis impiè approbata eſſe, abundè teſtatur illa Synodus opinione Græcorum 7. Oecumenica, quæ celebrata fuit Nicææ (non illa vrbe Bithyniæ) anno Domini 781, imperantibus Conſtantino & Irenæ eius matre.

In eius autem Pſeudoſynodi Actis obſeruari illud debet, imagines Patrum traditioni acceptas tuliſſe, & adorandas cenſuiſſe, bellos iſtos Epiſcopos. Baſilius Ancyræ Epiſcopus, mutata ſententia (vt ſunt quorundam ἑτέραι φρονηΐδες μωρέπεφοι) & abiecta veritate Anathematiſmo ſuo ſecundo ait: Qui inquiunt diabolicarum inſidiarum inuentum ſacrarum Imaginum culturam & ædificationem, nequaquam autem ſanctorum Patrum noſtrorum traditionem, execratio.

Taraſius patriarcha Conſtantinopolitanus reſpondit: Nos Patrum præceptis imbuti, ſic confeſſi ſumus & confitemur, concordamus, & vim literarum lectarum confirmamus, & Imaginum picturas ſecundum priſcam Patrum traditionem recipimus, & has deſiderio noſtro adoramus, vt in nomine Chriſti Dei noſtri, & intemeratæ Deiparæ virginis, ſanctorum Angelorum & omnium Sanctorum factas: ſed apertis verbis teſtamur, nos duntaxat in vnum Deum verum latriam, hoc eſt, cultum & fidem noſtram, referre & reponere.

Sancta Synodus reſpondit: Vniuerſa ſancta Synodus ſic credit, & ſic docet. *Iuxta illud: Errantium multitudo*, non parit *errori patrocinium.*

Si quis autem & ea quæ orthodoxi quidam aduerſus Imagines & eorum cultum in ea Synodo argumenta adduxerunt, & ſophiſticas Antagoniſtarū eluſiones, diligenter perpendet, animaduertet id tum quoque factum, quod vulgò dici ſolet: δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν, Opinio vim facit veritati. Sed tamē in illa Synodo videre eſt, illos Patres, Imagines non ſolùm in Templis retinendas eſſe, ſed etiam adorandas cenſuiſſe.

Argumenta eorum, quibus & habendas & adorandas imagines docuerunt, huius farinæ fuerunt.

Deus creauit hominem ad imaginem ſuam. Item: Oſtende mihi faciem tuam. Sunt igitur habendæ Imagines: opinione Iohannis Legati Orientis.

Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. Locus igitur eſt cereis ardentibus in aris: vt alius voluit.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Prodeſt ergo intueri ſimulacra.

Patriarchæ Ethnicorum ſacrificiis vſi ſunt. Habeant igitur & Chriſtiani, loco Idolorum Ethnicorum, imagines ſanctorum.

In ſacris literis mentio fit adorationis Pharaonis, Ioſephi & multorum aliorum. Sunt igitur & imagines adorandæ.

Archidiaconus Theodoſij Mirenſis Epiſcopi, ſomnio monitus, docuit adorandas eſſe imagines, hoc non reclamante. Sunt igitur adorandæ.

Blaſphemæ autem voces eiuſdem Synodi Pſeudepiſcoporum fuerunt inter alias.

Theodoſius Amori Epiſcopus, Anathema ſit, qui negat adorandas eſſe imagines.

Alius, Calamitatum orientis & occidentis cauſſa eſt, intermiſſa Imaginum adoratio.

Si Imagini Imperatoris odorum vapor ſpargendus eſt, quídni & Sanctorum ſimulacris?

Conſtantius Epiſcopus Conſtantiæ Cypri: Imagines reuerenter amplector: cultúmque qui viuificæ Trinitati debetur, eis defero: diſſentientes alienos duco velut Manichæos & Marcionitas.

Ioannes Legatus Orientis: Præſtat lupanaria in vrbes admittere, quàm excludere cultum imaginum.

Synodus Idololatrarum, Gaudeant, clamauit, & exultent, qui Chriſti habent imaginem, & ei ſacrificium offerunt.

XXIIII.

Decimoſeptimò, Impiam autem defenſionem tam proſtitutionis Idolorum in Templis, quàm eorum cultus, Romanum imperium olim vnà cum Eccleſia Chriſtiana horribiliter perturbauiſſe, hæc quæ ſubiecimus ſatis teſtantur.

Quum anno Chriſti 725, Leo Iſaurus, Imperator Orientis, Imagines Sanctorum deſtruere & abolere cœpiſſet, Gregorius 2, Papa Romanus, ei ſeſe oppoſuit ſuſcepto patrocinio Idolorum, ac tributo Italiæ & Romæ eum prohibuit: miſſa etiam decretali Epiſtola monens, non eſſe Imperatoris, de fide ſtatuere, aut vetera Eccleſiæ decreta à ſanctis Patribus facta conuellere: vt Cedrenus, principi illi ob Idola infeſtus teſtatur: qui affirmat, Leonem in ea fuiſſe ſententia, non eſſe adorandas imagines, Deiparam & Sanctos pro interceſſoribus non habendos, reliquias Sanctorum non eſſe ſuperſtitioſo cultu proſequendas, &c. Extat etiam commemorabilis eiuſdem Imperatoris ſententia ad Germanum Patriarcham, qua teſtatus eſt, Imagines ideò non adorandas, ne cultus ſoli Deo debitus aliò transferatur. Sed præter Gregorium Romanum, & Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham, alij quidam Imperatori aduerſati ſunt Epiſcopi: Ioannes autem Damaſcenus, σοφὰ φάρμακα, quibus cultum Imaginum tueretur, tum temporis excogitauit.

Anno Chriſti 741, Conſtantinus, Leonis filius, qui ab Idolorum patronis per contumeliam Copronymus dictus fuit, cœpit imperare. Hunc verò exagita-

gitauerunt Idolorum assertores, quòd idola adorari nollet, quòd negaret Mariam virginem adorandam, vt pro nobis intercedat, quòd reliquias sanctorum non coleret. Atqui piè sensit Imperator: & eo nomine laudādus est, quòd indicta Constantinopoli Synodo 338. Episcoporum, qui rectè sentiebant, decreta pia de Imaginibus abolendis, de Sanctis pro intercessoribus non habendis, fieri & promulgari curauit.

Quod autem Hydra illa idololatrica multos haberet applausores, iusto zelo motus, anno Imperij sui xxv, Stephanum Monachum, primores quosdam & milites pœnis affecit, quòd imaginibus supplicassent: & Monachos, qui Idololatrarum triarij erant, strenuè coercuit, aliis, vt mariti fierent, imperās, alios verò, propter idololatriam & contumaciam, pœnis afficiens.

Leo Constantini illius filius, anno Christi 775 imperare cœpit. Huic etiã Irene coniunx idolorum caussa clàm est aduersata, contra datam fidem. Sed quum deprehendisset Imperator duas imagines in puluinari vxoris, eam grauiter increpàuit, ac tandem missam facere cœpit: Papiam autem palatinũ, & alios primiceriorum, quòd idola illa furtim in palatium tulissent, supplicis affecit. Manifestum autem est, hanc tragœdiam non parum turbasse aulam Constantinopolitanam & Remp.

Anno Christi 780, Constantinus & Irene mater illius imperare cœperũt. Anno autem gubernationis eorum 8, celebrata est illa, de qua diximus, Synodus Nicena, 350 Episcoporum Idolis fauentium, qui imagines cum cruce adorandas censuerunt. Vtinam autem vel horum errore moti, ij qui Idola in Templis putant retinenda, hoc discant, vel ea cultu prosequenda esse, quando loco honoratissimo prostituuntur: vel abolenda esse, & è conspectu submouenda, siquidem cultu indigna sint.

Sub Micaelo, Theophili Imperatoris filio, opera cuiusdam Manuelis, reuocata sunt in vsum simulacra & eorum cultus, ac Concilium celebratum, in quo eorum cultus comprobatus, Ioannes Patriarcha rectè sentiens dignitate priuatus, Methodius autem illius in locum substitutus fuit.

Sed nõ libet pluribus ista persequi, quãdo ex iis quæ dicta sunt, κεφαλαιωδῶς liquet, defectione Romæ & Italię, Monachorum & aliorum tumultibus, Antisynodis, vehementer turbatam esse Rempub. & Ecclesiam: & quidem vanissimorum idolorum caussa.

XXV.

Decimooctauò, Nunquam autem alio quàm mendaci & sophistico fuco, Idola & eorum cultum, ornatum & propugnatum esse, res ipsa loquitur. Initiò enim fuerunt, qui Iesu Christi effigiem cũctis amabilem fore persuasum haberent, ac eam ob caussam memoriæ caussa spectandam proponerent: mox accesserunt, qui aliorum imagines, vt Prophetarum & Apostolorum, addendas putauerunt, ne illa sola (si deo placet) aut euanescceret, aut inhonorata videretur. Sequuti sunt, qui illam maiore quàm has, cultu dignam esse contenderent. Hi correctores opinionis suæ non multo pòst nacti sunt, qui dicebãt, ne quidem has honore indignas esse. Irrepsit postea furtim, & multorum animos peruasit hyperbole, de imaginibus adorandis. Hæc, quũ maximas turbas concitauisset, constanter ei reclamantibus orthodoxis, tandem Sophistis quibusdam apud Græcos imposuit necessitatem confingendi distinctionem inter picta & inter sculpta aut fusa Idola. Sed eam Romana Ecclesia nunquã adprobauit, ac eo nomine nõ minus picta quàm sculpta Idola

ad cultū proſtituit. Quum iam ἐρημοδικια obtinuiſſet, & deplorata cauſſa Idolorum, inualeſcente hoc ſeculo Chriſti Ieſu Euangelio, eſſe cœpiſſet; quidā, quos certè minimè omnium oportuit, eorum cadmeam defenſionem ſuſceperunt, certa tamen lege, vt non quidem adoranda dicerent, ſed tamen hiſtorci & ſymbolici vſus, & ornatus cauſſa, putarent in Templis retinenda. Sed de horum argutiis paulo pòſt dicetur: nunc ſatis fuerit iſtud dixiſſe, neminē ſani iudicij hominē, & in Eccleſię Chriſtianę hiſtoria mediocriter verſatū, iſta poſſe negare, quæ ſaltē attigimus de Idolorū ſophiſtica defenſione.

XXVI.

Poſtremò, Ab Eccleſiis verò, ex præſcripto verbi Dei reformatis, optimo conſilio reiecta & abolita eſſe Idola, quis tandem ignorare poteſt? Etſi autē in nonnullarum regionum & ciuitatum, quæ Euangelium Ieſu Chriſti amplexæ ſunt & profitentur, Templis, proh dolor, imagines quædam hactenus relictæ fuerunt; tamen ſpes eſt futurum, vt exemplo aliarum Eccleſiarum, ex diuinæ legis præſcripto reformatarum, ab Illuſtriſsimis Principibus & laudatiſsimis Magiſtratibus, illæ ſubmouēātur: quo etiam nomine piis (quibus dolet, quòd in conſpectu eas hactenus habuerunt) exorandus eſt Deus, qui corda Regum in ſua manu habet, vt ea illuſtret & accendat egregio zelo, vt Ioſiæ exemplo abominationes iſtas tollant è medio, nec Papiſmi veſtigium in Templis ſuis ſupereſſe patiantur.

XXXVII.

Quum aſſumtio Demonſtrationis noſtræ ſolidè & perſpicuè ſit tum illuſtrata, tum comprobata: ac proinde de Concluſione (quæ hoc ſibi vult, Idolis non eſſe locum in templis Euangelicarum Eccleſiarum) nemini pio dubium eſſe poſsit: reſtat vt ἀνασκευαστικῶς diluamus ſophiſmata eorum qui Idola in Templis retinenda quidē eſſe, ſed tamen neutiquam adorāda, opinantur. Libet autem Syllogiſmi vnius complexu, præcipuas eorum cauillationes & προφολογίας, primùm complecti; deinde, ſingillatim confutare, quaſdā etiā recitare ſolùm, quando (quū ſint ſine calce harena) manifeſta eorum vanitas eſt.

Quæ res 1. nec idolum eſt, 2. ſed quiddam indifferens, 3. ac prodeſt etiam ad inſtitutionem hominum imperitorum, 4. & veteris Teſtamenti exemplis comprobatur, 5. & denique Templis ornatum aliquem præſtat: illa non eſt è Templis eliminanda & abolenda.

Imagines autem quiddam eiuſmodi ſunt. Ergo, &c.

XXVIII.

Ad primum Sophiſma ſic reſpondeo. Vbi Lex non diſtinguit, ibi nec nos diſtinguere debemus. Atqui inter imagines iſtas & idola Lex nō diſtinguit, Exodi 20. 4. nec alia eſt materia, aut alia forma artificioſa, Idolorum Ethnicorum, & eorum quæ à Papiſtis accepta iſti retinent (loquimur de imaginibus hominum) nec aliæ ſunt cauſſæ efficientes, Pſal. 115. 4. & ſequentibus: & vtraque in Templis potiſsimùm cultus cauſſa proſtituta fuerunt: adde, quòd ij, qui idola retinentes, ea tamen ſe adorare negant, eorum ipſorum idolorū nomine Papiſtas idololatriæ reos peragunt. Certum itaque eſt, imagines illas eſſe idola, quæ Deus nec fieri vult, nec coli.

XXIX.

XXIX.

Secundò, Mendacium impudens est dicere, Idola, esse rem quandam indifferentem, quæ etiam eam ob caussam locum in Templis habere possint. Sic autem κατὰ βίαιον argumentamur.

Quæcunque res expressa Dei lege vetita est, ea nequaquam est indifferens.

Idola autem, quæ illi imagines appellare malunt, expressa lege Dei sunt prohibita: vt ex superioribus liquet.

Quare idola seu Imagines illæ, non sunt res indifferens: & per consequẽs, non sunt in Templis ferenda.

XXX.

Tertiò, Aut falsum est dicere, quòd idola illa in Tẽplis prostituta aliquid (vsu historico & symbolico) ad erudiendos imperitos homines conferant: aut fatendum est, Deum lege expressa eo interdixisse homini, quod ad eius institutionem egregiè facere poterat.

Consequens autem hoc blasphemum est, primùm quia inuidiæ notam Deo summè κοινωνικῷ καὶ ἐπιχαιρεκακῷ aspergit: deinde, quia in Veteris & Noui Testamenti ministros contumeliosum est, vt quod fingit illos viuæ vocis ministerio contentos fuisse in Verbi & Sacramentorum dispensatione, neglecto Imaginum magisterio, quo tamen, si Deo placet, Ecclesiæ summoperè opus erat: tertiò, quia furenter reclamat oraculis, in quibus Idola dicũtur vanitatem & mendacium docere, dum nihil docent, Abac. 2. 18. 19.

Ergo Antecedens, quod fingit, Idola esse laicorum libros, mendacium est putidum: ac neutiquam nobis recipiendum, etiamsi in Idololatrarum gratiam centies millies dixisset Damascenus: ἀπόμνημα γάρ ἐστιν ἡ εἰκὼν καὶ ὅπερ τοῖς γράμμασι μεμνημένοις ἡ βίβλος, τοῦτο τοῖς ἀγραμμάτοις ἡ εἰκών.

XXXI.

Quartò, miseret me profectò eorum, qui, pro tuendis suis Imaginibus, ita licentiosè & halopanticè argumentantur.

Imaginum vsus exempla tum apud Ethnicos in promtu sunt, tum in sacris literis; Gen. 28. 18. de lapide à Iacob in titulum erecto: Ios. 4. 6. de duodecim lapidibus, qui essent memoriale transitus populi per Iordanem: Iosue 22. 10. de ara & dimidia in eiusdem religionis monimẽtum exstructa: 1. Sam. 19. 13. de statua Dauidis à Michol in lectum posita.

Ergo hoc fine historico picturas & in libris & in Templis retineamus.

Si ita argumentari licet, cur non ruri & ad vada fluuiorum suas imagines vsus eiusdem gratia, ponunt, & saxa in Templis imaginum vice collocant? Item, cur non superstitum statuas, è domibus priuatis, in Templorum adyta portant: sed contenti sunt mortuorum imaginibus, quorum architecti Papistæ fuerunt? Cur etiam Idola lectisterniis & culcitris non imponunt?

Sed stramineo illi Achilli magnum à veritatis igne periculum imminet, quod certè non nisi ad Græcas Calendas auertere poterunt illius fabri.

XXXII.

Quintò, sic argumentatur quidam, quem rectius à sacra Theologia licentiatum absolutum dixeris, quàm magistrum theologiæ. Id quod ornatum aliquem præstat Templis, locum in iisdem habere potest. Argumen-

to sunt, ornatus Templi Salomonis, Cherubini, variæ cælaturæ, varia sculptura, duodecim boues, &c. Atqui & imagines Templis nostris ornatum aliquem addunt. Quare eis locus in Templis esse potest.

Respondeo primùm ad Maiorem, per Erotema: Si ergo, ὦ λῷστε, ornatu externo vestris Templis opus esse putas, cur eum à Papistis potius, quàm à Salomone, tibi petendum opinaris? Nisi fortè vitiosa consuetudo fecit, illos potius imitari vt tibi consultum videretur, quàm hunc, qui post homines natos omnium fuit sapiẽtissimus. Salomonis vestigiis si tibi hac in parte insistere libet, cum Leuitici cultus obseruatione, regium illum apparatũ coniungito, Mare æneum, boues, Cherubinos in Templis vestris ordinè collocato. Sin verò Papistarum λείψανα & reliquias retinere animus est, ne πρὸς μέλῳ ducas argumentum à Salomonis fabrica & apparatu, ad agrestia illa idola. Sed si Conseruos Deum timentes audire mauis, da operam, vt in Tẽplis vestris, citra scenicum apparatum, ordinè & decenter peragatur Verbi diuini & Sacramentorum, ac precum dispensatio: ac tum non deerit ornatus Templis, multóque minus Ecclesiis vestris. Porrò, in Minore principij petitionem esse, quum etiam discipuli tui facilè animaduertant, prudentiæ tuæ fuerit, eiusmodi argumentis non vti, ne multa fortiter affirmare, sed interim, ne quidem timidè probare, videare. Constat enim, in Scripturis diuinis Idola abominationes & sordes vocari (quæ certè non solent ornamentũ prẽstare) constat Idola à piis Magistratibus & Prophetis esse abolita. Itaque præstabit, si cum sancta matrona Rachele (ea Camelorum stramento fimóque substernente) illa abolere studio habeas, quàm cum Baalitis & Papistis in Templis, locis honoratis, collocare, sic vt te concionante, auditorum oculos decipiant, animos eorundem furtim occupent, efficiántque vt magis artificium, materiam, manus pretium & alia, quàm institutionem & admonitiones tuas perpendant. Quòd si detur, senibus cordatis nihil tale euenire posse; quid tamen Iuuenibus in mentem venire possit, res ipsa nobis tacentibus, loquitur: & tute, si in seueriore theologia (quod equidem opto) seriam operam posueris, aliquando intelliges & fateberis.

XXXIII.

Ex iis, quæ non nisi manifestæ veritatis asserendæ gratia nobis dicta sunt, luce meridiana clarius euadit, id quod initio diximus, videlicet, piè facere Illustrissimos Principes & sapientes Ciuitatum gubernatores, quando docentium voce, adductis Scripturæ testimoniis, & sua auctoritate manúque, Idola è cordibus exstirpant, &, ne vel huic ætati, vel etiam posteris relicta vllo modo obsint, ea è conspectu summouent & abolent, citra tumultum & intemperiem, καὶ ἀναμαπὶ, non tamen ἀκονιτὶ. Sed de his, Deo volente, in ipsa Disputatione pluribus erit agendum. Basileæ, Cal. Decemb. 1583.

PROBLEMA.

Quæritur, plúsne mali in eo sit, si cum paucorum Euangelio aduersantium scandalo, idola è Templis à fidelibus semel summoueantur, conniuente Magistratu: an verò in eo, si consentiente Magistratu & multitudine retineantur in Templis, contra expressũm Dei præceptum, sic vt longi post reformationem temporis præscriptione subnixa, toti posteritati sacra propè & inuiolabilia, & à Ministris Euangelij propugnanda esse videantur?

DE

DE VNO IEHOVAH IN TRES ELOHIM distincto, Theſes Theologicæ, in Baſilienſi Academia, à IOANNE HARDIO, *Hammonenſis in Vueſtphalia Eccleſiæ Paſtore conſcriptæ, & à Decano Facultatis Theologicæ,* IOAN. IACOBO GRYNÆO *adprobatæ, vt de ijs ſacra συζήτησις inſtitueretur, Anno 1583. Menſe Nouembri.*

I.

De vnitate eſſentiæ diuinæ.

Vnus tantùm eſt verus, omniúmque ſeculorum æternus & perfectus Deus Iehouah.

CONFIRMATIO EX DEI VERBO.

Deut.4.35.6.4.

Audi Iſrael, Iehouah Elohim (dij noſtri) Iehouah vnus eſt.

Ieſa.45.5.

Ego Iehouah, & non amplius: præter me non Elohim.

Mar.12.29.& 30.

Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.

1.Cor.8.4.

Nullus eſt Deus, niſi vnus.

Ioan.17.3.

Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te eſſe illum ſolum verum Deum.

Exod.3.16.

Qui eſt miſit me ad vos.

Ieſa.43.10.& 44.6.

Ego ſum primus & nouiſsimus, & præter me non eſt Deus.

Apocal.1.17.

Ego ſum primus & nouiſsimus.

II.

De Trinitate perſonarum diuinarum.

Tres ſunt in illo Iehouah Elohim ſeu perſonæ veræ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

CONFIRMATIO EX DEI VERBO.

Gen.1.1.

In principio creauit Elohim cœlum & terram.

26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram

Matt.28.19.

Baptizate in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

Ioan.1.1.

In principio erat Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo.

1.Ioan.5.7.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Sermo ille, & Spiritus ſanctus, &c.

III.

De personarum distinctione.

Hi tres Elohim, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, verè, id est, personaliter inter se sunt distincti, ita vt vnus non sit alius.

CONFIRMATIO EX VERBO DEI.

Iesa.6.3.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, &c.

Idem de Filio, Ioan.12.41.

Hæc dixit Iesaias, quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo, &c.

De Spiritu sancto, Actor.28.25.

Benè Spiritus sanctus loquutus est per Iesaiam ad Patres nostros, &c.

Matth.3.16.

Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.

17. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, &c.

Luc.1.33.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, idcóque quod ex te nascitur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

IIII.

De trium personarum deitate.

Vnica numero est trium illarum diuinarum personarum essentia, eiúsque essentiæ attributa propria seu essentialia sunt in singulis personis vna quoque numero & eadem, &c.

CONFIRMATIO EX DEI VERBO.

Zacha.14.9.

Et erit in die illa Iehouah in Regem super omnem terram.
In die illa erit Iehouah vnus, & nomen eius vnum, &c.

Ephes.4.

Vnus Deus & Pater omnium.

Coloss.1. 1.Ioan.5.7.

Et hi tres vnum sunt, &c.

V.

De nominibus siue vocibus, Vnitas, Trinitas, Persona & Essentia, &c.

Hæc nomina Trinitatis, Vnitatis, Essentiæ, Personæ, primò originē à Scripturis habēt, deinde à Patribus omnibus, etiam vetustissimis, piè vsurpātur.

CONFIRMATIO EX DEI VERBO.

1.Ioan.5.7.

Tres sunt in cœlo, Pater, λόγος & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

Iesa.6.3.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth.

Ioan.10.30.

Ego & Pater vnum sumus.

Exod.

Exod.3.14.

Nomẽ meũm est, ὁ ὤν, ille qui est.

Heb.1.3.

Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.

COROLLARIVM.

I.

Trinitatis ratio in personarum numero est, non in ipsa essentia diuina.

Concil. Tol.2.

II.

Dici debet Trinitas, non triplex Deus, nec triplex Deitas.

Concil. Tol.2.

III.

Personæ diuinæ à seipsis neque æternitatis, neque operationis ratione possunt separari.

Concil. Tol.2.

IV.

Trinitas neque est compositus, neque aggregatus, neque confusus Deus.

Concil. Tol.2.

V.

Aliud & aliud non est in Trinitate diuina.

SOLI DEO LAVS ET GLORIA.

THEOREMA THEOLOGICVM, DE SANctorum patria, è S. Bibliis petitum, de quo ad diem 9. Ianuarii, in Disputatione Theologica, præside IOAN. IACOBO GRYNÆO, *respondit, Deo iuuante,*

Petrus Pagetus.

AD

DN. CHRISTIANVM BARNECOVIVM, *Danum, virtute, ingenio, nobilitate familiæ eminentem.*

*Hebr.*11.13.14.

Secundum fidem mortui sunt (Patriarchæ isti) omnes, non adepti promissa: sed fide ea conspicati: postquam credidissent, & amplexi essent, ac professi fuissent, se aduenas & hospites esse in terra. Nam qui hæc dicunt, palàm ostendunt se Patriam quærere.

AVGVSTINVS.

Cui peregrinatio dulcis est, nõ amat patriã: si dulcis est patria, amara est peregrinatio.

Plato Socratem introducit his verbis alloquentem Axiochum.

Ἀνὴρ τοσόσδε πρὸς χρόνῳ καὶ πάσῃ λόγων, καὶ εἰ μηδὲν ἕτερον, ἀθλιώτατος, ὅτι τὸ κοινὸν δόξαν τοῦτο, καὶ πρὸς ἅπαντας θρυλλούμενον, παραπλήσιά τίς ἐστιν ὁ εἰδώς, καὶ ὅτι δεῖ θᾶττον διαλαγχάνοντας, ἀθύμως μόνον καὶ μαλακίζοντας εἰς τὸ χρεὼν ὀφέναι. τὸ ὃ ἥκιστα μαλακῶς καὶ δυσπαθῶς ἔχειν ψυχῆς δίκαιον, ἃ πρέφουσαν ἡλικίαν ἔχει.

Quid igitur Christianis, de patria cœlesti à Spiritu Christi edoctis, mortem tamen nimium metuentibus dicendum erit?

VERE NOBILI, DN. CHRISTIANO BARNECOVIO, GENTE DANO, S. P. D.

Electorenimuerò mirificè, BARNECOVI *nobilissime, illa commemorabili sententia Pausaniæ,Spartani Regis,quæ apud Herodotũ in Calliope exstat:* ἀποχρᾷ δέ μοι Σπαρτιήτῃσι ἀρεσκόμενον, ὅσια μὲν ποιέειν, ὅσια δὲ καὶ λέγειν, *Mihi hoc satis est,si Spartanis meis placeam,sancta tum faciens,tum dicens.*

Quum enim vox diuina nobis edixerit,vt ea solùm cogitemus, dicamus & faciamus,quæcunque sunt iusta,veneranda,pura,amabilia,boni nominis,si qua virtus & si qua laus est,Phil.4.8.illo sanè heroico dicto & delector & sæpè vtor, sed nonnihil tamen mutato,sic vt dicam: Ἀποχρᾷ δέ μοι Χειρὶ ἀρεσκόμενον, ὅσια μὲν ποιέειν, τ' ἀληθῆ δὲ λέγειν. *Quod enim(vt Dauidis vtar verbis)ad me attinet,appropinquare Deo mihi bonum est : posui in Domino Iehouah refugium meum, vt enarrem omnia opera eius, Psal.73.28.*

Eo sanè consilio in Theologicis Lectionibus & Disputationibus,stultas & ineruditas quæstiones reijcio,sciens eas gignere pugnas,2.Tim.2.23.ac assiduè repeto illud Dauidis: Explora me Deus,& cognosce cor meum: & examina me,& cognosce cogitationes meas.Et vide an via irritationis sit in me, & duc me per viam seculi, Psal.139.23.24.Non enim parui facio piorum iudicia,homo,si quisquam alius,ab ἰδιογνωμοσύνῃ alienus:nec etiam velim aliter erga me affici nonnihil diuersa sentiẽtem,quàm ipse modestè dissentire ab aliis mihi nonnunquam iure fásque esse censeo, quando auctoritate eius Magistri,quẽ æternus Pater nobis dedit, & in cuius solius verba omnes pij iurauimus,motus,non planè aliis subscribo: & eius rei rationes, è Scripturis petitas, ὀπαδικῶς *reddo:neminem interim,in quo aliquid Christi esse video,lacessens : sed potius veneratione præueniendum statuens : & hoc persuasum habens, sacro silentio piis vtendum,quum est hora potestatis tenebrarum, & est,qui si acrius resistas, pugnando,sui ipsius, rei & finis immemor sit futurus, eoque pacto & sibi & Ecclesiæ parum profuturus.*

Deo autem grata,quum omnibus piis dicenda sint & facienda:confido pios,non solùm candidos æstimatores esse meorum laborum, quos eruditendæ Iuuentutis gratia sustineo,Deo grata & Ecclesiæ necessaria & salutaria docendo, sed etiam religiosis suis ad Deum precibus,me adiuuare, & mihi multísque aliis donorum Spiritus sancti incrementa,animíque & corporis vires,impetrare. His certè votis me adiutum esse plurimum,in Domino Iesu persuasum habeo: & eo nomine,etiam conscientia infirmitatis meæ excitatus,plurimum me eximiis Dei Seruis debere, & intelligo, & libenter profiteor.

Hanc verò,de Sanctorum patria Disputationem,gloriæ Dei & veritatis illustrãdæ gratia,à me institutam & conscriptam,magis magísque efflorescenti tuo nomini,potissimùm inscribere visum est,generose D. CHRISTIANE, *non tam vt esset nostræ consuetudinis(amabili conuictu & eruditis,ac in primis historicis,Colloquijs,contractæ)*μνημόσυνον *quoddam:nec enim de amicitia & tua erga me benevolentia, vnquam mihi dubium erit,quando* ἡ φιλία τῶν βεβαίων *est, quemadmodum* ἡ δὲ κακονοία τῶν ἀνταρκῶν, *vt Plato præclarè dixit:sed,vt memorem monerem, de cœlestis Patriæ meditatione iugi,& eiusdem ardentissimo desiderio,quorum vtrumque non tantùm Heroici tui parentes,qui in illam,Christo duce & auspice,iam euaserunt,suo exemplo : sed etiam rerum humanarum* ἀστάθειαν *& inconstantia,tibi magnoperè commẽdant. Stem-*

mata

mata itaque, clarum nomen Maiorum, opum facultates, ingenium εὐφυΐστατον, dicendi facultatem expromtam, & alia præsidia & ornamenta, quibus te Regum Rex Christus Iesus clementer instruxit, non tibi patieris esse remoras & Sirenas in cursu pietatis & virtutum heroicarum: sed potius incitamenta & adminicula esse ad exercitia prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ & modestiæ, statues: & quando puncto temporis rerum humanarum vertuntur momenta, præterítque species mundi huius, 1. Cor. 7. 31. cœlestia meditaberis, & inoffenso gressu ad cœlestem Patriam, cum optimo quoque contendes. Bene vale.

IOAN. IACOBVS GRYNAEVS.

DE SANCTORVM PATRIA.

I. *Propositio.*

QVVM Sancti, quotquot in militantis Ecclesiæ castris versantur, vnà cum sanctis Patriarchis, profiteantur se hospites & aduenas esse in terra, & se patriam quærere, eámque terrena meliorem, hoc est, cœlestem expetere: Hebr. 11. 13. 14. 16. quia sciunt se aduenas esse in corpore, ac peregrè abesse à Domino: pérque fidem incedere, non per aspectum: confidunt tamen probántque potius migrare è corpore, & ad Dominum ire habitatum. 2. Corint. 5. 6. 7. 8. propositum nobis est, hac Disputatione, σωχειτῷ, in gratiam piæ & ingeniosæ Iuuentutis, cui veritas cordi est, demonstrare: *Quænam, & vbi sit Patria Sanctorum*: quam nos omnes expetere & quærere oportet?

II. Θεώρημα.

Si Cœlum est Iesu Christi regia ciuitas, tum verò etiam Sanctorum communis Patria est.

III. Ἔνδειξις καὶ διδομένου.

Ne autem nobis æquiuocatio vocabuli Cœlum, negociũ facessere possit, primò eius significata commemorabimus, vt manifestum fiat quomodo illud à nobis in hac Disputatione accipiatur: deinde, τὸ ὅτι, quod monet Cœlum istud Christi regiam esse ciuitatem, adductis Scripturæ sanctæ testimoniis, illustrabimus. Etsi autem in multis huius classis dictis, ἀνθρωποπάθεια & similitudo ducta à rebus terrenis, lucet & eminet: tamen, concinnè ad hoc nostrum institutum, ea à nobis accommodari, piæ mentes facilè poterunt colligere, quando cum Christo, Prophetis & Apostolis credere & loqui, nos studio habere, animaduertent.

Cœli nomen in canonicis Scripturis prædicari interdum de Creatore Deo, plerumque autem de Creaturis, extra controuersiam est.

De Deo enim enunciatur, Dan. 4. 26. Ex quo agnoueris Cœlos dominari, hoc est, Deum altissimum, cui oppositi homines, Terra nuncupantur, Psal. 97. 1. & vt locutiæ, Isa. 40. 22. Item, Matt. 21. 25. Baptisma Iohannis vnde erat? è cœlo (i. ab auctore Deo) an ex hominibus?

Quando autem Cœli nomen Creaturis tribuitur, biuariam accipitur. vel enim animalis vitæ temporibus seruientes Dei creaturas significat, vel designat illud Dei opus, quod est δοχεῖον, seu hospitium, destinatum vitæ spirituali Saluandorum.

Si priorem illum Dei operum ordinem spectes, Cœlum aliàs proximam illam Aeris regionem significat, Matth.6.26. Intuemini volucres cœli: aliàs firmamentum, Marc.13.25. Et stellę Cœli excident, & potestates quę in Cœlis sunt concutientur.

Hoc Cœlum, Deo maledicente, fit sicut ferrum, & terra sicut æs, Leuit. 26.19. Eodem autem benedicente, & aperiente thesaurum suum optimum, cœlum, conceditur pluuia terræ in tempore suo, Deunt.28.12.

At si posterius illud Dei opus consideres, Cœlum erit Locus ille à Deo præparatus, vt Electi resuscitati à mortuis, in eodem beatam vitam agant in perpetuum: qui Terræ, in qua iidem militârunt, opponitur. Ac in hac significatione, Cœli nomen nos in Disputatione ista sumere, fatemur.

Hoc Cœlum Christus Iesus vocat Domum Patris, in qua sunt habitationes multæ: similitudine ducta à magnificis Palatiis: vocat etiam Locum, Ioan.14.2.3. Paulus Apostolus idem nuncupat tertium, hoc est, altissimum cœlum: & cum magistro suo Paradisum, 2. Cor.12.2.4. Luc.23.43.

Iam verò, vt ad πὸ ὅπ accedamus, quod statuit, hoc Cœlum Iesu Christi esse regiam: enimuerò nõ dubitamus cum Isaia dicere, Cœlum hoc Dei (qui Regum Rex est) sedem esse, terram autem scabellum pedum eius, cap.66.1. cum Iesu Christo, Cœlum esse thronum Dei, Matth.5.34. cum eodem, Domum Patris, Ioan.14.2. cum Paulo Apostolo, Ciuitatem à Deo paratam, patriam cœlestem, terrena potiorem. Heb.11.16. nequaquam hîc sitam ciuitatem, sed futuram, Hebr.13.14. Nihil enim dubium est regiam Iesu Christi (cuius regnum non est ex hoc mundo, non est hinc, Ioã.18.36.) rectè dici, in quã Ille, redemtionis nostræ opere (λύτροις in cruce persolutis) peracto, ascendit. Act. 1.10, quam nos quærere vult, Heb.11.14. cuius gratia superna, non terrestria nos curare iubet: Superna, dicens, quærite, vbi Christus est ad dextram Dei sedens, Col.3.1.2.

IIII. Διοεισμὸς ἢ ζητημάτιον.

Sanctorum patria est, Cœlum videlicet, quod & Paradisum Christus Iesus Dominus noster vocauit. Luc.23.43.

Sanctos vocamus omnes Electos, quoniam Reprobis, tanquam profanis & à Deo alienis, oppositi, Christo se pro eis sanctificante, sunt & ipsi sanctificati per veritatem, Ioan.17.19. Deo pacis auctore sanctificante eos totos, vt integer eorum Spiritus, & anima & Corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. 1. Thes.5.23. vt sint genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus vt proprium vendicat, 1. Pet.2.9. de quo dicitur Leuit.11.44. Quia ego Iehouah Deus vester: sanctificate ergo vos & estote sancti, quia sanctus sum. & Ezec.20.12. Sum Iehouah qui sanctifico eos.

Hi Sancti seu segregati de mundo, in his terris exulant, donec in cœlestem Patriam à Christo ducantur. Iuxta hæc dicta:

Psal.39.13. Peregrinus sum apud te, incola vt omnes Patres mei.

Heb.11.13, Secundum fidem mortui sunt isti omnes, non adepti promissa, sed eminus ea conspicati, postquã credidissent & amplexi essent, ac professi fuissent, se hospites & aduenas esse in TERRA.

1. Pet.2.11. Dilecti, precor vt tanquam aduenæ & peregrini abstineatis à carnis

carnis cupiditatibus,quæ militant aduersus animam.

Hebr.11.16.Nunc autem meliorem(patriam)expetunt,hoc est,cœlestem: quapropter non erubescit ipse Deus, vocari Deus eorum : parauerat enim illis vrbem.

1.Pet.3.22.Christus est ad dexteram Dei,profectus in COELVM,subiectis ipsi Angelis & potestatibus ac virtutibus.

1.Tim.4.18. Eripiet me Dominus ab omni opere malo, seruabítque regno suo cœlesti.

Ne igitur Cœlum Terræ misceamus,illud patriæ,hoc autem exilio destinatum esse,cum Prophetis & Apostolis firmiter statuamus:& inoffenso pede ad cœlestem patriam contendamus.

V. Κατασκὴ.

Sint autem piis omnibus hæc axiomata in conspectu.

1. Vbi est,& in æternum erit,Caput mystici Corporis, ibi & Membra congregari oportet.Iuxta illud:Vbi ego fuero,ibi & Minister meus erit.Ioan.12.26.Item:Pater,quos dedisti mihi,velim vt vbi sum ego,& illi sint mecum:vt conspiciant gloriam illam quam dedisti mihi. Ioan.17.24.

Etsi autem nunc quoque Christus Deitate & Spiritus sui virtute, membris suis verè adest,Matth.18.20 & 28.20.tamen, quia idem humanitate seu carne sua iu cœlis iam est,& piè morientes,Spiritibus suis ad eum migrant, Phil.1.23. & post carnis resurrectionem, etiam Corpore quisque suo cum eodem erit.1.Thess.4.17.

2. Vbi piorum πολίτευμα est,ibidem & patria eorum est. Quis enim extra patriam(cuius Ciuium pictatio nomen suum inscriptum esse gaudet)sibi ius ciuis arrogare peregrinus ausit?Luc.10.20.

3. Sanctorum corpora in vita beata, etsi spiritualia erunt (si quasdam proprietates spectes,immortalitatem,incorruptibilitatem,gloriam)corpora tamen erunt localia & humana,specie à Spiritibus diuersa:& αἰσθητὰ, sic vt cerni & palpari queant.

Ratio manifesta hæc est.Corpora nostra glorioſa, conformia erunt glorioso corpori Christi.Phil.3.21.Atqui Christi corpus rediuiuum & iam glorioſum,locale mansit,cerni potuit oculis,& manibus contrectari. Luc. 24. 38.ac eundem sedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli, etiam hostes videbunt. Matt.26. 64. Quare & Sanctorum Corpora conspicua erunt, & vel contactu poterunt dignosci: seu erunt localia.

4. Non erunt vnà eodémque in loco,post hanc vitam,Electi & Reprobi.Iuxta hæc dicta Iesu Christi Domini nostri:

Matth.13.49.In consummatione seculi exibunt Angeli,& separabunt malos è medio iustorum.

Matth.25.32.Cogentur coram iudice Christo omnes gentes:& separabit eosalteros ab alteris,vt pastor separat oues ab hœdis.33.Et statuet oues quidem ad dexteram suam,hœdos autem ad siniſtram.46.Maledicti abibunt in supplicium æternum:iusti verò in vitam æternam.

5. Electi semper cum Christo erunt, hoc est, in Paradiso 1. Thessal. 4. 17. Deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini, in aera: & ita semper cum Domino erimus.

Luc. 23. versu 43. Hodiè mecum eris in Paradiso. Spiritus enim latronis conuersi, vbi è corpore migrasset, in Paradisum traductus fuit, in quem olim in iustorum resurrectione, Corpus eiusdem quoque transferetur.

VI. Ἀποδείξεις.

Iam & Demonstrationum aciem instruemus, vt videant omnes pij, verè piéque illa quæ dicimus omnia à nobis adstrui.

1. Vbicunque eo consilio versatur mystici illius Corporis, quod est Ecclesia, Caput, in quo visum est Patri recolligere omnia, Ephes. 1. vers. 10. ibidem haud dubiè aggregabuntur illius viua membra: ne videlicet Corpus illud sit monstrosum, suis videlicet destitutum membris. Iuxta primum axioma: ad quod illustrandum adducimus & hoc dictum: Vbicunque fuerit cadauer, illuc congregabuntur aquilæ. Matth. 24. 28.

Atqui Christus eo ipso consilio, vt nos ad se transferret, in cœlum ascendit, & consedit ad dexteram Dei: vt habet Symbolum Apostolicum. Iuxta dicta: Proficiscor paraturus vobis locum. Et quum profectus fuero, & parauero vobis locum, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. Ioann. 14. 2. 3. Meminerimus autem, non Apostolis tantùm, sed etiam toti Ecclesiæ, cœlestis contubernij spem à Christo fieri. Item: Superna quærite, vbi Christus est sedens ad dexteram Dei. Col. 3. ver. 1. Item, Hic Iesus qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum, Actor. 1. 11. Ideò nunc aduenæ in corporè peregre à Domino abesse, & per fidem, non per aspectum incedere dicimur, 2. Corinth. 5. 6. 7. Nam si Corporali præsentia (vt olim Discipulis suis & aliis quibusdam) nunc quoque nobis adesset Christus, tum verò per aspectum incederemus, non per fidem. Eo autem nomine, cum Paulo Apostolo, desideramus migrare & esse cum Christo: nam id longè optimum est. Philip. 1. 23. quia scimus in cœlis primùm quidem Spiritum, deinde & Corpus resuscitatum, cum Christo fore: & ad hanc consuetudinem cœlestem nobis aspirandum esse.

2. Si nostrum πολίτευμα in cœlis est, tum sequitur, in cœlis patriam nostram esse. Verum est quod antecedit, vt ex secundo axiomate liquet, quod petitum est ex his Pauli Apostoli verbis: Nos enim vt municipes cœlorum nos gerimus: vnde etiam Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Philip. 3. 20.

3. Gloria, qua pij in patria olim excellent, corporum resuscitatorum propria essentialia nequaquam eis derogabit: vt ex tertio axiomate, quod Christi (cuius glorioso corpori nostra quoque conformia erunt) exemplo illustrauimus, colligi potest. Atqui inter propria essentialia corporis humani, etiam glorioſi, hoc quoque est, esse in certo loco, siue in terra, siue in cœlo. Constat autem in cœlis nos integros olim fore, tanquam in nostra

ſtra patria, vt infinita propè Scripturæ dicta diſertiſsimè teſtantur.

4. Non erunt poſt vniuerſalem reſurrectionem, vnà & in eodem loco Electi & Reprobi, vt monet quartum Axioma.

Reprobi auem erunt apud inferos, in tormenti loco, Luc.16.23.28. in tenebris exterioribus in quibus eſt fletus & ſtridor dentium. Matt.8.12. in ſupplicio æterno, Matth.25.46.

Electi autem, eadem Scriptura atteſtante, erunt in Paradiſo, Luc.23.v.43. fulgebunt vt Sol in regno Patris, Matt.13.43. in cœleſti Hieruſalem, in conuentu & concione primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, Hebr. 12.verſu 23.

Etſi autem illa verba Luc.16. 26. Et ad hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens conſtitutus eſt, vt ii qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque iſthinc huc tranſire: quibuſdam pueriliter à nobis accipi & exponi videntur: nos tamen non dubitamus ex iis primùm diſtantiam Cœli & Inferni ἐν πλάτει: deinde etiam hoc colligere, neminem Electorum felicitate illa excidere, neminem etiam in inferno degentium ad eandem vnquam aſpirare, nedum pertingere poſſe.

5. Certo certius eſt, Electos poſt hanc vitam nuſquam alibi fore, quàm eo in loco ſeu regione cœli, in quo & Chriſtus erit: vt monet quintum Axioma. Atqui Chriſtus Dominus noſter non erit in Inferno, ſed in Cœlo: in quod ideò præceſſit, vt in illud, tanquam veram patriam, nos quoque traduceret. Sicut enim Ioſua Iſraelitas ex Eremo, quod inter Ægyptum & Paleſtinam interiacet, tranſmiſſo Iordane fluuio, deduxit in terram Patribus eorum promiſſam: ita Ieſus Chriſtus Dominus noſter, totam catholicam Eccleſiam è terris in cœleſtem patriam deducet, & eam vitæ, regni & gloriæ ſuæ conſortem efficiet, 2. Timoth.2.11.12.

VII. Συμπέρασμα.

Ex iis, quæ ex ſacrarum Scripturarum præſcripto, nobis hactenus meditata & dicta ſunt, ſolidiſſimè euincitur, Cœlum in quod præceſſit Chriſtus Dominus noſter, eſſe omnium Sanctorum, ac proindè noſtram quoque, Patriam, quam ſolam quærere & expetere nos oportet: id quod demonſtrare oportebat.

VIII. Επιφώνημα.

Ex iis quæ iam dicta & demonſtrata ſunt, rectè colligimus πορίσματα iſta in Scripturis ſanctis obſeruanda.

1. Res Spirituales ſub figuris ſenſui noſtro accommodatis, in Scripturis ea lege nobis proponuntur, vt tamen Corporum finitiones & propria eſſentialia, & Locorum rationes diuerſæ, nequaquam negentur: quando illa reſpondent operibus & ordini diuino, in prima rerum creatione, ſummo conſilio Dei opificis ſancito.

2. Itaque inter Cœlum, quod benedictis hominibus deſtinatum eſt: & inter Infernum, in quo ignis æternus præparatus eſt Diabolo & Angelis eius, eſſe diſtantiam diuinitùs præſtitutam, rectè colligunt Pij ex hoc Chriſti

dicto, quod is Abrahæ tribuit: Et ad hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens constitutus est: vt ij, qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque istinc huc transire, Luc.16.26. Cœlum etiam à situ, sursum vocatur. Colos.3. 2. In abyssum autem descendere dicuntur, qui in illam deturbantur, vt cœlum & infernum opponi situs ratione, intelligamus: nec in scirpo nodum quæramus.

3. Constat autem Infernum dici, LOCVM TORMENTI, eodem capite, vers.28. Hic certè non est in Cœlo: nam in illum descenditur, non ascenditur. Matth.11.23. Et 2.Petr.2.vers. 4. Nam si Deus Angelis qui peccauerant, non pepercit: sed in TARTARVM DETRVSOS, catenis caliginis tradidit damnationi seruatos, Apocalyp.20.10. Et Diabolus qui seducebat eos, coniectus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia & pseudopropheta: & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Constat autem in igne æterno cum Diabolo & Angelis eius fore Reprobos seu Maledictos, Matth.25.v.41. non in regno piis parato à iactis fundamentis mundi, eodem cap. vers.34.

4. Constat igitur & Cœlum rectè dici, LOCVM BEATITATIS: qui certè non est, nec vnquam erit in Inferno: nam in Cœlum ascenditur: non descenditur. Iuxta dicta: Proficiscor paraturus vobis LOCVM. Et quum profectus fuero & parauero vobis LOCVM, rursum veniam, & assumam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis, Ioann.14.2.3. Item, Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Ioan.20.17. Item, Et quum essent intentis in cœlum oculis, eo proficiscente, ecce viri duo astiterunt ipsis albo vestitu: qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum: hic Iesus qui sursum receptus est à vobis in cœlum, ita veniet quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in cœlum, Actorum 1.vers. 9. 10.

In hoc Cœlo, tanquam in Patria, semper cum Domino erimus, 1. Thessalonic.4. versu 17. cum eo viuemus, cum eodem & regnabimus, 2. Timoth. 2.vers.11. 12.

5. Christus è Cœlo, non è regno & maiestate sua, cum gloria sua veniet ad iudicium, Actor.3. versu 21. Iesum oportet cœlum detinere, vsque ad tempora restitutionis omnium, Matth. 25. versu 31. Nec enim idem est Cœlum & Maiestas: quia in secundo & illustri suo aduentu, nequaquam gloria maiestatéque deposita, ad humilitatem suam rediturus est. Ideò Scriptura, è cœlo, non è gloria aut maiestate, aduenturum esse testatur: quum longè supra omnes cœlos, aerem inquam & firmamētum sphæráque omnes, ascenderit, Ephes.4.10.

6. Nos econtrariò è Terra & ignominia, in cœlū tū planè totíque migrabimus, ac Philosophis, qui ideò quoque delirare Christianos putabant, quòd humanis Corporibus, ex elementis compositis, post eorum resurrectionem, sedes & locum assignarent supra cœlos aspectabiles: cum beato Augustino respondemus: *Solet autem quosdam offendere, vel ipsos Gentiles, vel Hæreticos, quòd credamus, assumtum Christi terrenum corpus in Cœlum. At Gentiles plurimíque Philosophorum, argumentis nobiscum agere solent, vt dicant terrenum aliquid in cœlo esse non posse. Nostras enim Scripturas non nouerunt, nec sciunt*

sciunt quomodo dictum sit, Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Paulò pòst ait: *Sed vbi & quomodo sit in Cœlo Corpus Dominicum, curiosissimum & superuacaneum est quærere : tantummodò IN COELO ESSE credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere : sed est nostræ fidei, de Dominici corporis dignitate, sublimia & honesta sapere. de Fide & Symb. cap. 6.*

IX Ἐπίλογος καὶ εὐχαριστικὸς.

Sit igitur benedictum nomen Domini nostri Iesu Christi, quòd is cœlestem patriam nobis est promeritus, & quòd is effecit, vt cum Tertulliano dicere possimus : *Quemadmodum (Iesus Christus ascendens in cœlum) nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem Carnis accepit, & VEXIT IN COELVM pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote Caro & Sanguis, vsurpastis & Cœlum & regnum Dei in Christo.*

Interea autem dum in carne aduenæ peregrè absumus à Domino nostro Iesu Christo, illud nobis solatio erit, quòd non omninò à nobis abest Christus, sed secundum quid : ac sæpè ad institutionem & consolationem nostram, repetemus verba hæc Vigilii Martyris : *Dei Filius secundum humanitatem suam recessit à nobis : secundum Diuinitatem suam, ait nobis : Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit nec deseruit Diuinitate sua. Per formam enim Serui, IN COELO ABSENS est à nobis : per formam Dei, qua non discessit à nobis, IN TERRIS PRÆSENS est nobis : tamen & præsens & absens VNVS IDEM QVE est nobis. Libr. 1. contra Eutych.*

Ardenter autem absque ira & disceptatione attollamus manus, & oremus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt nobis det, hanc piam sententiam, ad ipsius laudem, & Ecclesiæ instaurationem, constanter & fideliter profiteri : & vt omnes alios sanctum ipsius nomen inuocantes, luce Spiritus sui illuminet, vt idem in ipso nobiscum sentire & confiteri possint : & vnà nobiscum, ad palmam supernæ vocationis & cœlestem patriam contendentes, nostri cõsortes & cohæredes sint in regno gloriæ, Amen. Basileæ, die natali Christi Iesu, inchoante annum Epochæ Christianæ 1584.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

DECAS APHORISMORVM
de vera Religione.

APHO-

APHORISMVS I.

Prima tantùm Religio, vna, vera, ſancta, ſalutaris, perfecta & Chriſtiana eſt.

- 1. Vna, quia vnica eſt fides, quæ ab vnica & æterna Dei veritate profecta, agnoſcit
  - 1. Vnum Corpus myſticum, totius Catholicæ Eccleſiæ.
  - 2. Vnum Spiritum nos viuificantẽ & illuminantem.
  - 3. Vnum Dominum Ieſum Chriſtũ, Mediatorem.
  - 4. Vnum Baptiſma, in quo illum induimus.
  - 5. Vnum Deum & Patrem omnium &c.
  - 6. Vnam vocationis noſtræ ſpem & metam eſſe.

  Eph. 4. 4. 5. 6.
- 2. Vera. Nam vnum & verum inter ſe conuertuntur, vt vno plus verum eſſe nõ poſsit. Ideo in Scripturis ſanctis, vera Religio καθ' ἐξοχὴν, vocatur ἀλήθεια, Veritas. Tit. 1. 1. Ad agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundum pietatem. Ioan. 17. 17. Sanctifica eos veritate tua: Sermo tuus eſt veritas.
- 3. Sancta (ad differentiam profanarum Superſtitionũ quę multiplices ſunt, dicitur) quia
  - 1. Auctorem Deum habet, qui Iehouah ſanctus eſt. Leuit. 19. 2.
  - 2. Genti ſanctæ diuinitus patefacta eſt. 1. Pet. 2. 9.
  - 3. Doctrina illius ſancta eſt, quæ huc ſpectat, vt per agnitionẽ Ieſu Chriſti, effugiamus inquinamenta mundi. 2. Pet. 2. 20. 21.

  Religio prima eſt
- 4. Salutaris. Iuxta illud: Cum lenitate recipite (id fit per fidem) inſitum ſermonem, τὸν ἔμφυτον λόγον (ſic vocat Religionem veram, cuius doctrinam fidi Paſtores & Doctores, animis auditorum inſerunt. 1. Cor. 3. 6.) qui poſsit ſeruare animas veſtras. Iac. 1. 20. Vt enim Anulus gemmam conſpiciendam: ſic vera Religio, τὸ Σωτήριον. i. Seruatorem ſaluãdorum, fruendum exhibet. Luc. 2. 30.
- 5. Perfecta, quia quum ſit ex omni parte perfecta in ſuo genere,
  - 1. Nihil omninò ei deeſt.
  - 2. Eſt, vt fuit & erit.
  - 3. Habet principiũ, medium, finem.

  Pſal. 119. 96. Omnĩ perfectioni vidi finẽ, latum præceptum tuũ valdè.
- 6. Chriſtiana, reſpectu
  - Obiecti, quod eſt Ieſus Chriſtus Redemtor, quĩ factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitiáque, & ſanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. 30.
  - Subiecti, hoc eſt, Chriſtianorum, qui induerunt Chriſtum vſque ad ſanctificationem, ac ſunt pauperes Spiritu, lugentes, mites, eſuriunt & ſitiunt iuſticiam; ſunt miſericordes, mundo corde, pacifici: ac ſuſtinent perſequutionem iuſticiæ cauſſa &c. Mat. 5.

DISPVTATIONES

APHORISMVS II.

Hæc autem in Dei & Nostri vera agnitione, & pietatis exercitio posita, certum habet Archetypum.

Archetypus Religionis Christianæ (de quo Paulus Rom. 6. 17. Ex corde obedistis ei formæ doctrinæ, in quã estis traditi.) potissimùm lucet in

- 1. Notitia vera
  - Dei
    - Conditoris, cuius prouidétia & omnipotentia & bonitas &c.
    - Redemtoris, cuius summa tum iustitia tum misericordia

  per fidem agnoscuntur & celebrantur.
  - Nostri, qui in
    - Adamo conditi ad imaginem Dei, in eodé peccati contagione infecti filij iræ & morti obnoxij facti sumus.
    - Christo Iesu, iustitiæ vitæque dono instructi, remissionéq; peccatorum parta, serui iustitiæ facti, hæredes æternæ felicitatis facti sumus.
- 2. Exercitijs veræ pietatis, quorũ alia (Paulo teste, Tit. 2. 12.) sunt propria
  - 1. Τῆς εὐσεβείας, Pietatis, quã Redemti suo Redẽtori probare debent. Est autẽ hæc, si spectes
    - Priuatam cordis obedientiã, merè spiritualis, & λογικὴ λατρεία. Rom. 12. 1. Sed ad eam accedit (quum est opus) Corporalis exercitatio.
      - Fidei, acquiescentis in Deo Redemtore.
      - Charitatis, ei obedientis.
      - Spei, eius nutum præstolantis.
      - Patientiæ, eius iudicia boni consulentis.
      - Inuocationis, Gratiarũ actionis &c.
    - Publicã liturgiã, mixta: propter συστοιχείωσιν cultus
      - Interni, hoc est,
        - Verbi diuiui sincerum præconium.
        - Sacramentorũ legitimã administrationem.
      - Externi, ad quem refero
        - Preces & Gratiarũ actiones publicas.
        - Ecclesiæ Disciplinã: & cætera, quæ ad hunc finem, vt per nostri instaurationẽ, Deus colatur, tendunt.
  - 2. Τῆς σωφροσύνης, Temperãtię, qua nobis consulitur, vt possimus
    - 1. Impleri Spiritu. Eph. 5. 18.
    - 2. Resistere Diabolo. 1. Pet. 5. 9.
    - 3. Prudentiæ donũ obtinere, tueri & ad vsum transferre.
    - 4. Carnem mortificare.
  - 3. Τῆς δικαιοσύνης, Iusticiæ, quę proximo debita præstat officia
    - Publica
      - Ecclesiastica, Politica, Oeconomica — respectu — Superiorũ & Inferiorum: Parium.
    - Priuata debita
      - Naturali
      - Spirituali
      - Ciuili

      — obligatione.

APHORISMVS III.

Illustrata verò est, per doctrinam Fidei, Charitatis & Spei, quam Filius Dei, per Seruos suos, Spiritu sancto plenos, non sine signis, & fructu auditorum tradidit & obsignauit.

Ad illustrandam veram Religionem, plurimum contulerunt hæc duo,

- Doctrinæ eius perfectæ hypotyposis, complectens
  - Τὰ πιστὰ, siue, ea, quæ nos de Deo Conditore, Redemtore, Sanctificante: de Ecclesia, eiusque gubernatione, credere oportet. Eorum autem summa tradita est in Symbolo Apostolico.
  - Τὰ πρακτὰ, siue agenda: Horum absoluta ratio, exposita est in Decalogo, qui non solùm externa, sed etiam interna opera, Deo grata, præscribit.
  - Τὰ ἐλπιστὰ, siue Speranda. Etenim de vita æterna, quid nobis polliceri debeamus, perspicuè docet.
- Promulgatio illius quã magnificè cõmendant
  - 1. Αἴτιον κύριον, Iesus Christus, Sapientia Patris, & vnus noster ὁ καθηγητὴς, ille Doctor, Christus, quem nos audire Pater æternus iussit. Matt. 23.10. Luc. 9.35.
  - 2. Συναίτιον est Spiritus sanctus, quo acti loquuti sunt & loquuntur sancti Dei homines. 2. Pet. 1. 21.
  - 3. Σύνεργοι, vtriusque Testamẽti Ministri, quos cõmendant.
    - 1. Idem Spiritus sanctus.
    - 2. Eadẽ vocatio, diuina videlicet.
    - 3. παναρμονία in tota doctrina.
    - 4. Donorũ Spiritus sancti plenitudo.
    - 5. Ministerij vberrimi fructus.
    - 6. Vitæ innocẽtia.
  - 4. Signa planè diuina, eáque tum
    - Ordinaria, vt Sacramẽta, quæ sunt sigilla verbi Dei.
    - Extra ordinaria, vt Miracula, quę infidelibus, introitus sunt ad fidẽ: vt dixit Augustinus.

APHORISMVS IIII.

Deformatur bisariam, addendo videlicet & detrahendo, vt habetur, Deut. 4.2. & 12.32.

- **Quicũque veræ & vnicæ Religioni, aliqd seu**
  - **Addũt, imperfectionis eã insimulant. Vt autẽ de alijs Religionis Christianæ corruptelis nihil iam dicamus, corrumpũt eã addendo, qui affingunt**
    - **1. Doctrinæ**
      - **Fidei**
        - Fiduciam & inuocationem Angelorũ & sanctorum hominum, tanquã Mediatorum.
        - Iustificationẽ ex operibus legis & Traditionum humanarum: & alia multa.
      - **Charitatis**
        - Opera bonæ intẽtionis, ἐθελοθρησκείας, Mandata hominum, Monachatum.
        - Legem tãtùm externa opera flagitare.
      - **Spei**
        - Epochen de Perseuerantia vsque in finem.
        - Opinionem de Purgatorio, de Missis pro defunctis, de Indulgentijs &c.
    - **2. Sacramẽtis illius plures tum**
      - Species. Vt quum non contenti Baptismo & Eucharistia, addunt Matrimonium, Pœnitentiã, Ordinẽ, Confirmationem, Vnctionem extremam.
      - Ritus. Vt quando Baptismo exorcismos & alia quædã sordida Elementa: Eucharistiæ, eleuationem, oblationẽ, adorationẽ, circũgestationem, inclusionem & alia πάρεργα addunt.
    - **3. Ministerio quando**
      - Plures ordines, Episcoporum verbi gratia, Monachorum, Monialium, introducunt.
      - Operis operati fiduciã, non sine veræ fidei ludibrio, stabiliunt.
  - **Detrahũt, aliena quædam & superflua in ea esse, fingunt. Hac in parte peccat qui in**
    - **1. Doctrina**
      - **Fidei**
        - Deo laudem summæ iusticię & misericordię derogant, quando rudimentis humanorũ operum, non Christi solius meritis, ei satisfieri, contendunt.
        - Electos finaliter excidere gratia Dei posse aiunt.
      - **Charitatis.**
        - Negãt decalogũ absolutũ canonẽ bonorũ operum: ideoq; addunt ἐπιτάγματα.
        - Delent præceptum de Idolis.
        - Negant concupiscentiam esse peccatum propriè dictum &c.
      - Spei, quia qui iubent homines de gratia Dei hæsitare, desperationis auctores illis sunt.
    - **2. Sacramentis pro suo libitu**
      - Elementa supereſse negant: dum ea transsubstantiari, dicunt.
      - Alteram speciem subtrahunt Laicis, contra edictum institutoris Christi &c.
    - **3. Ministerio**
      - Vernaculi Ecclesiæ sermonis, rationem non habent, contra Canonem. 1. Cor. 14. 19.
      - Negant Laicis legendas esse Canonicas Scripturas.
      - Vocationem & vnctionem Episcoporum, Ministris Euangelicis (instructis multis Spiritus sancti donis, & quorum ministerio sic benedixit Deus, vt multis milibus fideliũ prodesset plurimũ) necessariam esse, eoque nomine expetendam, putant.

APHORISMVS V.

Reformatur Religio, quum sublatis παρέργοις, ἔργα eius omnia restituuntur, sic vt verè perfecta sit Religionis forma: ac huic egregiè respondeat exercitium verè sanctum.

Religionis pia reformatio occupata est in his duob⁹, nempe IN

Pseudo Christianismi abrogatione. Abolen autem debent omnes

Opiniones pugnantes cum Dei verbo. Inter multas autem alias & hę sunt.

1. Euangeliū est lex noua, tradens consilia de perfectione.
2. Non minus ἀγράφοις traditionibus, fides haberi debet, quàm verbo Dei scripto.
3. Verbum Dei scriptū est obscurū, ambiguū, materia litis: non regula iudicij de controuersijs religionis.
4. Est in homine animali liberū arbitrium. est locus meritis eius.
5. Propter Christum iustificamur: sed non citra aliquod meritum nostrorum operum.
6. Hæsitare licet, an simus electi, iustificati, &c.

Ceremonię vero Christianismo aspersæ, quibus ille & deformatur & corrumpitur.

1. In Baptismo exorcismi, sputum, saliua &c. Campanarū impius baptismus: Consecratio magica salis, lardi, olei, &c.
2. Missa, cum suis πατρο Γαδότοις appendicibus.
3. Idolorum prostitutio & cultus in Templis.
4. Vestes & gestus, indigni Christiana grauitate.
5. Confirmatio & vnctio extrema.
6. Ritus funebres, & multæ aliæ res ignotæ Apostolicæ Ecclesiæ.

Veri Christianismi instauratione. Quod si omnia in omnib⁹ Christus est Col. 3. 11. ad eum vnū referri debet christianismi tum

Theoria (cuius obiectū est, Iesus Christus, crucifixus. 1. Cor. 2. 2.) Hic debet institui, vt illustretur pia doctrina de

Persona, in qua cōsidera tur

Capite, hoc est, de Iesu Christo, eiusque tum

Veritas Naturarū

Diuinæ, cuius ratione natura Deus, æternus, omnipotens, immensus.

Humanæ, secundum quam fratribus similis est: excepto peccato.

Vnio duarū Naturarū, sed hypostatica citra confusionem proprietatum &c.

Officio, à quo beneficia dependet. Nā est

Rex noster, ductu Spirit⁹, sceptroq; verbi sui nos regens, omnipotenti autem brachio defendens.

Sacerdos & Mediator vnicus, meritis suis pro tota Ecclesia intercedens.

Apostolus nostræ confessionis, qui Euangelium protulit è sinu Patris.

Praxis, quæ nō in verbis sita est, sed in spiritus virtute. 1. Cor. 4. 20. Nota da aut est eiusdem tum

Mēbris .i. de vera Ecclesia: in qua spectamus, &

Cōmunia priuilegia, quòd in Christo oēs sumus Reges, Sacerdotes, Prophetę: in Ecclesia: eandēq; doctrinam, eadem Sacramēta: idē iustificationis donū, eādē deniq; hæreditatē in cœlis, obtinem⁹.

Distinctos gradus

1. Docētiū & Discētiū, & vtrorūq; officia.
2. Disciplinæ Ecclesiasticę ἐργοδιώκτας.
3. Donorū, quibus illos excellere, necesse est.

1. Regula, Gal. 5. 6. In Christo Iesu, neque Circūcisio quicquā valet, neque Præputium: sed fides per charitatem agens.
2. Collatio specierum. 1. Tim. 4. 8. Corporalis exercitatio paulum habet vtilitatis: at pietas ad omnia vtilis est: vt quæ promissionem habeat vitæ &c.

3. Exercitatio

Interna, quæ in renouatiōe & ei⁹ effectis posita est.

Externa, quæ lucet in

Verbi Dei prędicatione & auscultatione.
Administratione & vsu Sacramentorū.
Disciplinæ Ecclesiasticæ studio, &c.

APHORISMVS VI.

Vt in Religionis negotio, non ducamur opinionibus, sed certò verum teneamus, Verbi Dei scripti, quod illius hypotypoſin complectitur, velut Cynoſuræ ductu & iudicio, nos vti & contentos esse, oportet.

- Γνῶσιν ἀληθείας, quæ fidei est, quæ dogmata
  - Vera, τῇ διδασκαλίᾳ exponit. 2. Tim. 3. 16.
  - Falsa, τῷ ἐλέγχῳ, redarguit. Ibidem.
- πάθη. Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Rom. 15. 4.
- ἤθη, quia Mores
  - Malos, τῇ ἐπανορθώσει emendat.
  - Bonos, institutione quæ est in iustitia, format ac confirmat.

Formā, regit & informat hominum piorum

Christianismi Cynosuram, quæ in Verbo Dei scripto exstat, ideò nos obseruare & sequi par est, quia si spectes eius

- Præcepta, in quibus quid præcipiatur, quídve prohibeatur, spectandū est.
- Promissiones, quæ nūquā fallunt, quum diuinæ sint.
- Comminationes, de tēporalibus aut æternis pœnis.
- Exprobrationes voluntariarum offensarum.
- Encomia obedientium.

Destinatum, videlicet, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. Faciunt autem huc

Exempla

- Obedientiæ fidei, quæ commendat
  - Publicas actiones
    - Sacras
    - Profanas

    quæ vniuscuiusq; piæ vocationi respondent.
  - Priuata opera quæ diriguntur ad
    - Dei laudē,
    - Nostram vtilitatem.
- Inobedientiæ, cuius fons est infidelitas. Ac rebellio est sicut peccatum diuinationis 1. Sam. 15. 21.
- Iudicij diuini in
  - Gratuita remuneratione obedientiæ & bonorum operū.
  - Iustis pœnis & supplicijs, quibus inobediētes & contumaces sunt affecti.

APHORISMVS VII.

Illustre autem praxeos Religionis Christianæ exemplum, primitiua Apostolica Ecclesia nobis subministrat: quod nos imitari æquum est.

Quum veri illius Christianismi, nō Canonē solùm, sed etiā insigne exemplū in conspectu habere, nostra plurimùm interfit: primitiuæ Ecclesiæ Christianæ exēplum à Luca, in Actis Apost. expositum, intueri nos oportet. Probauit autē illa in Domino Iesu Christo, corā Deo Patre,

1. τὸ τῆς πίστεως ἔργον. i. efficacem fidem. Etenim fideles
   - Corde credēntes ad iustitiam
   - Ore autē Cōfessionem edentes ad salutem, Rom. 10.10.

   Erant (vt ait Lucas, Act. 2. 42) perdurantes in
   1. Doctrina Apostolorum.
   2. Communicatione, seu charitatis officijs.
   3. Fractione panis: sic κατὰ συνεκδοχὴν Sacramentorū legitimam administrationē vocat.
   4. Precibus, quibus addi debet solemnis gratiarum actio.

2. τὸν τῆς ἀγάπης κόπον, laboriosam Charitatē. Nam Sancti erāt erga
   - Fideles, sed in fide
     - Firmos, grati: quòd hos institutione & exemplo prodesse, statuerent.
     - Infirmos, benigni: vt qui seipsos considerantes, tentari se quoq; posse viderēt. Gal. 6. 1.

     Multitudinis enim eorum, qui crediderant, erat cor vnum & anima vna: nec quisque aliquid eorum quæ habebat suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Act. 4. 32. Χαρίσματα Spiritus sancti conferebant ad cōmunem vtilitatem. Rom. 12. 6. & speculabantur dissidiorum & scandalorum auctores. Rom. 16.17.
   - Infideles, de quibus tamen spes aliqua erat, ita sese gerebant, vt omnibus fierent omnia, vt omninò aliquos seruarent: sicut Pauli Apostoli exemplum monet. 1. Cor. 9.22.

3. τὴν τῆς ἐλπίδος ὑπομονὴν, tolerantem illā spem: qua animati ferebant
   - Ingentes labores, qui illis sustinendi sunt qui sunt fidi dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4.1. & sunt disciplinæ vindices.
   - Iniurias atroces
     - Domesticorum hostium, seu falsorū fratrum.
     - Externorum hostiū, qui aperto Marte, Ecclesiam oppugnabant.
   - Carnis suæ aliásque omnes molestias, quas sibi prodesse & morte prima abrumpendas esse intelligebant: quo nomine gloriabantur in oppressionibus, scientes quòd oppressio patientiam efficiat: Patientia verò experientiam: Experientia verò spem, quę non pudefacit. Rom. 5.3.4.5.

APHORISMVS VIII.

Antichristianismi historia animo intuenda est, vt vitari possit.

Omnibus Mundi tẽporibus, Antichristianismus in eo positus fuit, vt hominibus persuasũ esset, nec venturũ, nec venisse Iesum Christum in carnẽ. 1. Ioan. 4. 3. Id vt Satan persuaderet à se fascinatis, Pseudo Christianismũ subdolè introduxit, qui reuera Christũ negat. Etenim si Ecclesiæ spectes

Caput, Dominũ nostrũ Iesum Christũ, Mendacio, vsus est Satan, eoq; multiplice. Excitauit enim organa sua, quæ

1. Negauerunt esse Deum verum, æternum, omnipotentem, Patri ὁμοούσιον, vt Arianos Eunomianos feciſſe constat.
2. Humanitatem eius negarunt. Mentem humanam ei derogauit Apollinaris Laodicenus: Corpus phantasticum eidẽ affinxit Marcion.
3. Vnionem personalem oppugnauerunt, vt Nestorius, Eutyches & huius soboles viperina Monophysitę, Monotheletę, Theopaschitæ.
4. Merita eius cum Pelagianis extenuant, dum non in solidũ eum vnum redemtionis nostræ materiã, nec vnicũ Ecclesiæ caput, agnoscunt.
5. Doctrinam Christi, vt imperfectam: Scripturas sanctas, Sibyllæ ambigua folia, exagitarent.
6. Sacramentorum numerum, liturgiam, vsum denique peruerterent.
7. Traditiones & dogmata humana, verbo Dei exæquarent.
8. Cultum literæ, cultui Spiritus: corporales exercitationes, pietati, longè anteponerent.
9. Hominum mortuorum inuocationem ad statuas, Missas, Peregrinationes ad delubra Sanctorum, indulgentias, Purgatorium, plura Sacramenta & alia sexcenta, venditarent: de quibus ne γρύ quidem in Verbo Dei Scripto, occurrit.

Membra, qa Homicidiũ perpetuò Satan molitus est. Hoc autẽ vt pateat, semper insidiosè fideles aggressus, conatus est eos

A Christi complexu separare, idque sophisticè

1. Legem cum Euangelio confundendo.
2. Euangelium fermento Pharisaico corrũpendo.
3. Fidem & Opera commiscendo.
4. Christi & Hominum merita (in iustificationis negocio) vt συναίτια, habendo.
5. Dei mandata, per humanas Traditiones, subdolè eneruando & tollendo, &c.

Scindere in contraria studia, semel à Christo seiunctos, vt id obtineret abuti conatus est

1. Odiosa docentium cõparatione, in qua alij hyperbolicè celebrantur, alij cõtumeliosè despiciuntur.
2. Donorum Spiritus sancti varietate & catachresi, ad priuatam gloriam.
3. Falsorum fratrum astu & exemplis factionum, quales, Monachorum sunt &c.
4. Simplicitate Vulgi: multorum quin etiam negligentia & acedia.

APHORISMVS IX.

Ecclesiarum, tam ex præscripto verbi Dei reformatarum, quàm etiam non reformatarum, Censura pijs omnibus instituenda, vt cui cœtui sese iungere debeant, rectè intelligant.

Quum magna sit impietas, quænā vera sit Religio non seriò inuestigare: & deserere mutuam Sanctorum aggregationem, Piæ mentis fuerit obseruare, quæ sint Ecclesiæ ex præscripto verbi Dei reformatæ, & ijs sese constanter adiungere. Cōmendant autē has.

1. Excellentissima Spiritus sancti dona, Fides, Spes, Charitas: Docētium pietas, doctrina, facundia, zelus: auditorum pietas, φιλομάθεια, modesta, reuerentia erga piè docentes. Etsi autem alij alijs donis excellunt, Rom. 12. 6. singuli tamen fideles, suum quoddam talentum habent, quod vsui esse potest Ecclesiæ.

2. Verbi Dei iuge studium, quod in assidua lectione, meditatione, & exercitio elucet. Iuxta illud: Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè cum omni sapientia: docendo & commonefaciendo vos mutuo psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro, Domino. Col. 3. 16. Digna autem memoria est illa beati Augustini sententia: Scripturarum vnicus scopus est, dilectio. Et illa eiusdem Patris: Quæ Scriptura dicit, Deus dicit.

3. Sacramentorum religiosus vsus. Sacramenta enim foris percipimus, vt intus Sancti Spiritus gratia repleamur, vt Gregorius dixit. Et Sacramenta qui contemnit, in se vitam non habet, vt contra Faustum Manich. lib. 13. August. pronunciauit. Sed tamen pios semper id meditari decet, quod idem Augustinus, super 1. Epist. Ioannis, his quidem verbis docuit: Sacramentum quidē habēt plærique, at Sacramenti virtutem minimè.

4. Disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ est quasi quidam neruus consociationis Sanctorum, constans & moderata obseruatio. Stat enim illud: Denunciamus autem vobis, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis. 2. Thess. 3. 6. Cæterum huic negocio, viros sapientes, moderatos & zelo tamen ardentes, præesse necesse est.

5. Crux Christi. Seruiunt enim fideles Domino cū omni modestia, ac multis lacrymis & tentationibus: quia ipsis datum est in Christi negocio non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi. Act. 20. 19. Phil. 1. 29.

6. Æternæ vitæ desiderium. Itaque in cœlestem patriam contendenti Ecclesiæ, nos adiungamus, & ouantes animis spe hæreditatis cœlestis, terrena damna leuemus. Amen.

M. j.

APHORISMVS X.

Religionum cæterarum cum vera seu Christiana è diametro pugnantium, nulla vel impudens defensio, vel conciliatio fucosa, instituí debet.

Qui à Deo maledictam carnis sapiẽtiam sequũtur, & illud nõ verẽtur affirmare: Paci, seditiosam (si Deo placet) veritatem postponendã: peccant grauissimè quum instituunt, vel

- Defensionẽ Epicuream falsæ religionis, per confusionem,
  - Boni & Mali, Lucis & Tenebrarum, Dulcis & Amari. Isa. 5. 20.
  - Hoc quũ Pij fieri animaduertunt, constanter & prudenter
    - Veræ doctrinæ sum decus vendicent
    - Τῇ ἑτεροδικασκαλίᾳ laruã detrahant.
- Conciliationẽ sophisticam
  - Veri Christianissimi, qui non in locutione, sed in spiritus virtute. 1. Cor. 4. 20.
  - Pseudochristianissimi, qui in locutione, in litera, in dogmatis & ceremonijs humanis
  - est situs.

Declarent autem in sua Apologia Pij studiũ pulcerrimarum virtutum, quæ sunt

1. Φιλαλήθεια. Sit autẽ amor veritatis coniunctus cum odio mendaciorũ.
2. Σαφήνεια. Sit in vsu Sermo Ecclesiæ matri visitatus, perspicuus, propriꝰ.
3. Διάκρισις πνευμάτων. Probãdi enim nobis sunt Spiritus, vt manifestũ fiat an sint ex Deo.
4. Επιείκεια & cãdor. Interpretemur omnia, quoad eius fieri lex Dei concedit, cãdidè & in melioré partem. Absit autẽ satyrica dicacitas & maledicentia.
5. Spes. Vt enim lux sata est iusto: sic illuminatio eorum quos Deus cõuertere decreuit sua habet momenta.
6. Robur, nõ Socratis: sed Mosis, aut Pauli, vt possint προπορεύειν.

DE VERA ECCLESIA DEI, CAPITA piæ doctrinæ.

I.

Anno Domini 1415. in Concilio Constantiensi, damnatæ sunt hæ Iohannis Hussi, Bohemi, Theses de Ecclesia:

1 *Vnica est sancta, vniuersalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum vniuersitas.*

2. *Vniuersalis sancta Ecclesia, tantùm est vna, sicut tantùm est numerus vnus prædestinatorum.*

3. *Prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduenticia, sed non à gratia prædestinationis.*

Apparet autem Hussium, prędestinationem ad electionem restrinxisse, & electos appellasse prædestinatos ad vitam: ac statuisse ἀμεταπτωτον & immutabilem esse, Electionis nostræ in Christo Iesu, benedictionem.

Anno Æræ Christianæ 1479, Moguntiæ mandatu Dietheri Archiepiscopi Moguntini & Principis Electoris, (qui ex illustri Comitum Isenburgẽsium familia ortum duxit, & Pij 2. Papæ συμμαχίαν & hostiles conatus diu multúmque sustinuit: sed à Friderico Comite Palatino, Administratore Palatinatus Electoralis ad Rhenum, fortiter defensus fuit.) conuocati sunt Theologi Heidelbergenses & Colonienses, ad quos accesserunt velut Coryphæi, duo Hæreticæ prauitatis Inquisitores, vt instituerent censuram doctrinæ Iohãnis Vesaliẽsis, S. Theologiæ Doctoris, & cõcionatoris VVormaciensis, qui quòd nonnulla Scripturis canonicis, quàm tum vulgò receptæ Romanæ Ecclesiæ magis consentanea docere videretur, de hæresi suspectus esse cœpit. Damatus autem fuit, ab aduersariis, qui erant de via Realium & sectatores Thomæ, inter cæteros hic quoque eius viri de Ecclesia Articulus.

Deus ab æterno condidit librum, in quem scripsit omnes suos Electos: quicunque autem in eo non est scriptus, nunquam inscribetur in ipsum: & qui in eo scriptus est, nunquam delebitur.

II.

Nos itaque de vera Dei Ecclesia, in hac Disputatione agemus, vt quid de illis dictis & eorum censura, piæ menti statuendum sit, manifestum fiat.

Initium autem faciemus à distinctione. Ecclesiæ vocabulum, æquiuocè significat cœtum omniũ eorum, qui in externa societate populi Dei in his terris militantis, versati sunt, versantur hoc tempore, & vsque ad seculi consummationem versabuntur, quorum mira est diuersitas, si fidem, charitatem & alia spectes. Eius autem nomine, simile est regnum cælorum sagenæ iactę in mare, quæ ex omni rerum genere coegit, Matth. 13. 47. Quod si in hac significatione Ecclesiæ vocabulum sumatur, nequaquam Hussi & Vesaliensis Theses veræ sunt.

Idem vocabulum vniuocè significat, Electorum Dei filiorum communionem, de qua in Symbolo Apostolico dicitur: Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem. Sancti autem vocantur ij, quos de hoc mundo sanctificauit seu segregauit Deus, vt sint cohæredes Christi Iesu, ad laudem gloriæ Dei.

In hac autem posteriore significatione, vocabulum Ecclesiæ, si ab Hussio & Vesaliense sumtum esse, pij cogitabunt, animaduertent vtrumque rectè de vera Dei Ecclesia pronunciauisse: ac iniustam fuisse illorum condemnationem, in qua licet videre quàm sit verum illud vetus dictum: δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Opinio vim facit veritati.

III.

Sed enim vt iam σὺν θεῷ, ad institutum accedamus, sic, pro tuenda orthodoxa illorum sententia, argumentamur.

Si reuera est aliqua Dei Ecclesia: si ea Sanctorum communio est: si etiam in Christo Iesu, fœdere gratiæ Deo iuncta est: si denique Catholica & Orthodoxa est, suásque notas non fallentes, & suum quoddam Regimen, habet: Tum enimuerò sequitur, Rectè Hussium & Vesaliẽsem prouunciauisse, eandem esse vniuersitatem prædestinatorum ad æternam vitam, quorum nomina in libro vitæ exstant, nec vnquam delebuntur.

Vera autem sunt quæ antecedunt omnia: vt totius Disputationis huius œconomia perspicuè ostendet.

Verum igitur est & quod ex iis ritè & euidenter colligitur. Ex vero enim nil nisi verum consequitur.

IIII. An sit aliqua Dei Ecclesia.

Sit hæc primæ Demonstrationis, à Correlatiuis ductæ, basis aurea & adamantina.

1. Cor. 3. 23. Vos autem Christi estis: Christus verò Dei.

Posito vno Correlatiuorum, necesse est & alterum poni.

Atqui Christus inde vsque ab initio mundi fuit, & est, erítque Rex Ecclesiæ, Ioan. 12. 15. Dux & pastor totius Israelis Mich. 5. 2. Matt. 2. 6. Seruator, Luc. 2. 11. Mediator. 1. Tim. 2. 5. Sponsus, Eph. 5. 29. 30. Caput salutem dans corpori, Ephes. 5. 23.

Fuit igitur est & erit vera illius Ecclesia, quæ eius Regnum est, populus eius & pecus pascuæ eius. Psal. 100. 3. Ioan. 10. ac in eius contubernio versantur nõ nisi ab eo vno seruati. 2. Tim. 1. 9. & viua illius mẽbra, quibus datur adolescere in illum, per omnia qui est caput nẽpe Christus: ex quo totum corpus congruenter coagmentarum, & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit Corpori conueniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem. Ephes. 4. 15. 16. Quis autem pius & intelligens, non videat, ista non nisi de iis, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, posse dici?

Sit autem secundæ Demonstrationis, (quæ ducitur à caussa efficiente principe) fundamentum ἀμετακίνητον, seu immobile, hoc oraculum diuinum: Qui prædestinauit nos, quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, pro beneuolo affectu voluntatis suæ. Eph. 1. 5.

Idem planè iudicium est de instauratione & dignitate & vtriusque caussa principe quorundam viuorum Ecclesiæ membrorum, quod de totius Corporis instauratione & dignitate & principiis.

Atqui nos, qui credimus, à Deo Patre, gratis prædestinati sumus, vt in Christo Iesu primogenito, ius filiorum obtineremus, & essemus in Ecclesia & ex Ecclesia.

Quare idẽ nobis, & de tota vera Ecclesia, statuendum est: eam videlicet esse vniuersitatem prædestinatorum ad vitam æternam (quæ non nisi filiis & hæredi-

hæredibus Dei, cohæredibus autem Iesu Christi, destinata est) vt sit gens sancta, populus, quem sibi Deus vt proprium vendicat. 1. Pet. 2. 9.

V. Praxis.

Sæpe autē piæ mentes, in se descendere, & ad Dei laudē suámque consolationē, repetere debēt ea documēta, quæ euincūt ipsos in Ecclesia & ex ea esse.

Sit autem semper in conspectu, Primùm hæc sententia Pauli: Vos ipsos tentate an non sitis in fide, vos ipsos probate. ánnon agnoscitis vosmet-ipsos, videlicet Iesum Christum in vobis esse? nisi reprobis estis. 2. Cor. 13. 5.

Deinde & hic Syllogismus demonstratiuus, in numerato sit.

Quibuscunque dedit Deus, vt credant in nomen Filii Dei, ii sunt Electi seu prædestinati ad vitam æternam. Tit. 1. 1.

Nobis dedit Deus fidei donum. Credimus enim in Deum conditorem, redemtorem, sanctificatorem nostrum. Credimus sanctam Ecclesiam, & nos eius ciues esse: credimus & remissionem peccatorum & vitam æternam. Ex sanctificatione autē nostri, in qua lucet odium mali & amor boni, analyticè colligimus, antegressam iustificationem & in ea fidem, prædestinationis nostræ non caussam, sed effectum. Etsi autem in tentationum paroxysmis, sæpè vehementer concutitur fides nostra: quia tamen non minus pro nostra fide, ne videlicet vnquam exstinguatur, quàm pro fide Petri, exorauit Patrem Seruator noster Christus, ἀμεταμέλητον καὶ μὴ παλινάγρετον eius donum esse statuimus. Ioan. 17. 20. Luc. 22. 37. Rom. 11. 29.

Sumus igitur nos in prædestinatorum ad vitam numero, hoc est in Ecclesia Dei viuentis, quæ est columna & stabilimentum veritatis. 1. Tim. 3. 15. Vt igitur boni ciues de patria benè morata, & honestissimis conciuibus gloriantur: sic nos quoque de Ecclesia, quam Chrysostomus scitè orbis columnam vocauit, gloriari decet.

VI. Quid sit Ecclesia.

Iam verò, quum finitio rei naturam exponat, perfectámque καὶ ἀμετάπτωτον eius notitiam pariat, primùm à definitione argumento ducto statum muniemus: deinde definitionem Ecclesiæ explicabimus.

Si vera illa Dei Ecclesia, Sanctorum communio est, tum certè est prædestinatorum ad vitam, & libro vitæ inscriptorum, vniuersitas. Sunt enim termini isti reciproci & conuertibiles: & notum est illud Apostoli: Nam quos præsciuit, eosdem & prædestinauit, vt conformes fiant imaginis Filij sui: vt is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eosdem & vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. Rom. 8. 29. 30.

Atqui verum est quod antecedit: vt ex Apostolico Symbolo liquet.

Verum igitur est & Consequens.

VII. Definitionis Ecclesiæ expositio.

Omittimus cōsultò ὀνοματώδεις Ecclesię descriptiones: & è Symbolo Apostolico, hanc κατώδη eius definitionem, adducimus: Sancta catholica Ecclesia, est Sanctorum communio. Primùm autem de Definito breuiter agemus, postea de ipsa Definitione.

In definito, & ipsum definitum & eius propria epitheta, considerabimus.

Definitum est Ecclesia, quæ vox (quando vocationem & fidem respicit) aliàs fideles in eadem domo versantes, Rom. 16. 5. aliàs, particulares diuersarum Gentium Ecclesias eodem cap. vers. 16. aliàs denique vniuersitatem Sal-

uandorum, significat. Atque in hac postrema significatione, à nobis iam vsurpatur.

Sancta autem dicitur, tum quia imputatione & inchoatione eiusmodi est, tum quia Deum sanctum habet, qui eam è mundo selectam, sanctificat sua veritate. Ioan. 17. 16. 17.

Catholica nuncupatur omnium mundi temporum & omnium Saluandorum, quos illa parens ceu filios agnoscit, respectu. Iuxta dicta: Vnus panis, vnum corpus multi sumus. 1. Cor. 10. 17. Item, Sicut enim Corpus vnum est, & membra habet multa, omnia verò membra corporis vnius, multa quum sint, vnum sunt corpus: ita & Christus: sic autem vocat mysticum Catholicæ Ecclesiæ corpus, denominatione à potiore, hoc est, à capite ducta. 1. Cor. 12. 12. Item, Vnum est corpus & vnus est spiritus: sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ. Eph. 4. 4.

Nequaquam verò catholica dicitur, omnium eorum, qui in externa eius societate versantur, respectu. Nam qui in Ecclesia, sed non ex Ecclesia sunt, 1. Ioan. 2. 19. æquiuocè dicuntur Christi membra, sed putrida. Econtrariò, quicunque in Ecclesia permanendo, reipsa testantur se in Ecclesia & ex ea esse, vniuocè ciues Ecclesiæ, Domestici Dei, Christi viua membra, appellantur. Ephes. 2. vers. 19.

Definitio optima est Ecclesiæ, tradita ab Apostolis, ἡ τῶν ἁγίων κοινωνία: Sãctorum communio. Exprimit enim definiti, cum quo reciprocatur, essentiã: & definiti accidentia miro compendio perstringit.

Genus est κοινωνία, communio, societas, à qua si ius piorum spectes, κοινωνικὰ socij: &, si affectum, κοινωνικοί, societatis amantes, dicuntur, & in illis lucent κοινωνικαὶ ἀρεταὶ, de quibus Apostolus, Rom. 12. 5. 6 & seq.

Ecclesia igitur Communio est, 1. Vna, sicut habet Symbolum Nicenum, quia vnũ est mysticũ illud Ecclesiæ corpus, tametsi diuersa sunt eius mẽbra. 1. Cor. 12. 12. 2. Extra quam non est salus, quãdo quoscunque elegit Deus, eosdem & efficaciter, vocat. Ro. 8. 30. 3. Quæ vnum Deum & Patrem omnium, vnum Dominum Iesum Christum, vnum spiritum, vnam fidem & doctrinam, vnam spem vocationis, vnum Baptisma habet, Ephes. 4. 4. 5. 6. 4. Ab ea, qui alienus est, inter eos reputatur quos Paulus nũc τὲς ἔξω, extraneos, 1. Cor. 5. 12. nunc τὲς μακρὰν ὄντας, eos, qui procul sunt, vocat. Eph. 2. 13.

Differentia est, Sanctorum. Sancti autem homines, piè seu defuncti hac vita seu superstites dicuntur, primùm ad differentiam Profanorum. Vt enim hi è mundo sunt, & ei chari sunt: sic illi ex mundo non sunt, sed quia Christus elegit eos ex mundo, ideo huic exosi sunt. Ioan. 15. 19. Deinde, respectu Principis. Sicut enim Princeps mundi habet in filiis suis quod sibi vendicet, Ioan. 8. 44. non autem vel in Christo capite Ioan. 14. 30. vel in eius viuis membris quicquã habet. Ro. 16. 20. ita, Princeps Saluandorum Iesus Christus, plenum ius in Ecclesiam suam obtinet, 1. Cor. 3. 23. ac, qui sanctificat & sanctificantur ex vno sunt omnes: quamobrẽ nõ erubescit fratres eos vocare. Heb. 2. 11. Tertiò, respectu effectus gratiæ regenerantis, de quo dicitur: Ipse autem Deus pacis auctor sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. 1. Thess. 5. 23. Quartò Dei ac Domini ratione. Iuxta illud: Sãcti estote, sicut Iehouah Deus vester sanctus est; Leuit. 19. 2. Postremò, ratione fugæ profanorum hominum & perpetui sanctificationis exercitii, & finis, quẽ est, vt

Deus

Deus in nobis habitet. Iuxta illud: Quapropter exite è medio illorum & separamini, dicit Dominus: & impurum ne attingite: tum ego excipiã vos: & ero vobis Pater, ac vos eritis mihi filij ac filiæ, dicit Dominus omnipotens. Has igitur promissiones quum habeamus, dilecti, purgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei. Ies. 52. 12. Ierem. 31. 2. 2. Cor. 6. 17. 18. & 7. 1.

VIII. Praxis, seu vsus.

Semper itaque memores sint piæ mentes, præcepti Apostolici: Non deserentes aggregationem nostri mutuam, sicut mos est quibusdam, sed adhortantes alij alios. Heb. 10. 25.

Quum enim perfectionis vinculo, quod est charitas, coniunctissimi esse debeamus, tam auctores schismatum, quàm eorum applausores, fugiẽdi nobis sunt. Iuxta illud: Precor autem vos, fratres, vt speculemini dissidiorum & scandalorum auctores, præter doctrinam quam vos didicistis, & declinetis ab eis. Rom. 16. 17. Ratio manifesta est, quia Christus dispartitus non est, neque quisquam alius, præter Iesum Christum pro nobis crucifixus est: nec etiam in alterius nomen baptizati sumus. 1. Cor. 1. 13.

Iam verò quum Sancti simus, imputatione & inchoatione, vt suprà dictum fuit: nobis illud dictum statuamus: Et quisquis habet hanc spem in eo (sitam) purificat se, sicut & ille purus est. 1. Ioan. 3. 3. Ideò enim electi sumus antequam iacerentur fundamenta mundi, vt simus sancti & inculpati coram eo per charitatem. Eph. 1. 4.

Postulat ergo Sanctorum hæc communio, ne quod commercium habeamus cum Antichristianismo, eius erroribus, qui sunt in Dei Filium contumelios: neque cum idolis, & operibus tenebrarum. Stat enim illud Apostolicum: Ne impari iugo copulemini cum infidelibus: quod enim consortium iusticiæ cum iniusticia? & quæ communio luci cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? 2. Cor. 6. 14. 15. Antichristiani enim, quando Personam, Officium, Merita & Doctrinam Filij Dei, partim furenter negant, partim subdolè corrumpunt, infideles sunt, & à nobis seiuncti. Ac de his dicitur: Quisquis transgreditur, nec manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec Aue ei dicite. 2. Epist. Ioan. v. 9. 10.

IX. Quæ sint caussæ Ecclesiæ.

A caussis autem & elementis Ecclesiæ Dei argumento ducto, Statum tertio loco sic confirmamus.

Si Ecclesiæ principium est electio gratuita & immutabilis, tum certum est rectè eam dici electorum & prædestinatorum ad æternam vitã, vniuersitatẽ.

Verum est quod antecedit. Etenim, quos Deus præsciuit, eos etiam prædestinauit, vt conformes fiant imagini Filij sui: vt is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, eos etiam glorificauit. Roman. 8. 29. 30.

Verum ergo est etiam Consequens.

X. Praxis argumenti in hisce omnibus elucet.

1. Quum dona Dei & vocatio, eiusmodi sint, vt eorum ipsum pœnitere non possit, Rom. 11. 29. non licet nobis ἐπίχειν de electione, vocatione, iu-

ſtificationē & glorificatione noſtra. Vt enim non mutatur Iehouah, Mal. 6. & apud eum non eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio, Iac. 1.17. Ita illius de noſtra ſalute decreta, ſunt firma & immota. Iuxta illud: Montes mouebunt ſeſe, & colles nutabunt: miſericordia autem mea à te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit, dixit miſerator tuus Iehouah. Ieſa.54.10.

2. Eoſdē eſſe præſcitos, prædeſtinatos, vocatos, iuſtificatos, glorificatos, quum de Saluandis agitur, certum eſt. Ideò, qui verè credit ſeſe iuſtificatū, gratis, certò, propter Chriſtum: idem verè credit ſe electum, gratis, certò, propter Chriſtum.

3. Reſpicit verò Præſcientia primùm agnitionem eorum, quos pro ſuis habet Deus, 2. Tim. 2.19. Prædeſtinatio autem, eorundem ſalutem, ceu finem ad quem ob Dei gratiæ gloriam, electi ſunt, Eph. 1.6. Vocatio verò ſancta, ſegregationem & ſanctificationem de mundo, 2. Tim. 1.9. Iuſtificatio, imputationem iuſticiæ Chriſti & remiſſionem peccatorum, Rom. 3.25. & 4.5. glorificatio demum, exercitia bonorum operum. Ambulandum enim ſicut dignum eſt Deo, qui nos vocauit ad ſuum regnum & gloriam. 1. Theſſ. 2.12.

4. In hac autem Præſcientiæ, Electionis, Vocationis, Iuſtificationis, Glorificationis periodo, nullus planè humanis meritis locus eſt: quū gratia ſeruati ſimus per fidem: ídque non ex nobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Eph. 2.8.9.

5. Quum ideò ſimus fideles, quia ſumus electi: ab electione fidem pendere, manifeſtum eſt. Quod autem de fide dicitur, idem de fructibus Spiritus, Gal. 5.22. omnibúſque bonis operibus, quæ fide prælucēte fiunt, verè dici, nemo intelligens rerum ſacrarum non videt.

6. Rectè Auguſtinus, iam ſenex, docuit, non ſolùm opera, ſed etiam fidem, Dei eſſe donum. Retractat. lib. 1. cap. 23. Inde autem colligimus, nec fidei nec operibus, meriti opinionem eſſe affingendam.

7. Ideò ex operibus legis non eſt iuſtificatio, quia nec electio ex operibus legis eſt. Rom. 9.11.

8. Pendet electio noſtra à Dei miſericordia, non à præuiſione operum bonorum. Quia enim elegit nos Deus, antequam iacta eſſent mundi fundamenta, ideò & condidit nos, vt ſimus ſancti & inculpati coram eo per charitatem Epheſ. 1.4.

9. Quare cùm nec fides ſit cauſſa prædeſtinationis noſtræ ad gloriam gratiæ Dei, vitæ æternæ participatione, illuſtrandam, multò certè minus bona opera eius principium erunt.

10. Poſterius relatiuorum genus eorum eſt, in quibus priori & poſteriori locus eſt. Id ſi ſpectes, prædeſtinationem, quæ eſt in prædeſtinantis mente, priorem eſſe prædeſtinatis, facilè animaduertes. Quod ſi prædeſtinatis prior eſt, liquet ab ea pendere, vocationem & fidem: iuſtificationem: glorificationem & bona opera. Prædeſtinauit enim nos Deus præcipuè ad finem vltimum, qui eſt gloria miſericordiæ ipſius, ſed per media, quæ à prædeſtinatione, velut à fonte, ortum ducunt. Ideò cauenda nobis eſt hypallage Pelagiana, quæ ἄνω ποταμῶν nos ducit, & patres filiis, arbores fructibus, fontes fluminibus, cauſſas effectis, acceptas refert: diuinámque reſtitutionis noſtræ σύνδεσιν deſtruit.

XI. Τὸ ὅτι.

Sit hæc postrema Demonstratio, à posteriori ducta.

Si inde vsque ab initio mundi fuit, & ad eius consummationem erit, vna, catholica Ecclesia: vnum caput, certa signa, certam ministerij ἀπαξίαν, suum πολίτευμα, suos ciues habens: & si ea cœlestem requirit patriam: Tum enim verò sequitur, piè Hussum & Vesaliensem censuisse eandem esse prædestinatorum ad vitam, seu Electorum Dei filiorum πανήγυριν, seu Concionem.

Atqui vera sunt quæ præcedunt omnia.

Quare & quod ex illis ἀσυλλογίστως colligitur, verum est.

XII. Praxis.

Iam vt coronidis loco quomodo ad institutionem & consolationem nostram, illa Demonstratio faciat, ostendamus, Assumtionem certam ἐν ἀντιρρήτοις esse probabimus: sed κεφαλαιωδῶς.

1. Ecclesiam, inde vsque à condito Mundo fuisse, nunc esse & futuram vsque ad finem Mundi, ex eo primum, quòd Iesus Christus heri & hodiè, idem est & in secula: Heb. 13. 8. deinde & eo quòd regnum illius (in quo iuxta relatiuorum rationem non Regem solùm, verum etiam Subiectos esse oportet) perpetuum est: denique & ex absurdo colligimus, quod alioquin nec Christum, nec eius beneficia & doctrinam, vsum aliquem & commendationem habere posse, nisi detur esse Ecclesiam, manifestum est.

2. Vnam tantùm Ecclesiam, veram illam, esse, rectè docet Symbolum Nicenum. Ac quum suprà Pauli verba id astruentia sint adducta, nunc illud solùm addemus, extra illam Ecclesiam non esse salutem: & eius vnitatem nõ esse factionibus in diuersa scindendam studia. Valdè enim nobis placet dictum Gregorij Rom. Sancta Ecclesia consistit vnitate fidelium, sicut corpus vnitate membrorum.

3. Catholicam esse Ecclesiam, nec ad particularem, verbi gratia Romanam (qualis, inquam, ea hoc tempore est) restringendam: non ex eo solùm colligi debet, quòd multis seculis antè fuit Ecclesia, quàm Romam Romulus condidit: & in ea vrbe Respub. seculis aliquot prius fuit, quàm Ecclesiam in ea sibi collegit Christus Iesus, iam in Carne exhibitus: sed potius ex eo, quòd ex omnibus gentibus, tempore omni, potissimùm verò post exhibitũ Messiam, Deus Pater, pro infinita sua bonitate, addidit Ecclesiæ, quoscunque ipsi libuit, vt salui fierent.

4. Vnum caput esse Ecclesiæ, velut Corporis mystici, Iesum Christum, cum Paulo Apostolo statuimus. Col. 1. 18.

Rectè enim Caput Ecclesiæ, ceu corporis, is solus dicitur, qui vitã illi infundens, salutem ei dat, & in quo vno adolescit Ecclesia, & qui à Patre est constitutus caput Ecclesiæ. Hæc autem omnia non nisi de Domino nostro Iesu Christo, verè dici possunt, is enim dat salutem Corpori, Ephes. 5. 23. in ipso crescit Ecclesia, Eph. 4. 15. eius pedibus omnia subiecit Pater, eúmque constituit caput super omnia ipsi Ecclesię. Eph. 1. 22. Quare ille vnus & solus est Caput Ecclesiæ.

Pontificem autem Romanum, vicarium Christi, & Ecclesiæ caput ministeriale non esse, ideò firmiter credimus, quia non ea est ratio & συγκατάθεσις Christi & Ecclesiæ, vt Papæ ceu vicario locus sit.

Christus Iesus enim, quum sit Deus, omnipotens, omnipræsens, æternus (Deitatis respectu) semper adest Ecclesiæ sponsæ suæ, eóque nomine nec successorem, quasi defunctus: nec vicarium, quasi planè absens: nec riualem,

quasi Sponsæ desertor,admittit.

Ecclesia etiam,virginem puram, coniugem intactam Christo sese sistit. 2.Cor.11.2.Eph.5.32.illum solùm caput suum esse credit, qui idem θεάνθρωπος mediator est:& dat salutem corpori.Eph.5.23.Abhorret autem, quum vnum corpus sit,à duorum Capitum,ἀπόνδῳ πολέμῳ: quum Christi coniunx sit,ab alieno viro.

Romanus autem Pontifex,homo mortalis est,& nec sibiipsi nec Ecclesiæ salutem dare potest:nec in ipso adolescit Ecclesia:ac quum is, qui hoc tempore Pontifex est,vir,vt perhibent,eruditus sit, non planè ignorare potest, Cyprianum Martyrem,in tract.3.de simplicitate prælatorum,docuisse,Episcopatum vnum esse,cuius à singulis pars in solidum tenetur.Et beatum Hieronymum Ecclesiæ Romanæ presbyterum,verè dixisse in Epistola ad Euagrium:Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus,quod Presbyter nõ faciat? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est.Et Galliæ,& Britanniæ,& Africa,& Persis,& Oriens,& India, & omnes barbaræ nationes,vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis.Si auctoritas quęritur,Orbis maior est vrbe.Vbicunque fuerit Episcopus,siue Romæ,siue Eugubij,siue Constantinopoli,siue Rhegij, siue Alexandriæ,siue Tanis:eiusdem meriti,eiusdem est sacerdotij. Potentia diuitiarum,& paupertatis humilitas,vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit,Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.In eadem Epistola,Episcopos,vertit Superintendentes. Porrò Gregorij Romani Episcopi sententiam,quæ affirmat,vniuersalis Episcopi nomen,nemini nisi Antichristo conuenire,eum fugere, non est probabile,qui in scrinio pectoris sui nihil non reconditum habere,à nonnullis perhibetur.

Denique quum doctrinam Christi, quæ veluti anima est veræ Ecclesiæ, ille non profiteatur: quî posset esse ministeriale caput Ecclesiæ & vicarius Christi?Sed & illum ad Tribunal Iesu Christi, stantem & trementem, Ecclesia triumphans propediem videbit.Instat enim finis omnium.1. Pet.4.7.

5. Signa veræ Ecclesiæ,minimè fallentia, dicimus esse Fidem, Spem & Charitatem.1.Thes.1.3.sed quæ luceant,in sincera & ordinata dispensatione Verbi & Sacramentorum,disciplina Ecclesiæ, & vitæ innocentia, & precibus. Iuxta illud:Erántque perdurantes in doctrina Apostolorum,& communicatione,& fractione panis,& precibus. Act.2.42.

Etsi autem in Ecclesiæ militantis societate, nunquam non paleæ tritico permistæ sunt,ac sæpè publico Ecclesiæ ministerio ij defunguntur,qui non sunt ex Ecclesia:tamen,solus literæ cultus his rectè tribuitur:cæteris autem, qui in Ecclesia & ex ea sunt, Spiritus tam ministerium quàm cultus, verè ascribitur.

6. In Ecclesia esse Ministerij εὐταξίαν,ex iis liquet,quæ de docentium ac discentiũ gradibus distinctis,& munerum functionibus, diuinitus præscripta,& piis omnibus nota sunt. Certum autem est Ecclesiis optimè consuli, quando ordinarij Antistites,suis quique muneribus defunguntur,sic vt Episcopi,Pastores & Doctores,Sermonem Dei annuncient:Diaconi, Eleemosynas publicas & colligant & bona fide distribuant,mensísque seruiãt. Act. 6.2. Disciplinæ ἐρρωδιωκταὶ, vtrisque adsint, quando seueriore admonitione aut correptione,ij,qui ἀτάκτως inordinatè,agunt.2.Thessa.3.11. & Ecclesiam scandalis deformant, nec tamen planè deplorati sunt, castigandi & ad melio-

liorem frugem sunt reuocandi. Qui ordinibus Ecclesiasticis diuinitus sanctis, multos alios adiungunt ordines: & qui iurisdictionem ciuilem & ecclesiasticã, vni eidémq; homini tribuendo, cõfundunt, & τὰ ἀσύγκλωστα συγκλώθειν conãtur, vt non vident aliud esse sceptrũ aliud plectrũ: sic equidem cum Deo de sapientiæ laude contendunt: quando ex vsu Ecclesiæ esse censent, si multò plures sint Ordinis Ecclesiastici gradus, quàm Deo summè tum sapienti, tum Ecclesiæ amanti, visum sit instituere, & iidem, primitiuę Ecclesiæ (cuius temporibus floruit Ecclesia, si doctrinam & liturgiam ac virtutes spectes) necessarios ordines, ritus & alia multa defuisse, non obscurè significant.

7. Habet autem Ecclesia suum πολίτευμα. Iuxta illud: Nos enim vt cœlorum municipes nos gerimus: vnde etiam Seruatorem exspectamus Dominum Iesum Christum. Phil. 3. 20. Ideò fideles dicuntur συμπολῖται, conciues Sanctorum & domestici Dei. Eph. 2. 19. Quis ergo sanus negare ausit, definitum esse Deóque soli cognitum, Ciuium suorum numerum? Solidum sanè fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc: Nouit Dominus qui sint sui. 2. Timoth. 2. 19. Huc pertinent dicta de Libro vitæ, de quo pridem peculiari Disputatione egimus.

8. Quod verò Ecclesia ad cœlestem patriam anhelans contendat, argumento est vel vnicum illud Apostoli nostri dictum: Non habemus hîc sitam ciuitatẽ, sed futurã inquirimus. Heb. 13. 14. Imò dolores, quos in his terris exulans Ecclesia sustinet, spe resurrectionis carnis & æternæ vitæ lenit & vincit.

XIII. *Epilogus.*

Ex iis quæ hactenus tradita sunt, manifestum est, rectè Ecclesiam veram, prædestinatorum ad æternam vitam vniuersitatem, dictam esse. Coronidis autem loco, affirmamus de hac vniuocè dicta Ecclesia, accipiendum nobis esse commemorabile dictum beati Ambrosij. Mater ergo viuentium (in horum censu soli prædestinati ad vitam æternam numerantur) est Ecclesia, quam ædificauit Deus, in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei. In cap. 3. Lucæ. Hæc de propriè dicta Ecclesia, extra quam non est salus, breuiter annotare visum est: cætera enim quæ ab illis pendent, in ipsa Diatribe, σὺν θεῷ, exponemus. Perscriptum Basileæ, 1584. Die emortuali Theodosij Magni imperatoris, qui 17. Ian. anno Epochæ Christianæ 398. Mediolani obiit, de quo Ambrosius in funebri Oratione, Dilexi, ait, virum, qui quum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur. Vtinam eodem animo sint etiam huius nostræ ætatis Principes. Sed habet Deus suos.

DISPVTATIO THEOLOGICA DE IVSTIficationis veris cauſsis, & de Ieſuitarum erroribus, qui illis manifeſtè aduerſantur: de qua in Baſilienſi Academia, auctore Iohanne Iacobo Grynæo, Facultatis Theologicæ Decano, die XX. Februarij, rationem reddidit è S. Literis, Amos Amandus Polanus, Oppauienſis.

AD

Nobiliſsimum Iuuenem. D. IOACHIMVM RHEDINGERVM, *virtute & ingenio florentem.*

Baſilius Magnus:

Gloriatur in eo Paulus, quòd ſuam ipſius iuſticiam contemnat, ſectetur autem per Chriſtum eam iuſticiam, quæ ex Deo eſt, in fide. De Humilitate.

DOMINO NOBILI, D. IOACHIMO RHEDINGERO, S. P. D.

ENtibi, optime & nobiliſſime RHEDINGERE, *gemmulam Theologicam, videlicet σωματοποίησιν principiorum Iuſtificationis noſtræ, cui non ſolùm fidem facit συμφωνία omnium partium, quæ longè vincit ſuauitate ſua omnes Muſicas harmonias: ſed etiam ſingularem gratiam conciliat vſus inæſtimabilis, quum præſentiſſimum ſit antidotum aduerſus peſtilentem Ieſuitarum mataeologiam, quæ nunc inſtar gangrænæ ſerpit, multóſque qui veritatem non diligunt, à Chriſto, qui ſolus iuſticia noſtra eſt, abducit ad PſeudoChriſtum & exitium.*

Vt autem videas etiam Patres, quorum dictis abutuntur illi, nobiſcum facere, vnum aut alterum eorum dictum recitabo.

1. *Si iuſtificatur impius, ex impio fit iuſtus. Sed quomodo? Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſſio peccatorum. Auguſt. in Pſal. 30.*

2. *Iuſtificatus homo, id eſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum. Proſper ad Obiect. Gall. c. 6.*

3. *Nemo gloretur in operibus: quia nemo factis ſuis iuſtificatur: ſed qui iuſtus eſt, donatum habet: quia poſt lauacrum iuſtificatus eſt. Ambroſius lib. 9. Epiſt. 71.*

4. *Gratia eſt, quæ gratis datur, non meritis operantis, ſed miſeratione donantis. Auguſt. de Gratia noui Teſt. c. 19.*

5. *Chriſtus totius iuſticiæ fundamentum eſt. Haymo in Pſal. 26.*

Benè vale. Dominus Ieſus Chriſtus tua ſtudia proſperare dignetur, vt aliquando parentum & propinquorum tuorum laudatorum exemplo, Dei conſilio conſtanter & eleganter ſeruias. Baſileæ, 12. Februarij 1584.

Ioan. Iacobus Grynæus.

DE IVSTIFICATIONIS NOSTRÆ CAVSIS disputatio Theologica, Iesuitarum erroribus opposita.

I.

DISPVTATIONI Orthodoxæ de Iustificatione & eius caussis, substernimus hanc auream & immotam basim: *Ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iusticia, Rom.*4.5. Item: *Omnes peccauerunt, ac deficiuntur gloria Dei: iustificantur autem gratis (id est) eius gratia, per redemtionem factam in Iesu Christo: quem proposuit Deus (vt esset) placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam iusticiam suam, per remissionem præcedentium peccatorum. Rom.*3.23.24.25.

II. *De efficiente principe caussa.*

Solus Deus iustificat. Rom.8.33. Deus est is qui iustificat.34. Quis est qui condemnet?

Demonstratio.

Eius solius est iustificare quos visum est, cuius est & præscire eos, prædestinare vt sint conformes Christo (creare, Genes.1.26. Psalm.100.3.) vocare & glorificare.

Deus solus præsciuit prædestinauítque suos adoptiuos filios, eósque à se conditos, suo tempore vocat & glorificat. Rom.8.29.30.

Quare solus Deus iustificat.

III. *Caussa* προηγουμένη.

Iustificat autem secundum propositum voluntatis suæ, seu secundum εὐδοκίαν & gratiam. Eph.1.5.& 11.

Demonstratio.

Secundum id iustificat Deus, secundum quod omnia agit.

Atqui secundum propositum voluntatis suæ efficit omnia. Eph.1.11.

Quare secundum idem & iustificat.

IIII. *Caussa* προηγουμένη.

Ne inimici Dei maneamus, destructis Satanæ operibus, sibi reconciliatos iustificat. Rom.5.10.1. Ioan.3.8.

Demonstratio.

Si ad hoc patefactus est Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli, quæ sunt peccatum, inimicitiæ cum Deo, & mors secunda: tum certum est id quod de caussa προηγουμένη diximus.

Vera sunt quæ antecedunt omnia: vt ex allegatis liquet.

Verum igitur est & quod ex iis ἀκόλουθος sequitur.

V. *Efficiens famulans, annuncians.*

Euangelio annunciatur, Sacramentis obsignatur, iustificatio. Rom.1.versu 16.& 4.11.

Demonstratio.

Si Euangelium Christi (eo quòd Iesum Christum per fidem apprehensum, vnicam salutis adipiscendæ rationem esse ostendit) est Dei potentia, ad salutem cuiuis credenti, quia Dei iusticia per illud retegitur ex fide, qua iustus viuit: si etiam Sacramentis obsignatur iusticia fidei: tum certissimum est, iustificationem per Euangelium annunciari, & Sacramentis obsignari.

Vera sunt quæ præcedunt: vt ex allegatis & probatis patet.

Vera igitur sunt & quæ sequuntur.

VI. *Efficiens organica apprehendens & applicans.*

Colligimus fide iustificari hominem, absque operibus legis. Rom. 3.28.

Demonstratio.

Si solius fidei (quæ inquam viua est, Iac. 2.26. & per charitatem agit, Gal. 5.6.) obiectum est Euangelium, hoc est, gratiæ promissio, quam illa apprehendit, & in qua suauiter acquiescit: tum sequitur, rectè cum Ambrosio Ecclesias nostras docere, sola nos fide iustificari. Per fidem enim intelligimus, Iesum esse Christum Filium Dei, & credentes habere vitam æternam per nomen eius. Ioan. 20.31.

Verum est antecedens. Rom. 10.8 Hoc est, verbum fidei, &c.

Est igitur & consequens verum. Ac piè dixit Remigius, super Psal. 10. Tota fides mea in Christo est, per illum solùm credo me iustificari & saluari.

VII. *Obsignans caussa.*

Spiritus autem sanctus benedictionem Christi, ac proinde iustificationem, sic in nobis obsignat, vt impium sit de ea dubitare.

Demonstratio.

Quum idem Dominus omnium (fidelium) sit, diues in quosuis à quibus inuocatur, vt inter fideles qui olim vixerunt, ita inter huius ætatis homines fideles non est διαφορὰ, seu distinctio. Rom. 10.12.

Atqui fideles olim, audito sermone veritatis, id est, Euangelio salutis suæ: in quo etiam, postquam credidissent, obsignati sunt Spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis, &c. Eph. 1.13.14.

Ergo nunc quoque fideles obsignantur Spiritu sancto, vt nec de benedictionis spiritualis speciebus, nec etiam de eius fine proximo, videlicet de hæreditate cœlesti, dubium illis esse possit.

VIII. *Finis vltimus iustificationis.*

Iusticiæ & misericordiæ Dei declaratio, finis vltimus iustificationis est. Rom. 3.26. & 4.8.15.

Demonstratio.

Si ea lege nos iustificat Deus, vt iusticiæ suæ, à Filio mediatore nostra caussa satisfieri voluerit: & tamen gratis (si nos respicias) nobis peccata cõdonet: tum sequitur, declarationem mirandi illius temperamenti iusticiæ & misericordiæ, finem vltimum esse nostræ iustificationis.

Prius verum est: vt disertè in illis Pauli dictis affirmatur.

Igitur etiam posterius verum est.

IX. *Finis proximus.*

Proximus iustificationis nostræ finis est pax conscientiæ, quæ rectè & firmiter statuit, se iam in gratia esse apud Deum. Rom. 5.1.

Demonstratio.

Id rectè proximus finis iustificationis esse dicitur, cuius gratia eius benedictionem nobis præstat Dominus.

Atqui ideò nos iustificat, vt habeamus pacem, & seruemur ab ira, per vitam Iesu Christi. Rom. 5.1.9.10.

Hæc igitur pax, finis proximus iustificationis nostræ, à nobis rectè statuitur.

X. *Caussa propter quam iustificamur.*

Propter Dominum nostrum Iesum Christum iustificamur. Rom. 4.25.

Demon-

Demonstratio.

Eius solius merito iustificamur, qui solus pro nobis mortuus & resuscitatus, pretium redemtionis nostræ persoluit.

Atqui solus Dominus noster Iesus Christus, traditus est in mortem propter offensas nostras, & excitatus est propter iustificationem nostri. Solus ille torcular calcauit. Isa. 63.3. redemit nos sanguine suo pretioso. 1. Petr. 1.19.

Ergo illius solius caussa iustificamur.

XI. *Subiectum.*

Soli Electi iustificantur. Rom. 8.33.

Demonstratio.

Ij demum, & quidem soli iustificantur, quibus nemo crimina intentare, & quos nemo condemnare potest.

De Electis hæc disertissimè pronunciat Apostolus, dicto allegato.

Soli igitur Electi iustificantur.

Demonstratio alia.

Si iidem sunt præsciti, prædestinati (seu electi ad æternã vitã,) vocati, iustificati & glorificati: tum ἀναντιῤῥήτως sequitur, nullos nisi Electos iustificari.

Certissimum est quod antecedit. Rom. 8.29.30.

Ergo & quod consequitur, certissimum est.

XII. *Formalis caussa.*

Deus nos iustificat, quando & nostra peccata nobis condonat, & Filij sui iusticiam nobis imputat, vt eius caussa iusti habeamur.

Demonstratio.

Si quando nos iustificat Deus, non solùm nobis remittit debita nostra, sed etiam iusticiæ Christi dono, iniusticiam originalem in nobis hærentem absorbet: tum sequitur, iustificationis nostræ formam constare remissione peccatorum & imputatione iusticiæ Christi.

Vera sunt quæ antecedunt. Rom. 3.25. & 4.7. & 5.11, & seq.

Ergo & quæ sequuntur vera sunt.

Nobis itaque iustificatio est Dei benedictio, quæ per Euangelium annũciatur, pérque Spiritum sanctum obsignatur, ac fide percipitur, quæ statuit firmiter, nobis propter solum Iesum Christum mediatorem, non tantum debita condonari, sed etiam iusticiam illius imputari, ad laudem iusticię & misericordiæ Dei, quam ordinè præcedit vocatio, subsequitur sanctificatio.

XIII.

Commentitiam itaque Iesuitarum ἑτεροδιδασκαλίαν, sanæ doctrinæ de iustificatione è diametro repugnantem, fugiamus. Nam illa fingit

1. In iustificationis actu, hominem Dei σύνεργον esse: quia iustificatio sit motus ad iusticiam, seu id quo acquiritur iusticia, per fugam mali studiúmque boni: quod tamen sanctificationis proprium est.

2. Gratiam fingit esse, qũum quis operum suorum mercedem accipiens, δικαιοῦσθαι, iustificari, ex suis meritis, dicitur.

3. Meritum congrui esse θεολογικὸν iustificationis.

4. Euangelium esse legem, cuius propria doctrina sit, Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata. Itẽ, Sacramẽta iustificare, ac prodesse ex opere operato.

5. Sola fide nos non iustificari, quia illa sit communis multis impiis. Iustificare tamen fidem, quatenus ea sit formata charitate, & respectu initij.

6. Iustificationem esse duplicem: priorem, quæ hoc præstat, vt merito mortis Christi, credentes imbuantur charitate & aliis virtutibus: posteriorem, quæ facit, vt homo illis qualitatibus instructus, inhærente illa iusticia promereatur maiorem, pleniorem & auctiorem iusticiam, reconciliationem, adoptionem, & vitam æternam. Non igitur soli Deo iusticiæ & misericordiæ plenam laudem tribuunt.

7. Dubitandum esse, an homo iustificatus sit in gratia. Hæc dubitatio tollit pacem.

8. Hominem iustificari fide, sed propter opera, quæ illa parit: non autem propter solum Iesum Christum, qui factus est nobis iusticia à Deo. 1. Cor. 1. 30. Ac opera quædam præparatiua esse ad iustificationem, quædam concurrere, quædam subsequi actum iustificationis, eúmque quodammodò absoluere, vt Maluenda opinatus est.

9. Non solos electos iustificari.

10. Iustificationem esse acquisitionem iusticiæ, quæ operibus constet, quibus ordine iusticiæ debeatur merces à Deo promissa: cuius gratia homo meritò dicatur iustus. Ac contra piam doctrinam de iustitia imputata, contumeliosè dicunt Iesuitę: Si iusticia est imputata, ergo & salus erit non vera & inhærens, sed absens & imputata. Iidem scurriliter veritati contradicentes, aiunt: Si quis dicat hominem fide esse iustum, idem est, ac si quispiam diceret asinum asinina forma esse hominem. Fide enim fideles, iusti verò dicimur iusticia. Plura qui Iesuitarum paradoxa desiderat, Colonienſem censuram dudum editam inspiciat. Sed de his in ipsa Disputatione pluribus erit agendum. Basileæ, 12. Feb. M. D. LXXXIIII.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

B. GÖRICH
Siemensstraße 8
3550 Marburg/L.
Tel.: 06421/81399
BUCHBINDEREI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-215827244-19

ATIONES
GICAE, QVAE
VOT PROXIME
TIS HABITÆ
BASILIENSI
DEMIA.

ER

COBVM GRYNÆVM,
em Academia Doctorem.

Dedicatoriam proximè ſequentes
monſtrabunt.



EVÆ,
THIVS VIGNON.

M. D. LXXXIIII.